Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CONTRO-VERSIARVM CHRISTIANAE FIDEI ADVERSVS HVIVS TEMPORIS HAE-reticos EPITOME:

Auctore

R. P. IACOBO GORDONO HVNTLAEO SCOTO,
Societatis IESV Doctore Theologo:

IN QVA DE QVAESTIONIBVS THEOLOGICIS hac noſtrâ ætate controuerſis breuiter diſputatur; idq́; ex ſacris præſertim litteris.

AD S. D. N. PAVLVM V. PONT. MAX.



Coll. Rom. Cat. B.
Soc. Jesu Inscrip. S.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud IOANNEM KINCHIVM ad interſigne
Monocerotis, ANNO M. DC. XX.

Permiſſu Superiorum, & priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIMO SANCTISSIMOQVE PATRI
PAVLO V. PONTIFICI MAXIMO
IACOBVS GORDONVS HVNTLAEVS.

NON *ſum neſcius*, BEATISSIME PATER, *exiguum hoc opus Controuerſiarum tuâ præſtanti & eximiâ dignitate minùs dignum videri. Sed mihi tamen duo quædam propè perſuaſerunt, Tuam Beatitudinem, id qualecunque tandẽ eſt, minimè repudiaturam: Alterum eſt, quòd in eo de primis fidei Catholicæ fundamentis agatur, de verbo Dei ſcripto, & nõ ſcripto, de vera Chriſti Eccleſia, de dignitate, antiquitate, & excellentia Romanæ Eccleſiæ, de œcumenicis Concilijs, de veterum Patrum authoritate, de auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, quæ neſcio cui potiùs ex omnium hominum genere, quàm Tuæ Sanctitati offerenda videantur. Tu enim es, Beatiſſime*

Pater, Seruatoris hominum Chriſti ſummus in terris Vicarius, Tu Coryphæi Apoſtolorum Petri verus & legitimus ſucceſſor, Tu Petra firma & immobilis, in qua Religio conquieſcit, Tu denique totius Eccleſiæ militantis vertex & columen. Quæ omnia è diuinis oraculis prompta & illuſtrata in hoc opuſculo demonſtrantur. Alterum verò quod me mouit, hanc vt opellam Sanctitati Tuæ dicarem, eſt ſingularis illa beneuolentia, quâ Veſtra Sanctitas proſequuta eſt Scoticam nationem miſerrimè afflictam, atque erroribus impijs iam laceratam. Cuius amoris erga nos Tui haud vulgaria & obſcura teſtimonia fuerunt, non tum modò, cùm priuſquam ad Religionis clauum ſederes, huius nationis protector eſſe voluiſti, verùm etiam poſtquam diuina prouidentia Veſtram Beatitudinem ad illuſtre hoc honoris genus euexit. Quare dubitare non poſſum, quin Veſtra Sanctitas, pro incredibili & perenni ſua bonitate, æquo & libenti animo hos Commentarios exceptura ſit, quos præſertim in Scotorum gratiam elaborauimus. Quæ res mihi animos atque vires addat ad eas pertexendas controuerſias, & pro virili parte explicandas, quæ ſuperſunt. Deum autem ſupplex oro & obteſtor, vt Tuam Sanctitatem quàm diutiſſimè nobis, totique Eccleſiæ ſuæ incolumem conſeruet.

APPRO-

APPROBATIONES.

EGo Claudius Campo-Bonus Prouincialis Societatis IESV in Aquitania, poteſtate ad hoc mihi facta à Reuerendo admodum P. N. Claudio Aquauiua Generali Præpoſito eiuſdem Societatis, Facultatem concedo, vt *Primus Tomus Epitomes Controuerſiarum à P. Iacobo Gordono Huntlao Societatis noſtra Doctore Theologo* compoſitus, ac grauium, doctorumque hominum eiuſdem Societatis iudicio approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus, Aginni anno Domini 1612. Iulij 2.

CLAVDIVS CAMPO-BONVS.

R*Euerendi admodum Patris* Iacobi Gordoni Huntlæi Societatis IESV Doctoris Theologi Tomum primũ Controuerſiarum de Verbo Dei, Eccleſia, Sũmo Põtifice, Concilijs & Patribus antiquis *dum diligenter perlegi, in antiquo Doctore antiquam & perpetuam fidem in Eccleſia Chriſti ſaluam ſartamquè tectam contra Nouatores eiuſdem hoſtes obſeruaui, reconditam lingua Sancta peritiem, grauitatem ac perſpicuitatem rationum in operis compendio miratus ſum, eumdemquè magna cum omnium vtilitate in publicum prodire opera pretium eſſe duxi*

Ego F. Matthæus le Heurt Doctor Theol. Parienſis pro tempore Guard. Conuent. Franciſcan. Pictauenſis, & Turoniæ Viceprouincialis.

EGo Mat. Dardin Doctor, actu Regens in Facultate Theol. in Vniuerſit. Pictauenſi, & Canonicus Sanctæ Mariæ Maioris Pictauenſis, vidiſſe & atteto animo legiſſe *Controuerſiarum Epitomen*, Authore *Reuerendo Patre Iacobo Gordono Huntlao Scoto, Societatis Ieſu, Doctore Theologo*, nihilque in ea inueniſſe, quod ſit abſonum & aduerſum Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ, imò ad confutandas huius temporis hæreſes valdè vtilem & ſumme neceſſariam affirmo, & atteſtor, atque in lucem mittendam iudico.

M. DARDIN.

AD LECTOREM
BREVIS ADMONITIO.

ETSI plurimi ſint ſcriptores Catholici, qui de quæſtionibus hac ætate controuerſis doctè & cumulatè ſatis ſcripſerint, tamen, vt poſt tot, tantoſque viros opus hoc aggrederemur, tres potiſsimum cauſæ nos commouerunt. Prima eſt, quòd plerique, dum ſingula aduerſariorum argumenta accuratè diſcutiunt, atque in Catholicis dogmatibus ferè omnibus ſolidè confirmandis egregiè laborant, longitudinem euitare non potuerint: quæ vt multis vtilis eſt, & nonnullis etiam neceſſaria, ita alijs non mediocre tædium parit. Quibus vt etiam conſulamus, conamur in hoc opuſculo ea, quæ fuſiùs à multis conſcripta ſunt, compendiaria quadam via tradere: Ob quam etiam cauſam, CONTROVERSIARVM EPITOMEN, *hoc totum opus nuncupamus. Secunda cauſa eſt, quòd nonnulla ſint aduerſariorum argumenta quæ quanquam ſatis diſſoluta ſint ab his, qui ante nos ſcripſerunt, iudicio virorum non omninò pertinacium: tamen illi qui inter aduerſarios pertinaciores ſunt, palàm iactitāt ea nondum plenè ſoluta eſſe. His argumentis, ſi quis hæc noſtra legere voluerit, planiùs & copioſiùs reſponſum eſſe inueniet. Nam in huiuſmodi argumentis diluendis diutiùs moramur. Tertia cauſa eſt, quia aduerſarij, vt ſunt ſeduli in oppugnanda fide Catholica, ita quotidie noua excogitant argumenta, quibus conantur & noſtram doctrinam impugnare, & ſuā propugnare: eoque magis quòd videant vetera ipſorum argumenta ſcriptis Catholicorum iam clarè refutata,*

& euerſa eſſe. Quare neceſſe eſt, vt & nos in dies noſtrã doctrinam nouis ſubſidijs fulciamus, tum etiam aduerſariorum recentiora tela, quæ in dies in nos conijcere nõ ceſſant, identidem retundamus. Id quod etiam in hoc opuſculo præſtitimus (quantum efficere potuimus, diuinæ gratia adiuuante,) vt hac ratione intelligant aduerſarij (ſi modò noſtra hæc ſcripta legere dignabuntur) non ſolùm antiquis ipſorum argumentis abundè ſatisfactum eſſe, ſed & his etiam, quæ nuperrimè inuenerunt. Scimus autem Chriſtianis omnibus interdicta eſſe maledicta, conuitia, calumnias, denique & illa omnia, quæ poſſant proximum iuſtè offendere: proinde conati ſumus ab his omnibus abſtinere, & veritatem ipſam paucißimis verbis ſine exaggeratione, aut amplificatione, fucove vllo proponere. Aduerſariorum etiam ſententias, atque adeò verba ipſa ex illorum ſcriptis fideliter recitauimus. Quòd ſi inter legendum errata aliqua à Typographis commiſſa occurrant, hæc æquo animo ferenda erunt. Nam difficile eſt omnia Typographorum errata corrigere, præſertim in Hebrais: præcipuorum tamen emendationem adiecimus.

Digitized by Google

INDEX
CAPITVM TOMI PRIMI, PRIMAE CONTROVERSIAE DE VERBO DEI.

I. Methodus & ſcopus totius operis. pag. 1

II. De verbo Dei in genere. p. 3

III. De verbo Dei ſcripto. p. 4.

IV. Quonam modo inueſtigãdus ſit verus ſacræ Scripturæ ſenſus. p. 6

V. De litera ſacræ Scripturæ rectè intelligenda. p. 8

VI. De textu Hebræo. p. 13.

VII. Textum Hebraicum eſſe valde ambiguum. p. 14

VIII. Puncta Hebræorum malè poſita eſſe in varijs locis. p. 19

IX. Textum Hebraicum varijs in locis corruptum eſſe, ſaltē ex incuria librariorum. p. 24

X. Quòd Iudæi pleraque loca Scripturæ ex induſtria corruperint. p. 33

XI. De textu Græco Septuaginta Interpretum. p. 44

XII. De Græco textu noui Teſtamenti. p. 47

XIII. Aduerſarios ipſos frequẽter reijcere textum Græcum noui Teſtamenti. p. 52

XIV. De nouis Aduerſariorum translationibus Biblicis. p. 58

XV. De Latina vulgata editione Bibliorum. p. 61

XVI. Defenditur locus Geneſeos; *Ipſa conteret caput tuum.* p. 69

XVII. Quiſnam ſit verus ſenſus horum verborum; *Ipſa conteret caput tuum.* p. 71

XVIII. Ex Hebræo rectius verti, *Ipſa*, vel etiam *Ipſiſſima*, quàm *Ipſe*, vel *Ipſum*. p. 77

XIX. Defenduntur alia quædam loca vulgatæ editionis. p. 84

XX. Verbum Dei ſcriptum non eſſe Iudicem controuerſiarũ, quæ ſunt de Fide. p. 91

XXI. An ſacra Scriptura ſit obſcura. p. 94

XXII. Sitne ſacra Scriptura trãſferenda in linguam vulgarẽ. p. 96

XXIII. Aduerſarios diuerſis modis corrumpere verbum Dei ſcriptum: vbi etiam explicantur tres modi, quibus illud corrumpunt. p. 100

XXIV. Explicatur quartus, quintus, & ſextus modus, quo ſolent Aduerſarij deprauare Dei verbũ ſcriptum. p. 105

XXV. Septimus & octauus modus, quo corrumpunt Aduerſarij verbum Dei ſcriptum. p. 108.

XXVI. Nonus & decimus modus, quo peruertunt Aduerſarij

ſarij verbum Dei ſcriptum. p.110
XXVII. De verbo Dei non ſcripto, & vero ſtatu huius controuerſiæ. p.115
XXVIII. Ex primis fidei principijs cõuincitur eſſe Dei verbum non ſcriptum. p.117
XXIX. Probatur verbum Dei nõ ſcriptum ex alijs particularibus Fidei dogmatibus. p.120
XXX. Alia Fidei dogmata afferuntur, quæ nuſquam ſunt ſcripta in Biblijs. p.125
XXXI. Traditiones probantur teſtimonio antiquorum Patrum. p.129
XXXII. Traditiones probantur ex ipſa doctrina Aduerſariorum p.130
XXXIII. Ex abſurdis conuincitur Verbum Dei non ſcriptum. p.134
XXXIV. Refutantur Aduerſariorum argumenta deſumpta ex veteri Teſtamento. p.136
XXXV. Examinatur locus epiſtolæ ad Galatas, quem obijciunt Aduerſarij contra Traditiones. p.139
XXXVI. Diluuntur aliæ Aduerſariorum obiectiones contra Traditiones. p.145
XXXVII. Quonam modo dignoſci poſſint Traditiones Apoſtolicæ. p.148

SECVNDAE CONTROVERSIAE

DE ECCLESIA, SVM. PONTIFICE, CONCILIIS ET PATRIBVS

Capita.

I. De Proprietatibus & officijs veræ Chriſti Eccleſiæ. p.151
II. Extra veram Eccleſiam Chriſti non eſſe ſalutẽ. p.155
III. Eccleſiam Chriſti perpetuo durare. p.157
IV. Eccleſiam hanc, quæ perpetuo durat, ſemper eſſe viſibilem. p.158
V. Diluuntur argumenta contra Eccleſiam viſibilẽ. p.163
VI. Refutantur alia Aduerſariorum argumenta contra viſibilem Eccleſiam. p.168
VII. Veram Chriſti Eccleſiam viſibilem non poſſe errare in fide. p.172
VIII. Nullam eſſe legitimam vocationem Concionatorũ, aut Paſtorũ Eccleſiæ, niſi per veram Eccleſiam viſibilem. p.182
IX. Sitne Eccleſia fidei noſtræ fundamentũ, & de vero ſtatu huius quæſtionis. p.187

x. Afferuntur proprietates fundamenti fidei. p.190
xi. Solam Scripturam nō eſſe fundamentum fidei. p.192
xii. Spiritum particularem aut priuatum non eſſe fundamentum fidei. p.194
xiii. Eccleſiam Catholicam eſſe fundamentum noſtræ fidei. p.196
xiv. Diluuntur argumenta Aduerſariorum. p.204
xv. Eccleſiam non tantùm dare nudum teſtimonium Scripturæ, ſed etiam authoritatem. p.211
xvi. Argumenta Aduerſariorum refutantur. p.214
xvii. Eccleſiam eſſe Iudicem omnium Controuerſiarum, quæ ſunt de fide. p.218
xviii. De falſis notis Eccleſiæ, & veris in genere. p.226
xix. Illam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, quæ eſt vna, Sancta, Catholica & Apoſtolica. p.231
xx. Quòd ſola Romana Eccleſia ſit vera Eccleſia Chriſti, probatur ex proprietatibus veræ Eccleſiæ. p.237
xxi. Romanam Eccleſiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, probatur ex officijs veræ Eccleſiæ. p.242
xxii. Ex ſignis veræ Eccleſiæ oſtenditur Romanam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiā. 253
xxiii. Romanæ Vrbis Eccleſiam eſſe ſupremam inter Chriſti Eccleſias viſibiles, conuincitur ex Scripturis. p.257
xxiv. Romanam Eccleſiā eſſe omnium ſupremam probatur ex Patribus antiquis, & ex confeſſione ipſorum aduerſariorum. p.266
xxv. Soluuntur argumenta aduerſariorum contra Romanam Eccleſiam. p.271
xxvi. De Adoratione, & oſculatione pedum Romani Pōtificis. p.279
xxvii. De Oecumenis Concilijs. p.287
xxviii. De Authoritate antiquorum Patrum. p.293

TERTIAE CONTROVERSIAE SIVE II. TOMI CAPITA.

I. De certaminibus à Sathana diuerſis temporibus excitatis contra Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum. p.308
II. De erroribus noſtræ ætatis circa Euchariſtiam & ſtatu huius quæſtionis. p.316

III.

III. Verum & reale corpus Chriſti dari & manducari in Eucharistiæ Sacramento, contra Zuinglianos. p.320
IV. Diluuntur argumenta Zuinglianorum. p.324
V. Caluinianos per ſuam fidẽ nõ manducare corpus Chriſti, ſed inane illius ſimulachrum. p 330
VI. Caluinianos in ſua cœna nec verã Chriſti corporis præſentiam, nec communicationem, nec exhibitionem, nec perceptionem habere. p.341
VII. Soluuntur argumenta, quibus Caluiniani conātur probare fidem efficere rem abſentem præſentem. p 348
VIII. Verba illa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, propriè eſſe accipienda. p.356
IX. Soluuntur argumenta, quibus aduerſarij conantur probare verba inſtitutionis Euchariſtiæ eſſe impropriè intelligenda. p.364
X. De proprio & literali ſenſu ſexti capitis Euangelij S. Ioannis. p.386
XI. Diſſoluuntur argumenta, quæ obijciunt aduerſarij contra literalem ſenſum ſexti cap. S. Ioannis. p. 393
XII. Corpus Chriſti non tantum eſſe in cœlo, ſed etiam in terris, vbicumque eſt Euchariſtiæ Sacramentum. p. 405
XIII. Corpus Chriſti verè manducari ab indignis. p.416
XIV. Reſpondetur ad argumenta, quibus aduerſarij conantur probare indignos non manducare *Corpus Chriſti*. p. 429
XV. Aduerſarios deprauaſſe omnes Symboli Apoſtolici articulos, vt Euchariſtiæ Sacramentum faciliùs impugnarent. 443
XVI. Caluinum nullum habere teſtimonium doctrinæ ſuæ à veteri Eccleſia. p.461
XVII. Caluini doctrinam non habere firmum teſtimonium ab vllo, qui ante illum vixit. p.465
XVIII. Diluuntur rationes, quas aduerſarij colligunt ex alijs fidei dogmatibus malè intellectis. p.471
XIX. Soluuntur argumenta aduerſariorum deſumpta ex rationibus naturalibus. p 480
XX. Quòd valdè pernicioſa ſit Caluinianorum hæreſis, & in Chriſtum hominem iniurioſa, atque adeò in ipſum Deum. p.494

INDEX
LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVAE IN HIS TRIbus Controuerſijs explicantur.

Primus numerus Controuerſiã, ſecundus Caput, tertius paragraphum deſignat.

GEn.3.v.15. Ipſa conteret caput tuum. 1.16.1.
Item per totum caput. 17. & 18.
Gen.8.v.7. Coruus egrediebatur, & non reuertebatur. 1.19.1.
Gen.37.v.2. Ioſeph, cùm ſedecim eſſet annorum. 1. 19.11.
Gen.47.v vlt. Adorauit Iſrael Deum conuerſus ad lectuli caput. 1.15.10
Geneſ.49.v.10. Donec veniat qui mittendus eſt. 1.10.4
Deut.4.v.2. Non addetis ad verbum. 1.34.2.
Deut. 12.v. vlt. Nec addas quicquam, nec minuas. 1.34.2
Deut. 25. v.4. Non alligabis os boui trituranti. 1.15.8
Ioſue 21.v.36. De tribu Ruben, &c. 1.9.15
Iud.18.v.30. Filium Gerſam filij Moyſi. 1.10.5
Iud.19.v.2. Quæ reliquit eum. 1.9.10
2. Reg.5.v.8. Propoſuerat enim Dauid in die illa præmium. 1.9.11.
3. Regum 19 v.10. Derelictus ſum ego ſolus. 2.5.2
2. Paralip.22.v.2. Filij Ioſaphat Regis Iuda. 1.9.12
2. Paral.26.v.7. & contra Ammonitas. 1.9.13
2. Paralip.28.v.19. Propter Achaz Regem Iuda. 1.9.14.
Pſal.18.v.5. In omnem terram exiuit ſonus eorum. 1.9.7
Pſal.21.v.17. Foderunt manus meas. 1.10.1.
Pſal.34. (aliàs 35.) v.15. & 16. Diſſipati ſunt, nec compuncti. 3.1.31
Pſal.36.v.28. Iniuſti punientur. 1.9.16
Pſal.67.v.19. Accepiſti dona in hominibus. 1.15.11
Pſal.94.v.10. Semper hi errãt corde. 1.9.9.
Pſal.131.v.15. Viduam eius benedicens benedicam. 1.19.2.
Pſa.144.v.13. Fidelis Dominus, &c. 1.9.17
Prouer.30.v.6. Ne addas quicquam verbis illius. 1.34.6
Iſaiæ 7.v.14. Ecce virgo concipiet & pariet filium. 3.15.24
Iſaiæ 9.v.6. Vocabitur nomen eius ADMIRABILIS, &c. 1.8.5
Iſaiæ 45. v.14. Te adorabunt, teq́; deprecabuntur. 2.26.6.

Iſa-

Digitized by Google

Iſaia 53. v. 8. *Propter ſcelus populi mei percuſsi eum.* 1. 10. 6
Iſa. 60. v. 14. *Adorabunt veſtigia pedum tuorum.* 2. 26. 8.
Iſa. 62. v. 11. *Ecce Saluator tuus venit, &c.* 1. 8. 9
Ierem. 23. v. 6. *Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum.* 1. 8. 10
Ierem. 33. v. 16. *Hoc eſt nomen, quod vocabunt, &c.* 1. 10. 7
Daniel. 9. v. 25. *Vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptē, & hebdomades ſexaginta duxerunt.* 1. 8. 12
Zach. 9. v. 9. *Rex veniet tibi iuſtus & Saluator.* 1. 10. 9
Zachar. 9. v. 11. *Tu in ſanguine teſtamenti tui, &c.* 1. 10. 10.
Matt. 6. v. 13. *Quia tuum eſt regnum, &c.* 1. 12. 3
Matt. 10. v. 2. *Primus Simon, qui dicitur Petrus.* 1. 13. 5
Matth. 15. v. 11. *Quod intrat in os, non inquinat hominem.* 3. 14. 16.
Matt. 16. v. 18. *Tu es Petrus, &c.* 2. 22. 2
Matt. 19 v. 24. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, &c.* 3. 15. 4.
Matt. 26. v. 11. *Me non ſemper habebitis vobiſcum.* 3. 12. 27
Matth 26. v. 26. *Hoc eſt corpus meum.* 3. 11. 8
Matth. 27. v. 9. *Quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam.* 1. 13. 2.
Marc. 2. v. 26. *Sub Abiathar, &c.* 1. 13. 2.
Marc. 12. v. 42. *Quod eſt quadrans.* 1. 13. 2
Marc. 16. v. 19. *Chriſtus ſedet à dextris Dei.* 3. 12. 25.
Luc. 1. v. 35. *Quod naſcetur ex te &c.* 1. 12. 7
Luc. 2. v. 2. *Hæc deſcriptio, &c.* 1. 13. 2
Luc. 3. v. 36. *Qui fuit Cainan.* 1. 13. 3
Luc. 3. v. 23. *Qui fuit Heli, &c.* 1. 13. 4
Luc. 22. v. 19. *Hoc eſt corpus meum.* 3. 14. 16
Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* 3. 4. 10.
Luc. 22. v. 20. *Hic eſt calix, nouum teſtamentum.* 3. 9. 6
Luc. 22. v. 20. *Qui pro vobis funditur.* 1. 13. 6
Luc. 22. v. 20. *Hic eſt calix.* 3. 9. 13.
Luc. 22. v. 20. *Calix effuſus pro nobis.* 3. 12. 6.
Ioan. 6. v. 52. *Panis quem ego dabo.* 3. 10. 1. *& totum caput.*
Ioan. 6. v. 54. *Non habens vitā in vobis.* 3. 11. 3
Ioan. 6. v. 55. *Qui manducat meam carnem, habet vitam*

Digitized by Google

æternam. 3.14.1
Ioan 6. v. 59. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* 3.11.6
Ioan. 6. v. 63. aut 64. *Caro nõ prodeſt quicquam.* 3. 4.1
Ioan. 6. v. 65. *Sciebat enim ab initio Ieſus qui.* 3.1.2.
Ioan. 7. v. 39. *Nondum erat Spiritus datus, &c.* 1. 12.8.
Ioan. 16. v.7. *Expedit vobis, vt vadam.* 3.18.12.
Ioan. 16. v. 10. *Iam non videbitis me.* 3. 12.28.
Ioan. 20. v. 19. *Chriſtus ingreſſus ianuis clauſis.* 3. 15. 18.
Ioan. 21 v. 15. *Paſce agnos meos, &c.* 2. 23. 14
Ioan. vlt. v. 22. & 23. *Sic eum volo manere, donec veniam.* 1. 19. 14.
Act. 2. v. 27. *Non derelinques animam meam in inferno.* 1 23. 11.
Act. 7. v. 14. *In animabus ſeptuaginta quinque.* 1. 13. 2.
Act. 7. v. 16. *Quod erit Abraham.* 1. 13. 2.
Act. 8. v. 26. *Hæc eſt deſerta.* 1. 13. 2.
Act. 10. v. 26. *Surge & ego ipſe homo ſum.* 2. 26. 22.
Act. 15. v. vlt. *præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum.* 1. 12. 4.
Romanorum 1. v. 4. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei.* 1. 19.6.
Rom. 3. v. 28. *Arbitramur iuſtificari hominem per fidem.* 1.23.3.
Rom. vlt. v. 20. *Deus pacis conterat ſatanam, &c.* 2.21.16.
1. Cor. 1. v. 12. *Ego verò Cephæ.* 2.25.10.
1. Cor. 2. v. 15. *Spiritualis iudicat omnia.* 2.14.4.
1. Cor. 4. v. 6. *Ne ſupra id quod ſcriptum eſt, &c.* 1.34.4.
1. Cor. 10. v. 4. *Petra autem erat Chriſtus.* 3.7.8.
1. Cor 10. v. 16. *Calix benedictionis.* 3. 9. 12.
1. Cor. 10. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt.* 3. 7. 2.
1. Cor. 10. v. 20. *Nõ poteſtis calicem Domini bibere.* 3. 14. 3.
1. Cor. 11. v. 24. *Quod pro vobis frangitur.* 3. 9. 16.
1. Cor. 11. v. 25. *Hic calix nouum Teſtamentum eſt.* 3. 9. 11.
1. Cor. 11. v. 27. *Quicunque manducauerit panem hunc indigne.* 3. 13. 2.
1. Cor. 11 v. 29. *Non dijudicans corpus Domini.* 3.13.6
1. Cor. 11 v. 29. *Iudicium ſibi manducat & bibit.* 3.13 9

1. Cor.

1.Cor.15.v.49. *Portemus & imaginem cœleſtis.* 1.12.6
2.Cor.4.v.13. *Habemus eundē Spiritum fidei,&c.* 2.12.11
2.Cor.5.v.16. *Si cognouimus ſecundùm carnem Chriſtum.* 3.18.12
Galat.1.v.8.& 9. *Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, &c.* 1.35.1
Galat.2.v.11. *In faciem ei reſtiti.* 2.25.9
Galat.3.v.1. *Ante quorum oculos Ieſus Chriſtus præſcriptus eſt.* 3.7.21
Epheſ.2.v.6. *Conſedere nos fecit Deus in cæleſtibus.* 3.7.21
Epheſ.2.v.20. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum,& Prophetarū,&c.* 2.14.7
Epheſ.3.v.17. *Chriſtus habitat per fidem in cordibus noſtris.* 3.7.27
Coloſſ.3.v.1. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto.* 3.7.21.
1.Timoth.3.v.15. *Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis.* 2.7.6.& 2.13.16.
2.Timoth.3.v.16. *Omnis ſcriptura vtilis eſt,&c.* 1.36.3.
Hebræor.2.v.17.& 4.v.15. *Chriſtus eſt ſimilis nobis.* 3.28.10.
Heb.5.v.7. *Exauditus eſt pro ſua reuerentia.* 1.23.7
Heb.7.v.26. *Chriſtus excelſior cælis.* 3.15.33.
Heb.11.v.37. *Tētati ſunt.* 1.13.7
1.Ioan.4.v.3. *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum.* 1.12.5
1.Ioan.5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant,&c.* 1.12.9.
Ioan.8.v.1. *Ieſus autem perrexit.* 1.12.9
Apocalyp.3.v.9. *Adorent ante pedes tuos.* 2.16.9
Apoc.12.v.6. *Mulier fugit in ſolitudinem.* 2.6.6.
Apocal.15.v.5. *Chriſtus lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* 3.18.8.
Apoc.vlt.v.18. *Si quis appoſuerit ad hæc,&c.* 1.36.1

LOCA

Digitized by Google

LOCA QVAEDAM S. AVGVSTINI, quæ in his Controuerſijs declarantur.

S. Auguſt. Tom. 1. li. 1. Retract. c. 21. quomodo intelligat Chriſtum per Petrã. Matth. 16. v. 18. 2. 23. 23.

S. Auguſt. Tom. 3. de doctrina Chriſtiana lib. 2. c 7. & 9. quod omnia ad ſalutem neceſſaria continentur apertè in ſcriptura. 1. 21. 2.

S. Aug. Tom 3. l. 3. de doctrina Chriſtiana c. 16. qua ratione dicat: *Niſi manducaueritis,* Ioan. 6. v. 54. figuratam eſſe locutionem. 3. 11. 12.

S. Aug. Tom. 5. lib. 21. de ciuitate Dei, c. 25. qua ratione dicat il um, qui indignè mãducat, reuera non manducare corpus Domini. Ioan. 3. 14. 12.

Quo ſenſu dicat aliquando S. Auguſtinus, Sacramento tenus corpus Chriſti comedi, vel Sacramentum tãtùm comedi ab indignis. 3. 14. 11.

Tom. 6. contra epiſt. Manichæi c. 5 Ego Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas, &c. 2. 13. 20.

Tom. 6. lib. 3. contra Maximinũ Arrianorum Epiſcopum c. 14. qua ratione videatur reijcere auctoritatem 1. Concilij Nicæni. 2. 27. 21.

S. Auguſt. Tom. 6. contra Adimantum, c. 12. non dubitauit Dominus dicere: *hoc eſt corpus meum,* cùm ſignum daret corporis ſui. 3. 16. 11.

Quo ſenſu dicant aliquando Patres antiqui Sacramentum Euchariſtię eſſe ſignum, figuram aut ſimilitudinem corporis Chriſti. 3. 16. 9.

Qua ratione dicant aliquando Patres nos non manducare corpus Chriſti, quod videtur in terris, ſed illud, quod non videtur. 3. 16 12

Qua ratione dicat S. Auguſtinus Tom. 2. epiſt. 57. vnum corpus non poſſe eſſe in duobus locis. 3. 19. 34.

S. Auguſt. Tom. 8. in Pſ. 33. conc. 1. quo modo Chriſtus ferebatur manibus ſuis. 3. 12. 5.

S. Aug. Tom. 9. tract. 59. in Euãg. S. Ioan. Apoſtoli manducarunt panem Dominum, Iudas panem Domini. 3. 14. 7.

S. Aug. To. 9. tract. 26. in Euãg. S. Ioan. Sacramenta in ſolis electis efficiunt quod figurãt. 3. 14. 8.

PRIMA

CONTROVERSIA

DE VERBO DEI.

CAPVT I.

METHODVS ET SCOPVS totius operis.

EORVM, quę hoc tempore in cō- I.
trouerſiam vocantur, duo ſunt omnino genera. Quędam ſunt veluti generalia principia & fundamenta: Alia ad ſpeciales quæſtiones pertinent. Inter generalia principia duo ſūt, de quibus maximè diſputatur: Verbum Dei & Eccleſia. Primo igitur loco de ipſo Verbo Dei diſſeremus, deinde de Eccleſia, poſtremò ſingulæ Controuerſiæ in ſpecie diſcutiendę erunt, ſi Dominus nobis vitam & vires conceſſerit.

Porrò duo ſunt, quæ hac noſtra ætate pluri- II.
mos in errore detinent. Alterum, quòd non pauci ſint, qui exiſtiment parum, aut nihil intereſſe, fidem adh beant, nec ne multis, quæ docet Romana Eccleſia: Hanc periculoſam perſuaſionem è fidelium cordibus euellere poterunt ea, quæ principio docemus de Verbo Dei & Eccleſia.

Digitized by Google

His enim clarè oſtendimus, credenda eſſe firmiter omnia, quæ credit Romana Eccleſia, & ſine hac fide nullam eſſe ſpem æternæ ſalutis. Alterum eſt, quòd illi, qui cupiunt veram fidem in ſingulis controuerſijs inueſtigare, adeò præpediuntur ſæpè & implicantur aduerſariorum technis & calumnijs, vt difficile admodum illis ſit verum à falſo diſcernere. Quare in ſingulis diſputationibus conamur primò verum quæſtionis ſtatum conſtituere: deinde Catholicæ ſententiæ fundamenta adducere: denique præcipuas aduerſariorum obiectiones, ſiue illæ ex Scripturis deſumptæ ſint, ſiue ex Patribus, apertè & breuiter diluere.

III. Et quia aduerſarij Verbum Dei Scriptū perpetuò iactitant, vt ex quo ſolo omnia ſua dogmata probare poſſint, & noſtra improbare: in omnibus his quæſtionibus controuerſis id præcipuè agimus, vt oſtendamus Catholicam & Romanam fidem ex ipſo Verbo Dei Scripto euidenter & firmiter euinci: aduerſariorum verò dogmata nullum planè habere fundamentum in Scripturis ſacris, ſed cum illis manifeſtè pugnare.

IV. Interea tamen antiquæ etiam Eccleſiæ conſenſum in ſingulis breuiter oſtendimus, fuſiorē antiquitatis explorationem alijs relinquentes (quos nominatim etiam Lectori cōſulendos proponimus,) ne huius voluminis magnitudo præter modum accreſcat.

V. Sed neque omnia argumenta, quæ in confirmationem Catholicę fidei ex Scripturis ſacris peti poſſunt, adducenda duximus: verùm ſolidiora dumtaxat & clariora: vt breuitati conſulamus, quam hic nobis ſectandam propoſuimus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

De Verbo Dei in genere.

VERBVM Dei generatim & vniuersè ſumptum duplex eſt: vnum æternum & infinitum, quippe quod omnia prorſus, quæ mẽti diuinæ inſunt, in ſe perfectè cõtinet: ipſe nimirum Filius Dei, Verbum Patris, de quo eſt illud S. Ioannis: *In principio erat Verbum, &c.* Verùm de hoc Verbo hic non diſputamus. Alterum eſt Verbum Dei, quod nec ſemper fuit, nec omnia cõplectitur, quę in diuina mente ſunt, ſed modicã dũtaxat eorum partem: ea videlicet, quæ à nobis per fidem cognoſci voluit Deus: de quo verbo iam agimus, eſt enim hoc Verbum proprium & (vt ita dicã) adæquatum obiectum fidei. I. *Ioan. 1. v. 1.*

Porrò huius Verbi duæ ſunt proprietates. Prior, quòd nobis reueletur; infinitæ enim ſunt veritates in diuina mente, quæ quoniam reuelatæ nobis non ſunt, ad hoc Dei Verbum nequaquam pertinent. Poſterior proprietas eſt, quòd etiã diuinitùs reueletur: quę enim nobis Deus manifeſtat ſola ratione naturali, ad hoc Dei Verbum nõ ſpectãt. Hinc rectè ſolet hoc Dei Verbũ à Theologis appellari, Verbũ Dei diuinitùs reuelatum. II. *Ad Rom. 1. v. 19 & 20. Heb. 11. v. 1.*

De Dei Verbo ita generaliter accepto non eſt inter nos & aduerſarios controuerſia vlla, niſi fortè in verbis: nam quòd aduerſarij dicunt, Catholicos aſſerere, Credendum verbis hominum fide diuina, aut (quod etiam deterius eſt) potiùs hominum verbis, quàm Dei, mera eſt calumnia. Nemo enim eſt Catholicus, III.

 qui

Digitized by Google

qui ignoret, fidem, quæ Deo debetur, Dei ſolius Verbo inniti, eoque puro, ſincero & certo, iuxta illud S. Pauli: *Cùm accepiſſetis à nobis Verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum: ſed (ſicut eſt verè) Verbum Dei.*

1. Theſſ. 2. v. 13.

IV. Neque dubitari etiam poteſt, quin verbi diuinitus reuelati duæ ſint ſpecies, aut certè huiuſmodi verbi duæ qualitates, conditiones & appellationes in ſacris literis expreſſæ: nimirum Verbum Dei Scriptum, quod libris canonicis veteris & noui Teſtamenti continetur, & Verbum Dei Traditum, prædicatum, ſeu euangelizatum: cuius etiam ſæpe meminerunt Scripturæ: ſed priùs de Verbo Scripto agemus.

2. ad Theſſ. c. 2. v. 14. & 1. ad Cor. 15. v. 1. ad Gal. 1 v. 8. & 1. Petri 1. v. vlt.

CAPVT III.

De Verbo Dei Scripto.

I. VERBVM Dei Scriptum duabus conſtat partibus, litera, quæ in libris ſcribitur, & vero literę ſenſu, qui eſt veluti anima & vita literæ: quippe ſine quo ſola litera occidere poteſt, viuificare non poteſt, quemadmodum experientia ipſa ſatis euidenter commonſtrat in Iudęis, Arianis, cæteriſque antiquis & recentibus Hæreticis penè omnibus. Nam & Iudæi literam veteris Teſtamenti mordicus tenent; & Ariani, cæterique penè omnes Hæretici, noui etiam Teſtamenti literam vel totam, vel magna ex parte recipiunt: ſed quia verum literæ ſenſum non agnoſcunt, idcircò Iudæi ſunt, Hæretici ſunt, Catholici non ſunt. Quare ſola litera, ſine vero ſenſu, propriè & verè Dei Verbum dici nō poteſt: ſicut neque

que corpus ſine anima verè & propriè dicitur homo. Illi igitur, qui literam vero ſenſu ſpoliãt, perinde faciunt ac illi, qui hominẽ anima & vita priuant. Qui verò in locum veri ſenſus etiam alium contrarium ſubſtituunt, non ſecùs faciunt ac illi, qui non ſolùm hominem interficiunt, ſed & in corpus interfecti alium ſpiritum Diabolicum introducunt arte magica, quo corpus illud mortuũ mouetur, agitatur, & viuere compluribus videtur. Hęc adeò manifeſta ſunt, vt ipſimet aduerſarij ea inficiari non poſſint.

Porrò eandem fuiſſe doctrinam antiquæ Eccleſiæ ſatis conſtat ex illis verbis ſancti Auguſtini: *Infœlices* (inquit) *Iudæi, & plus infœlices Hæretici, dum ſolum literæ aſpiciunt ſonum, quaſi corpus ſine anima: Ita ſine viuificante Spiritu mortui remanſerunt.* Et alibi: *Omnes Hæretici, qui Scripturas in auctoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari, cùm ſuos potius ſectẽtur errores: ac per hoc, non quòd eas contemnant, ſed quòd eas non intelligant, Hæretici ſunt.* Et ante illum ſanctus Hilarius Galliarum decus: *Memento neminem Hæreticorum eſſe, qui ſe nunc non ſecundùm Scripturas prædicare ea, quibus blaſphemat, mentiatur.* Et paulò pòſt: *Omnes, Scripturas ſine ſenſu loquuntur, fidem ſine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo ſunt, ſed in intelligendo: neque in præuaricatione ſunt, ſed in charitate.* Præterea ſanctus Hieronymus: *Ne putemus in verbis Scripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medulla: non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis.* Et paulò inferiùs: *Alioqui & ipſe Diabolus, qui loquitur de Scripturis, & omnes hæreſes ſecundùm Ezechielem inde ſibi conſuunt ceruicalia, quæ ponant ſub cubito vniuerſæ ætatis.* 11.

S. Aug. to. 10 ſerm. 70. de Tempore.

S. Auguſt. tom. 2. epiſt. 222. ad Cõſen.

S. Hilar. in lib. ad Conſtantium Imp.

S Hier in c. 1. ad Gal. ſuper illa verba ver. 11. Notum etiã vobis facio.

Matth. 4. v. 6.

Ezech.13. v.18. Ex his facilè diluuntur nonnulla, quæ aduer-
III. ſarij nobis obijciunt: verbi gratia, quòd dicamus, ſacram Scripturam eſſe imperfectam, obſcuram, inſtar naſi cerei, qui in quamuis partem flectitur; denique originem omnium ferè hæreſum. Hæc enim dicimus de ſola, nuda & mortua litera, quæ vero ſenſu caret: imò de ea litera, cui addunt Hæretici ſuum peruerſum ſenſum. Neque id mirum videri debet aduerſarijs, cùm ipſe ſanctus Paulus non minora detrimenta tribuat ſoli literæ, vt quòd occidat, quòd mortem adferat & damnationem æternam. Verùm nemo Catholicus attribuit hęc damna literę viuæ, quæ coniunctum habet verum & germanum ſenſum, quæque ſola eſt verè & propriè Verbum Dei.

2. Cor. 3. v. 6. 7. 9.

CAPVT IV.

Quonam modo inueſtigandus ſit verus ſacræ Scripturæ ſenſus.

I. DE rectè indaganda vera & germana literæ interpretatione, adeò ad ſalutem neceſſaria, magna eſt inter nos & aduerſarios diſceptatio. Illi enim varia, ſed omnia planè incerta, de hac re docēt: & vnus quidem plures, alius pauciores adducit regulas. Verùm vbi omnes attulerint, fatentur nihilominus, nullum eſſe, qui in inueſtiganda ſacræ Scripturæ vera interpretatione non aliquando errauerit. Neq; enim vel antiquis Patribus, vel ſuis magiſtris in omnibus aſſentiū-tur: ſed neque vllum aſſignare poſſunt, quem non agnoſcant aliquando erraſſe, aut errare potuiſſe, cùm

Digitized by Google

cùm (vt illi aiunt) *omnis homo mendax ſit*. Atque ita tandem omnia dubia & incerta relinquunt. *Rom.3.v.4.*

II. At longè aliter Catholici, qui ſenſum hûc certum & indubitatum literæ non à iudicio alicuius particularis hominis ſumendum docent, ſed ab vnanimi conſenſu antiquorum Patrum, atque adeò à iudicio & interpretatione vniuerſalis Eccleſiæ, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum: vt docet ſacroſanctum & OEcumenicũ Concilium Tridentinum, idque rectiſſimè. Neque enim dubitare quiſquam poteſt, quin multò tutius ſit illum ſequi interpretem, qui errare non poteſt, quàm illum, qui identidem errat, aut certè errare poteſt: Eccleſia autem in ſuo iudicio errare nõ poteſt, quòd cum ea maneat in ęternum Christus & Spiritus ſanctus, qui illam docet omnem veritatem. De qua re plura inferiùs, cùm agemus de Eccleſia, Controuerſia 2.c.7. *Conc. Trid. ſeſſ. 4.* *Mat. 28. v. vlt.* *Ioan. 14. v 16.* *Ioan. 16. v. 13.*

III. Hic ſatis erit obſeruaſſe, nihil ſolidum, nihil certum contineri in ſacris literis iuxta aduerſariorum doctrinam, quia cùm omnia ex vero literæ ſenſu pendeant: & apud eos nullus ſit certus & fidus modus inueniendi hunc ſenſum: conſequenter omnia, quæ in ſacris literis ſunt, in dubium reuocant; qua ex re diuinas literas ſumma iniuria affici nemo non videt. At contrà iuxta Catholicã doctrinam omnia clara, omnia certa ſunt, quæ ſacræ literæ ad fidem aut bonos mores pertinentia continent: cùm horum omnium certum habeant Catholici, & fideliſſimum atque perpetuum interpretem: Eccleſiam videlicet Catholicam. Et ſanè qui ſenſum,

 quem

Digitized by Google

quem tenet Eccleſia, reijcit, & illi alium contrarium ſubſtituit, perinde facit ac ille, qui ſacram Scripturam iam receptam repudiat, & in eius locum nouam Scripturam à ſe confectã introducit: cùm ſenſus non minor pars ſit Verbi Dei, quàm ipſa litera. Id quod his paucis verbis confirmat Tertullianus ex antiquæ Eccleſiæ traditione: *Tantùm* (inquit) *veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantùm & corruptor ſtylus.*

Tertul. de præſcr. c. 17.

IV. Denique & illud ex his conficitur: In ſola Eccleſia Romana ſalutem eſſe: extra eam verò nullam. Quod ita oſtendimus: Fidem diuinam ad ſalutem omnino neceſſariam eſſe, & Scripturæ ſæpè teſtantur, & agnoſcunt omnes: Iſti verò, qui Eccleſiam Romanam deſerunt, fidem diuinam habere non poſſunt, ſed humanam dumtaxat: fides enim diuina nititur ſolo Verbo Dei. Iſtorũ autem fides nõ Verbo Dei nititur, ſed verbo & interpretatione Lutheri, aut Caluini, aut certè alterius alicuius priuati hominis, quem ipſimet fatentur errare, aut decipi poſſe. Quare humana eſt dumtaxat, dubia & incerta hæc eorum fides, vt quæ ſola hominis auctoritate nitatur: nõ poteſt igitur hæc fides iuſtificare, aut ad æternam ſalutem perducere.

Marc. vlt. v. 16. Ioan 3. v. 18. Heb. 11. v. 6.

CAPVT V.

De litera ſacræ Scripturæ rectè dignoſcenda.

I. QVI Eccleſiam Romanam deſerunt, aut eius auctoritatem eleuant, non ſolùm reddunt dubium & incertum ſenſum Scriptura-

rum,

Digitized by Google

rum, vt oſtenſum eſt: ſed etiam totam & vniuerſam ſacrarum Scripturarum literam. Nam cùm contendunt quoſdam duntaxat libros veteris Teſtamenti in dubium reuocare, imprudentes etiam cæterorum omnium librorum, tam veteris, quàm noui Teſtamenti authoritatem abrogãt. Enimuerò cùm ſit vnicus, certus & indubitatus canõ horum omniũ librorum, ille nimirùm, qui iudicio vniuerſalis Eccleſiæ (quæ errare non poteſt) receptus eſt & approbatus: dũ hunc canonem reijciunt aduerſarij, omnes libros prorſus in eo contentos incertos reddunt & dubios. Neque enim haberi poteſt certum teſtimonium horũ librorũ aliundè, quàm ex hoc canone; vel certè ex antiqua Eccleſię Traditione: Aduerſarij verò nec canonem hunc recipiunt, nec Eccleſiæ Traditionem non ſcriptam pro germano Dei Verbo agnoſcunt.

Aduerſariorũ porrò canonibus recèns editis nemo tutò fidem adhibebit, cùm neque inter ſe ſatis conſentiãt, neque cum antiquis Eccleſiæ canonibus; neque vſquam in Verbo Dei ſcripto inueniantur, cui ſoli fidem diuinam adhibendã eſſe docent: ſed neque quicquam adferre poſſunt vel de canone illo Hebręorum, vel de alio aliquo canone antiquo, quod nõ acceperint ex ſcriptis veterum Patrũ: quorum authoritatẽ ſine expreſſo Dei Verbo ſcripto nequaquam ſufficere volunt ad fidem ſtabiliendam: Atque ita nihil eorum ſat erit ad gignendam fidem aduerſariorum iudicio. II.

III. *Caluinus l. 1. Inſt. c. 7.*

Dicit quidem Ioannes Caluinus, fideli tam facilè eſſe canonicam Scripturam à non canonica diſtinguere, quàm ſit videnti facilè lucem à tene-

ſect.2.in fine. Vide Bellarm.lib.1. de Verbo Dei,cap.17. 18.19. Cal. in præfatione ante epiſt.S.Iacobi,& ante epiſt.ad Heb & ante 2.S. Petri.

bris diſcernere,aut album à nigro. Verùm hoc nō ſolùm rationi,ſed etiam experientiæ aduerſatur. Nam conſtat & olim inter fideles,imò inter viros pios & celebres, fuiſſe non paruam controuerſiam de nonnullis libris tam veteris quàm noui Teſtamenti; & etiam nunc eſſe inter illos,quos aduerſarij fideles exiſtimant,id quod ipſe idē Caluinus agnoſcit pleriſque alijs in locis.

V. *Rupellana Confeſſio art.4.*

Porrò cùm hoc ſatis videant recentiores eius ſectatores, confugiunt ad ſpiritum ſuum peculiarem, quo præcipuè ſe perſuaderi & moneri dicunt, vt hos recipiant libros Scripturæ,non autē ſolo Eccleſiæ conſenſu. Verùm iſti egrediuntur à propoſito : Duo enim in fide conſideranda ſunt: alterum eſt,principium & cauſa fidei, nimirum ipſe Deus & Spiritus ſanctus, de quo nulla eſt inter nos diſceptatio.Omnes enim agnoſcimus Spiritum ſanctum eſſe cauſam pręcipuam aſſenſus fidei, hoc eſt, Spiritum ſanctum præcipuè nobis perſuadere vt credamus. Alterum eſt, obiectum fidei,ſeu id quod credendum eſt,de quo ſolo iam diſputamus : neque enim monet Spiritus ſanctus vt credamus falſis aut incertis commentis hominum: ſed duntaxat vt credamus Verbo Dei puro & ſyncero. Petimus itaque ab aduerſarijs quodnā ſit expreſſum Dei Verbum,quo illis diuinitus reuelat, tot eſſe libros canonicos & non plures aut pauciores:Nuſquam enim in Scripturis ſacris hoc legimus; aliud autem Dei Verbum præter Scriptum nō admittunt.Qua ergo ratione poterit Spiritus ſanctus eis perſuadere, vt illud fide credāt, quod Dei Verbum non eſt?Neq; enim ſunt iam expectandæ nouę Dei reuelationes, more Anabaptiſtarū & Libertinorū,quos ob illud dānāt cęteri no-

Caluin lib. 1.Inſtitut.c. 9.ſect.1. in fine.

ri noſtri aduerſarij. Neceſſe eſt igitur, vt ſi velint Spiritum ſanctũ illis perſuadere, eos libros, quos ipſi recipiunt, & non alios, eſſe authenticos, priùs oſtendant hoc ipſum eſſe in ſacris literis expreſſè ſcriptum, quod nunquam præſtabunt. Quare remanet apud illos incertitudo tam ſenſus ſacræ Scripturę, quàm literæ; remanebitque perpetuò, donec ad Eccleſiam redierint. Verùm de hoc priuato Spiritu plura inferiùs. At cõtrà apud Catholicos, vt certus eſt literæ ſenſus, ita & ipſa litera. Nam canonẽ habemus fideliſſimũ ante mille ducentos & ampliùs annos in Eccleſia receptũ; atq; ab Oecumenico & vniuerſali Cõcilio, quod errare non poteſt, confirmatum. *Diſp. 2. c. 12* *Innocent. I. epiſt. 3. c. vlt.* *Conc. 3. Cartha. cã. 47.*

Porrò hanc ipſam de dignoſcendis veris Scripturis authenticis fuiſſe fidẽ & doctrinã antiquę Eccleſiæ, ſatis teſtatur breuis illa, ſed neruoſa ſententia Sancti Auguſtini (quem optimũ ex tota antiquitate & fideliſſimum teſtem agnoſcit ipſe Caluinus:) *Ego* (inquit Sãctus Auguſtinus) *Euãgelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas.* De quo loco plura inferiùs in Cõtrouerſia de Eccleſia. Et alibi: *Nouum & vetus teſtamentum recipimus in illo librorum numero, quem ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ tradit auctoritas.* Hęc S. Auguſtinus. *S. Aug. tom. 2. epiſt. 235. ad Quintia. Conc. Trid. ſeſſ. 4.* V. *Caluin. lib. 4. inſtit. c. 14. ſect. vlt. ſub finem. S. Aug. contra Epiſt. Manichæi, cap. 5 tõ. 6.*

Scio aduerſarios multa obijcere contra nonnullos libros in noſtro Eccleſiaſtico canone poſitos, quos illi Apocryphos appellant. Verùm pręcipua illorum argumenta non iſtis tantùm libris fidẽ derogãt, ſed & pleriſq; alijs, quos ipſi vt canonicos recipiunt. Obijciunt enim, olim fuiſſe dubitatum à quibuſdam Patribus de libris, *Diſput. 2. c. 13. S. Aug. ſer. 191 de tempore. Tom. 10.* VI.

quos

quos illi reijciunt. Sed ipſimet non ignorant olim à Patribus quibuſdam etiam dubitatum fuiſſe de epiſtolis Sancti Iacobi, & Sancti Iudæ, de 2. epiſtola Sancti Petri, de 2. & 3. Sancti Ioannis, de epiſtola ad Hebræos, de Apocalypſi: quos tamen libros ipſi iam in dubium reuocare non audent, Caluini præſertim ſectatores, vt ex illorum Confeſſione fidei manifeſtum eſt.

Rupellana Confeſſio art. 3.

VII. Dicunt præterea, in libris, quos reijciunt, multa eſſe obſcura, difficilia, pugnantia. Verùm nullus eſt ferè ſacræ Scripturæ liber, in quo non occurrant aliquando obſcura & difficilia, teſte Sancto Petro. Pugnantia porrò, in rei veritate, nulla ſunt: ſed nonnulla, quæ primo aſpectu inter ſe pugnare videntur, reuera tamen optimè inter ſe conueniunt. Talis enim repugnantia frequenter inuenitur in illis libris, quos aduerſarij recipiunt, imò in ipſis Euangelijs: quæ tamen ob id reijcienda non ſunt, ſed humiliter, ſobriè & piè interpretanda, vt ſæpe monet S. Auguſtinus.

2. Petri 3. v. 16.

S. Aug. Tō. 3. de Doct. Chriſtiana, l. 2. c. 41. & To. 4 de ſermone Domini in mõte lib. 1. c. 3.

VIII. Denique, omnibus argumẽtis, quæ contra hos libros obijciunt aduerſarij, abundè iam ſatisfactum eſt à Catholicis Scriptoribus, qui in hos libros commentaria ediderunt: nimirum in Eccleſiaſticum, Cornelius Ianſenius: in Sapientiam, Ioannes Lorinus: in Baruch, Ioannes Maldonatus, & Chriſtophorus à Caſtro. In cæteros omnes libros veteris Teſtamenti, quos aduerſarij vocant Apocryphos, Nicolaus Serarius: vt interea omittamus Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum Cardinalem Bellarminum, eiuſque propugnatorem egregium Iacobũ Gretſerum, atque etiam Iacobum Gordonum Leſmoreum. Hos enim citaſſe ſat eſt, ne non epitomen con-

Bellar. & Gretſ. Contro. 1 li. 1. c. 7 & ſequẽtibus.

controuerſiarum, ſed prolixa commentária in Scripturam cõſcribere videamur: ſatiſque ſit hoc loco oſtendiſſe, oportere aduerſarios, vel canonẽ illum Scripturarum in Concilio Tridentino approbatum recipere, vel omni certo & firmo canone prorſus carere.

Leſmoreus in ſua Chronol. To. 1. c. 0.16. & 17.

CAPVT VI.

De textu Hebræo.

SOLENT aduerſarij, quando vrgentur argumentis Catholicorum, confugere ad Hebræum textum veteris Teſtamenti, & ad Græcum Teſtamenti noui: Ex his quoque putant ſe poſſe verum & germanum literæ ſenſum elicere; quare de Hebræo, & Græco textu Scripturæ aliqua erunt hic dicenda: nam & vterque pertinet ad literam ſacræ Scripturæ: ſed priùs de Hebræo textu. I.

Nos quidem fatemur rectè & vtiliter conſuli Hebraicum textum, vt verus literæ ſenſus agnoſcatur, quando vulgata verſio Latina eſt ambigua, aut minùs aperta. Præterea, vt intelligantur varia myſteria, quæ in textu Hebraico latent, & verbis Latinis ſatis explicari non poſſunt: denique, vt energia & emphaſis illius ſacræ Linguæ pleniùs comprehendatur. II.

At verò textum Hebraicum, qui iam extat, non agnoſcimus aut tantæ auctoritatis, aut tantæ perſpicuitatis, quantæ ab aduerſarijs prædicatur: Negamus etiã ex Hebraico textu corrigendã eſſe vulgatam editionem, quotieſcumq; hæc ab illo diſſidet. Cuius rei duplex eſt ratio. Altera, quòd Hebraicus textus, etiã incorruptiſſimus, ſemota III.

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ auctoritate, longè eſt incertior & magis ambiguus quàm Latinus. Altera, quòd Hebraicus textus, qui iam circumfertur, vitiatus ſit & deprauatus in non paucis locis, in quibus vulgata editio eſt omnino integra & incorrupta. Vtrãque rationem confirmabimus ſequentibus capitibus.

CAPVT VII.

Textum Hebraicum eſſe valde ambiguum.

I. SANCTA hæc lingua ita diuinitus conſtituta eſt, vt vel ſola eius natura euidenter conuincat, verbum ſcriptum minimè ſufficere ad certam fidem è Scripturis eliciendam; ſed prætereà neceſſariam planè eſſe Traditionẽ & doctrinam non ſcriptam: adeo enim eſt ambigua lingua iſta, vt nulla ſit ferè ſententia, quæ non poſſit in diuerſos, imò etiam contrarios ſenſus verti, niſi adſit Traditio & doctrina viuæ vocis, quę oſtendat verum & certũ ſenſum. Quare rectè olim admonuit S. Hieronymus mirum non eſſe, ſi eadem verba in diuerſis locis diuersè tranſtulerit, magnam enim eſſe ſyluam apud Hebræos ambiguorum nominũ atque verborũ, quæ res diuerſæ interpretationi materiam præbet. Huius rei plures ſunt cauſæ, quæ omnes ex ipſa natura Hebraicæ linguæ deſumuntur.

S. Hieron. lib. I. aduerſus Ruffinum ad Pammachium & Marcellinum.

II. Prima cauſa eſt, multiplex ſignificatio omnium ferè vocum, tum verborum, tum nominum, tum dictionũ: nulla eſt enim radix, nulla dictio, nulla litera ſignificans apud Hebræos, quæ nõ habeat diuerſas ſignificationes: vt ſciunt omnes, qui

i linguam Hebraicam vel modicè deguſtarūt
nc multiplicia & ingentia illa Lexica & Dicti-
aria radicum Hebraicarum. Atque vt vnum
ius rei adferamus exemplum: vnica illa litera
:braica ו, quam vocant, Vau, omnia hęc ſigni-
it, *Et, Quia, Vel, Neque, Super, Quantò magis, Ad, In,*
m, Nunquid, Si, Antequam, Poſtquam, Nunc, Quan-
Sic, Sed, Quamuis, Vt, Ne fortè: quorum omni-
exempla ex Scripturis adducit Pagninus lib.
rammaticæ Hebraicæ cap. 22. 23. & 24.

Secunda cauſa eſt, quòd plurima ſint verba a- III.
d Hebræos, quæ in diuerſis coniugationibus
ent contrarias omninò ſignificationes, verbi
ſa ישן in prima coniugatione, quam vocant
, ſignificat, *deſiderare, appetere*: at in ſecunda
iugatione, quæ vocatur *Piel*, ſignificat, *abo-*
ari, deteſtari. שרש, in prima coniugatione
ificat, *radicare ſeu radicem ponere*: in Piel ſigni-
t, *eradicare ſeu radicem euellere.* חטא in prima
iugatione ſignificat, *peccare:* In *Piel* ſignificat,
are ſeu mundare à peccato. Sunt & alia plurima
modi.

ertia cauſa eſt; quia ſunt non pauca verba, quę IV.
adem coniugatione, eodemque modo ſcripta,
ent contrarias omnino ſignificationes: quæ
nde in multis locis diſcerni aut ſaltem certò
oſci nequeunt, niſi ſola Traditione: ver-
ratia, ברך ſignificat *benedicere & maledicere.*
כ ſignificat, *theſaurizare & depauperare.* סור
ificat, *accedere & recedere.* קדש ſignificat,
tificare & prophanare: item, *mundare & immun-*
reddere. נכר ſignificat, *cognoſcere & incogni-*
eſſe. נחם ſignificat, *conſolationem ſeu gau-*
accipere, & rurſus accipere deſolationem,
triſti-

triſtitiam & pœnitentiam. נצר ſignificat *ſeruare & deſtruere.* חרש ſignificat, *operari, ſeu arare, & ceſſare ab opere* Denique, שוב ſignificat *conuertere & auertere*. Item, *reuertere & recedere*, ſic & nomina eodem modo ſcripta contrarias habent ſignificationes: verbi gratia, חטאת ſignificat, *peccatum & ſacrificium, quo aufertur peccatum.* חסד ſignificat, *miſericordiam & immiſericordiam, ſeu crudelitatem, execrationem, & rem nefariam.* Sunt & alia complura ſimilia. Quod cùm non ſatis animaduertant aduerſarij, reprehendunt ſæpe vulgatam noſtrã verſionem immeritò, vt latiùs declarabimus.

Infrà c. 15. 16 17. *huius Controu.*

V. Quarta cauſa eſt, quia vox eodem modo ſcripta poteſt deſcendere à diuerſis radicibus, quæ diſsimiles habent ſignificationes: verbi cauſa ישנו poteſt deſcendere vel à radice, שנה, quod ſignificat *dormire*, vel à radice שנה, quod ſignificat *mutare vel commutare*. Eſt enim ſumma difficultas apud Hebræos in inueſtigandis veris vocum radicibus.

VI. Quinta cauſa eſt maxima ſimilitudo quarundam literarum: Item diſtinctionum & punctorũ, quæ proinde facillimè inter ſe commutantur, ex qua mutatione diuerſi omnino proueniunt ſenſus. Vt de vnico pũcto hic oſtẽdemus שכר quãdo habet punctum in dextra parte, ſignificat *inebriari ſeu ebriũ eſſe*: at verò שׂכר cum puncto in ſiniſtra parte ſignificat *mercari aut mercede cõducere.*

VII. Sexta cauſa eſt, quòd literæ etiam valde diſſimiles, & ſimiliter puncta diſſimilia inter ſe commutãtur; ita vt vna litera ponatur ſæpe loco alterius diſſimilis, & vnum punctũ alterius loco; quę omnia multùm variant ſenſum.

Sep-

Septima cauſa eſt, ſæpe ſubaudiuntur & omittuntur non tantùm literæ, ſed integræ dictiones: quarum defectus mutat valde ſenſum. VIII.

Octaua cauſa eſt, ſæpè redundant tam litteræ quàm integræ dictiones. De his & alijs multis ſimilibus, quæ longum eſſet referre, multa exempla habet Pagninus. IX. *Pagninus lib. 1. Inſt. Hebra. in tribus vltimis capitibus, & per totum librum 4.*

Hinc eſt, quòd nulla ferè ſit ſententia Veteris Teſtamenti in Hebræo textu tam aperta, quæ nõ poſſit verti in varios, imò & impios ſenſus, ſi auferatur Traditio & auctoritas Eccleſiæ. Quòd vt manifeſtiùs fiat, vno exemplo id oſtendemus. In primo verſu primi capitis Gen. qui quamuis ſit perſpicuus iuxta vulgatam noſtram verſionem, tamen peruerti poteſt varijs modis, ſi ſolam Hebraicam literam attendamus ſemota auctoritate Eccleſiæ. X.

Prima peruerſio eſt: *In principio crearunt dij gentium cœlum & terram*; conſtat enim אלהים ſæpe ſignificare, *Deos gentium.* & apud Hebræos non rarò ponitur verbum ſingularis numeri cum nomine pluralis numeri, & præſertim cum nomine אלהים, etiam quãdo ſignificat *falſos Deos*, vt videre eſt Exodi 20. v. 3. XI.

Secunda peruerſio: *In principio crearunt Angeli cœlum & terram.*

Tertia peruerſio: *In principio crearunt Magnates ſeu Iudices cœlum & terram*: ſatis enim conſtat vocẽ אלהים *& Angelos, & Magnates ſeu Iudices* ſignificare.

Quarta peruerſio: *In principio ſuccidit, vel deſtruxit Deus cœlum & terram.* nam ברא ſignificat etiam *ſuccidere vel deſtruere.* Ezech. 23. v. 47.

Quinta eſt: *Propter primitias (id eſt, pingues fructus, vel bona terræ) elegit Deus cœlum & terram.* nam

ברא in ſecunda coniugatione *Piel* ſignificat *eligere*.Ezech.21 v.19. Vbi S. Hieronymus notat hāc vocem etiam poſſe ſignificare *conijcere vel diuinare*.

Atque ita ſexta peruerſio erit: *In principio diuinabat vel conijciebat Deus de cœlo & terra.*

Septima peruerſio: *In principio renouauit Deus cœlum & terram.* nam ברא ſignificat etiam *renouare*. Pſalm.103.(vel ſecundùm Hebræos 104.) verſu 30.

Octaua peruerſio: *In principio creatus eſt Deus ex his cœlis & ex hac terra.* Nam tertia perſona præteriti primæ coniugationis poteſt ſumi paſſiuè: & particula אֵת aliquando ſignificat, *ex*, vt videre eſt 3.Reg.18.v.32. Quòd ſi verba hæc tam aperta tot diuerſis modis verti poſſunt, facilè eſt intelligere quot & quàm diuerſæ excogitari poſſunt interpretationes in obſcuris, & difficilibus Scripturæ locis.

XII. Atque hæc cauſa fuit, cur olim in antiqua lege ſoli Sacerdotes interpretarentur legem, qui veram interpretationem ex Traditione receperunt, iuxta illud Prophetæ Malac. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius* (hoc eſt, iuxta Hebraicam phraſim, *Lex requiretur ex ore eius.*) Huc ſpectat, quod ex antiquis Iudæorum traditionibus refert Elias Leuita in tertia præfatione ante Maſſoreth, Hammaſſoreth; totam legem olim fuiſſe datam à Moyſe vt vnum Paſuch (id eſt, vt vna periodus) ſine vlla diſtinctione aut puncto: legebatur autem per Traditionem.

Malac.2.v.7. Vide etiã Leuit.10.v.9.10. & 11.

CA-

CAPVT VIII.

Puncta Hebræorum malè poſita eſſe in varijs locis.

IAM vt ad ſecundam rationem veniamus, non ſolùm eſt ambiguus Hebraicus textus, ſed in multis etiam locis deprauatus: quæ tamen loca in noſtra vulgata editione adhuc correctè & integrè extant, quippe quæ facta eſt ante illam deprauationem. Quare non rectè faciunt illi, qui reiecto vulgato, & ſyncero textu, confugiunt ad textum Iudaicum iam deprauatum: Deprauatio autem iſta Iudaica probatur ex duplici capite. I.

II. Primum caput ſumitur ex punctis & diſtinctionibus recèns à Iudæis excogitatis. Vbi aduertendum eſt quendam ex aduerſarijs contendere puncta ab initio eſſe data vnà cum lege ab ipſo Moyſe, contra communem ferè omnium ſententiam. Sed ſatis conſtat, quo tempore, quo loco, & à quibus inuenta ſunt iſta puncta, vt paulò pòſt declarabimus, etiam ex ipſorum Iudæorum confeſſione. Imò ſatis compertum eſt ex varijs locis S. Hieronymi; neq; eius adhuc tempore fuiſſe iſta puncta. Vide S. Hieronymum in c. 9. Ieremię, v. 22. ſupra illud, Loquere. item epiſtola 126. ad Euagrium, de Melchiſedech prope finem, vbi agit de ciuitate Salim, & in illud Abacuc 3. v. 5. Ante faciem eius ibit mors. Item in cap. 26. Iſaiæ, ſuper illud, verſu 14. Perdidiſti omnem memoriam eorum. Quare mirum eſt, quòd iſte dicat conſtare inter omnes ſanos, hæc puncta fuiſſe ante Chriſti aduentū. Verùm alter eiuſdem ſectæ longè veriùs pro-

Antonius Rodolphus Ceuallerius gener Tremelli in fine I tractatus Rudimentorum Hebraicæ linguæ.

Petrus Morentinus, Nauarrus in ſua Gram.

matica Hebraica Rupellæ edita anno 1590.

bat (& quidem multis argumentis) puncta iſta eſſe inuenta poſt tempora S. Hieronymi. Iam ſi rationem huius nouæ aſſertionis petimus, aliam ille non adfert, quàm quòd abſque vocalibus & diſtinctionum notis nihil certi firmique habeat ſacra Scriptura: atque ita authoritas illius nõ modò dubia efficiatur: ſed etiam radicitus conuellatur. Atqui hoc totum veriſſimum eſſe, ſi auferatur Eccleſiæ authoritas, iam ſuprà diximus.

III. Hoc igitur relicto, qui diuinat potius quàm probat: oſtendemus primò ratione, deinde confeſſione ipſorum aduerſariorum; denique experientia ipſa, Iudæos adiectione punctorũ, & diſtinctionum non pauca loca Scripturę deprauaſſe. Ratione quidem, quia Iudæi, qui excogitarunt iſta puncta, fuerunt iurati hoſtes Chriſti, & Chriſtianæ religionis. Quare dubium non eſt, quin in iſtis punctis collocandis omnia fecerint, quæ poterant contra Chriſtum.

IV. Aduerſarij etiam illud ipſum fatentur. Lutherus quidem non ſemel conqueritur, Iudæos his mille quingẽtis annis elapſis multum elaboraſſe, vt punctis, diſtinctionibus & alijs modis mutilarent & corrumperent Biblia. & ſicut ſemel crucifixerunt ipſum Chriſtum: ita eos quotidie crucifigere Scripturam nouis pũctis, diſtinctionibus, alijſque corruptelis. Caluinus idem fatetur, & præfert etiam vulgatam editionem his punctis: atque addit in punctis iſtis habẽdum eſſe delectum: eaque nondum fuiſſe tempore Zachariæ Prophetæ.

Lutherus To. 7. Lat. de Iudæis, & eorum mendacijs f. 195. p. 2. edit. VVitteberg. anni 1557. & Tõ 4. in c. 4. Iſai. ad verſ. 6. Caluin. in Zachar. c. 11 v. 7.

V. Denique quòd Iudæi corruperint textum ſuis punctis & diſtinctionibus, experiẽtia cõſtat: plurima breuitatis cauſa omittemus, & ea dumtaxat afferemus exempla, quæ ſunt expreſsè contra Chriſtum.

Pri-

Primus locus Iſaiæ 9.v.6. Vbi dicitur, quòd Chriſtus vocabitur Deus, Pater futuri ſæculi, &c. Septuaginta interpretes habent, Vocabitur, paſſiuè; ſic Chaldæus interpres, ſic & vulgata editio: At mutatis tantùm punctis Iudæi ex paſſiuo fecerunt Actiuum, Vocabit, vt videlicet omnia illa præclara epitheta auferantur à Chriſto & tribuantur Deo Patri: Chriſto verò relinquatur tātū, quòd ſit princeps pacis. Ita hunc locum legentes, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi. Vocabit nomen eius (ſcilicet Meſſiæ) principem pacis. Caluinus agnoſcit hanc Iudæorum deprauationem non vno in loco. *Calu.lib.1. Inſtit.cap. 13.ſect.9. & in cap.9. Iſaiæ v.6.*

VI. In eo tamen fallitur Caluinus, quòd exiſtimet illam non ex punctis malè poſitis ortam eſſe: ſed ex inuerſione verborum. Rectiùs Lutherus, qui etiam punctorum ſiniſtram collocationē agnoſcit. Nunquam enim potuiſſet ſententia hæc peruerti tranſpoſitione verborum, niſi priùs fuiſſent mutata puncta paſſiua in actiua: ſi enim legamus (vocabitur) nulla erit ambiguitas in hac prophetia, nulla obſcuritas, ſed omnia plana erūt & clara. At vbi ſemel verbū paſſiuum (vocabitur) mutatur in verbū actiuum (vocabit) non ſolū eſt obſcurum, ſed etiam ambiguum; quiſnam ſit iſte qui vocat, & quis ille qui vocatur? Patetque locus iſte ad plures alias impias Iudæorum deprauationes: Nā & non pauci ſunt inter Iudæos, qui nihil hic de Chriſto prædici contendunt; ſed omnia de Rege Ezechia, quos recenſet & refutat Nicolaus Lyranus, & poſt illum exactiùs Petrus Galatinus. *Luth.in illa verba Iſaiæ 9.Tom.4.* *Lyran.in cap.9. Iſai. Galatinus lib.3.c.19.*

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE ROMA

VII. Hanc punctorum corruptelam cùm meritiſſimò reprehendiſſet Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Cardinalis Bellarminus, mirum quantùm

Digitized by Google

Franciſcus Iuni⁹, Guilielmus VVittakerus, Ægidius Hunnius contra cap. 2. cōtrouerſiæ 1. Bellarmini.

Iſai. 1. v. 26. Iſaiæ 14 v. 20. Iſaiæ 32. v. 5. Iſaiæ 3 v 8. Iſaiæ 14. v. 5. Iſaiæ 56. v. 7. Iſaiæ 62. v. 4.

laborent Caluini ſectatores, & non nemo Lutheranus, vt Iudæos Chriſti hoſtes excuſent. Summa excuſationis hæc eſt: Non eſſe inſolens apud Hebræos, verbum actiuum tertiæ perſonæ ſumi paſſiuè. Sed quorſum iſta, de quibus nemo quæſtionem mouit? Neque enim reprehendimus Chriſtianos, qui verbum actiuum (vocabit) à punctatoribus malè poſitum, exponunt per verbum paſſiuum (vocabitur;) ſed punctatores ipſos reprehendimus, qui cùm debuiſſent hic poſuiſſe puncta paſſiui verbi, noluerunt id facere, ſicut fecerunt *in alijs multis locis eiuſdem prophetiæ.* Et quemadmodum etiam hunc locum intellexerunt Iudæi omnes, qui hos præceſſerunt; vt ex ipſorum verbis manifeſtè oſtendit Galatinus lib. 3. c. 19. & 26. ſed ex induſtria adiecerunt falſa puncta verbi actiui, idque dumtaxat, vt ſententiam alioqui clariſſimam redderent obſcuram, ambiguam, & expoſitam diuerſis poſteriorum Iudæorum corruptelis.

VIII. Negari enim non poteſt, quin hoc ſit vſitatum Satanæ artificium, per Iudæos, alioſque impios identidem laborare, vt vel omnem planè authoritatem ſacrorum oraculorum eleuet, vel ſaltem eadem reddat obſcura, ambigua & incerta. Nemo igitur, niſi velit eſſe in Chriſtum & in Deum impius, Rabinos iſtos punctatores hac in re excuſauerit. Han eandem corruptelam Iudæorum poſuerunt in Latina ſua translatione Geneuenſes in Biblijs, quæ cum adnotationibus Vatabli ediderunt primò quidem anno 1557. & deinde cum Hebræo & Græco textu, anno 1587.

IX. Secundus locus, Iſaiæ 62. v. 11. vulgata editio habet: Ecce Saluator tuus venit. Sic Septuaginta Interpretes; ſic Chaldæus interpres: quin & S. Hieronym. in illa verba teſtatur, quòd ſuo tem-

pore

pore in Hebræo textu legebatur, Ieſus, id eſt, Saluator. Sed iam mutatis punctis legunt Iudæi, Ecce ſalus tua venit, quam ſalutem referunt ad ipſum Deum Patrem, non ad Chriſtum. Imò non deſunt ex Iudæis, qui contendunt legendum eſſe, Saluatus tuus: verba illorum refert Galatinus. Caluinus autem in Iſaia legit: Saluator tuus cũ *Galat. lib. 6* Vulgata editione contra puncta Hebraica. Sic & *cap. 1.* Biblia omnia Gallica Geneuenſia vertunt, *voicy ton Sauueur, vient.* ſed Vatablus Geneuæ deprauatus editionis anni 1557. & 1587. & Oecolampadius Iudæorum more legunt, Ecce ſalus tua: Verus tamen Vatablus Pariſijs editus anno 1545. habet rectè, Saluator tuus.

Tertius locus eſt Ieremiæ 23. v. 6. vbi vulgata noſtra editio habet, Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum (id eſt, quo vocabitur Chriſtus) Dominus iuſtus noſter. Vbi in Hebræo textu ponitur nomen יְהוָה, quod proprium eſt ſolius Dei, vt proinde hinc efficaciter probemus contra Iudæos Meſſiam promiſſum Patribus verum eſſe Deum: Iudæi vt eludant hoc argumentum, mutato vnico puncto in vltima litera vau (mutant enim vau churec (וּ) in vau holé (וֹ) ex verbo pluralis numeri, vocabunt, fecerunt verbum ſingularis numeri, cum affixo, vt idem ſit, quod vocabit eum, totũ ſenſũ immutantes ad hũc modũ: Hoc eſt nomẽ illius, qui vocabit eũ יהוה Iuſtitia noſtra, ita vt nomẽ illud propriũ Dei יהוה referatur ad Deũ Patrem, vocantem Chriſtum, & nõ ad ipſũ Chriſtũ. Sed tàm Septuaginta Interpretes, quàm Chal- *Caluin. lib.* dæus, probant hanc eſſe deprauationẽ. Caluinus *1. inſtitut.* etiam idem agnoſcit. Præterea Biblia Gallica Ge- *cap. 13.* neuenſia & corruptus Vatablus hic ſequuntur *ſect. 9.* vulgatã editionẽ, repudiatis punctis Hebræorum. X.

XI. Sunt & complura alia loca hoc modo deprauata à Iudæis in libro Pſalmorum, quæ peti poſſunt ex commentarijs Genebrardi in Pſalmos.

XII. Similiter diſtinctionibus ſuis deprauarunt Iudæi textum Hebraicum. Vnum huius rei egregium exemplum adducemus. Daniel. 9. v. 25. præclaram illam prophetiam, de tempore aduentus Christi, conantur Iudæi detorquere ad Zorobabel, qui vixit poſt captiuitatem Babylonicam, & vt hoc præſtent, ſeparant ſeptem hebdomadas à ſexaginta duabus per accentum (quẽ vocant *Athnach*) qui vnam ſententiam diſtinguit ab alia. Hãc diſtinctionem Hebręorum neque Geneuenſes in ſuis Biblijs Gallicis, neque authores deprauati Vatabli ſequi auſi ſunt. Plura de hac deprauatione habet Galatinus. *Galat. lib. 4. cap. 7.*

CAPVT IX.

Textum Hebraicum varijs in locis corruptum eſſe ſaltem ex incuria librariorum.

I. ALIVD argumentum, quo probamus Iudæos corrupiſſe Biblia, deſumitur ex ipſis literis, dictionibus & integris ſententijs, quæ deprauatæ extant in Hebraicis Biblijs partim ex incuria librariorum: partim ex mera Iudæorũ malitia. Verùm vt clariùs intelligatur, quando, & qua ratione id euenerit, obſeruanda ſunt quatuor diuerſa tempora: Primũ erat illud, quod præceſſit Christum, & toto eo tempore, quemadmodum apud Iudæos fuerat vera fides & vera Eccleſia: ita fuerunt apud illos incorrupta Biblia; illa præſertim, quæ à ſũmis Sacerdotibus aſſeruabantur in ipſo templo, vt refert Euſebius

ex

: Philone lib. 8. cap. 2. de Præparatione Euange-
:a.

Secundum tempus fuit ab Aſcenſione Domini II.
ſque ad tempora S. Hieronymi & S. Auguſtini:
: hoc quidem tempore corruperunt Iudæi Sep-
ıaginta Interpretes varijs in locis, vt conſtat ex
Iuſtino contra Triphonem. Legebatur enim Se- *Tertull. in*
:uaginta Interpretum editio Græca in Synago- *ſuo Apol. c.*
:s Iudæorũ eo tempore, vt teſtantur Tertull. & *18. 19. S. Iu-*
Iuſtinus. Imò etiã quingentis annis poſt Chri- *ſti. orat. pa-*
um vſque ad tempora Iuſtiniani Imperatoris, *ranetica*
t conſtat ex libro nouellarum Conſtitutionum *contra gen-*
uſtiniani, cõſtitutione 146. & cũ Chriſtiani mul- *tes.*
ı loca ex Septuaginta Interpretibus obijcerent
ıdæis, illi vt his reſponderent, corruperũt ex in-
uſtria non pauca: qua de re conqueritur S. Iuſti-
us contra Triphonẽ. Nondum tamen aggreſſi
rant Iudæi deprauationẽ Hebraici textus, quòd
te ignotus ferè eſſet Chriſtianis. Quare eo tem-
ore nondũ irrepſerant errores in Biblia Hebra-
:a, ſaltẽ in omnia, ſed erant illa maxima ex parte
dhuc incorrupta, vt teſtãtur etiam S. Auguſtinus, *S. Aug. To.*
ĩctus Hieronymus & Origenes. Proinde Biblia *5. de Ciuit.*
oſtra Latina translata fuerunt ex Hebręo textu, *Dei, lib. 15.*
um ille eſſet integer adhuc, & incorruptus. *cap. 13.*

Tertium tempus fuit à morte Sancti Hiero- *S. Hierõ. in*
ymi vſque ad tempus, quo Iudæi cœperũt cõ- *c. 6. Iſaiæ ad*
onere ſuum Talmud, & hoc tempore poſtquam *v. 9 vbi &*
ım habuiſſent Chriſtiani veram translationem *Orig. citat.*
x incorrupto Hebraico textu, Diuina prouiden- III.
.a factum eſt; vt intra paucos annos exorta ſit
ıaxima deprauatio, & diuerſitas exemplario-
um apud Hebræos, adeo quidem, vt niſi Iudæi
itiùs adhibuiſſent remedium, vix inuenta fuiſ-
:nt duo exẽplaria, quæ in omnibus conuenirẽt,

Digitized by Google

vt teſtatur Elias Leuita Iudæus Præfatione 3. ante librum cuius titulus eſt, Maſſoreth Hammaſſoreth, (hoc eſt, Traditiones traditionum) & rurſus in ſuo Maſſoreth, Tabula 2. Oratione 1. Quare Iudæi vt tanto incommodo occurrerent, conuenerunt in Ciuitate Tiberiade Palæſtinæ anno poſt deſtructionem templi (vt illi computant) 436. hoc eſt, anno Domini 508. aut circiter. Nam templum deſtructum fuit à Romanis anno Domini 72. vt teſtantur Euſebius & Baronius. In hac conuentione Iudęorum inuenta ſunt puncta, diſtinctiones & accentus à duobus Iudæis, Rabbi Aaron filio Aſſer, & Rabbi Iacob filio Nephtalim, qui tamen inter ſe multum diſſidebant in punctatione ipſa. Et orientales quidem Iudæi ſequuntur adhuc punctationem Rabbi Iacob: noſtri verò occidẽtales punctationẽ Rabbi Aaron.

IV. *Hæc omnia* veriſſima eſſe teſtantur & probant ex eorum ſcriptis Galatinus & Genebrardus. Idẽ confitentur ipſi Iudæi Rabbi Dauid Kimki (quẽ maximè laudant Caluinus & Beza) in Pſalmum 60. Elias verò Leuita in 3. Præfatione citata hæc omnia refert ex alijs antiquis Rabbinis. Diuerſæ etiam punctationes & lectiones Rabbi Iacob, & Rabbi Aaron, extant nunc in fine Bibliorum Hebraicorum & Chaldaicorum; quæ Venetijs edita ſunt cum Commentarijs Rabbi Abben Ezra, & aliorum Rabbinorum.

Galat. lib. 1. cap. vlt. Genebrar. in ſua Chronographia ad annum Domini 476.

V. Eodem etiam loco eodemque tempore conſcripſerunt Iudæi impium ſuum Talmud, in quo plurima ſũt blaſphema non tantùm cõtra Chriſtum, ſed etiam contra ipſum Deum & legem naturæ; de quibus Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ, litera T. Verbo Traditiones. Tunc etiam collegerunt Iudæi ſuum magnum Maſſoreth. Et

poſt-

Digitized by Google

ſtquam iam ad arbitrium corrupiſſent vetus
eſtamētū,ſeuerè interdixerūt, ne vllus alijs Bi-
ijs vteretur. Poſtremò ne iſta ſua Biblia in po-
ɛrū vllo modo mutarētur, dinumerauerūt om-
:s verſus & omnes etiam literas Hebraici tex-
s veteris Teſtamenti,quorum omnium nume-
m poſuerunt in ſuo magno Maſſoreth.

Quartum tempus eſt hoc poſtremum,ab eo vi- VI.
licet tempore, quo factum eſt impium illud
almud vſque ad noſtram ætatem:quo tempore
ldè ſuperſtitiosè obſeruāt ſua corrupta Biblia;
eò quidem vt ſi vel caſu in terram corruerint,
agnam & publicam pœnitētiam agant. Sicut et-
m ſuperſtitiosè admodum obſeruant hoc tem-
ɔre ritus Moſaicos iā abrogatos:quos planè ne-
igebant tunc,cùm eſſent ſeuerè ipſis à Deo cō-
endati.

His poſitis oſtendendum erit Biblia, quibus
vtuntur Iudæi,multis ſcatere erroribus, etiam
ipſis Characteribus: & primò quidē adducemus
a loca,quæ videntur ex incuria & negligentia
iſſe corrupta,deinde quæ induſtria & malitia.

Primus locus habetur Pſalmo 18.(vel ſecun- VII.
ım Hebręos 19.)v.5.vbi habent Septuaginta In-
pretes,habet & vulgata editio:legit etiam ſan-
us Paulus:*In omnem terram exiuit ſonus eorum*. Iā
uerſarij cum Iudæis legunt ex Hebræo cor-
pto:*In omnem terram exiuit linea eorum*. Caluin° *Ad Rom. 10, v. 18.*
men contra ſententiam omnium vult legendū
e: *Exiuit Scriptura eorum*. Sed error iſte inde or- *Calu. in Pſ. 19. v. 5.*
s eſt,quòd litera lamed ל,abraſo vel deleto ca-
te,mutata ſit in litteram vau ו:nam קוֹם eſt re-
la eorum,at ſi legatur קֹלָם erit vox vel ſonus e-
um. Hanc deprauationem Iudaicam mordicùs
huc retinent omnia Biblia Gallica Geneuen-
,quę hactenus viderim. Porrò

VIII. Porrò quòd nonnulli hic obijciunt vocem Hebraicam קָו raró ſcribi ſine litera Vau, non tantùm infirmum eſt, ſed & falſum. Infirmũ quidem: Nam quod vel ſemel inuenitur in libris veteris Teſtamẽti purè Hebraicè ſcriptis, id nequaquam cẽſeri debet alienũ ab Hebręa phraſi: atqui ipſimet fatentur hanc vocem non ſemel dũtaxat, ſed & ſæpius in his libris ſcribi ſine Vau litera. Deinde falſum eſt vocem hanc raró (verbi gratia ſexies aut ſepties ad ſummum, vt illi aiunt) ſcribi ſine Vau. Nã in ſolis quinque libris Moyſi (quos conſtat antiquiſſima & puriſſima lingua Hebraica ſcriptos eſſe) ter & quadragies minimum inuenitur hæc vox ſcripta ſine litera Vau. Id quod mihi facilè eſſet ſigillatim oſtẽdere, niſi vererer, ne tot locorum coaceruatione lectori moleſtiã exhiberem. Certè in vnico Geneſeos capite ſcribitur vox iſta quinquies ſine Vau: verbi gratia, Gẽ. 27. v. 8. 13. 22. priori loco 38. in fin. & 43. In Exod. verò non tantùm ſcribitur ſine Vau quater in eodem capite, ſed etiã in eodẽ prorſus verſu bis, videlicet Exod. 4. v. 8. 4. In ipſis etiã Pſalmis ſcribitur ſine Vau, bis aut ter, Pſalmo 17. (vel iuxta Hebręum 18.) v. 14. Pſalmo 94. v. 8. (vel iuxta Hebræos, Pſal. 95. v. 7.) & in correctioribus Biblijs, etiã Pſal. 92. (vel iuxta Hebręum 93.) v. 4. Deniq; ſcribitur etiam ter ſine Vau, cũ hoc ipſo affixo, Mem (quod hic quoque habet adiunctum, & ſignificat eorũ) nimirum, Numerorum 16. v. 34. Item 1. Regũ. 28. v. 23. (vel 24. iuxta alios) & 3. Reg. 20. v. 25. in fine, vt alia plurima exempla prætercam.

IX. *Ad Hebr. 3. v. 10.* Secundus locus, Pſalmo 94. (vel vt aduerſarij poſt Iudæos ſcribunt 95.) v. 10. Septuaginta interpretes, vulgata editio, & Apoſtolus ad Hebræos habẽt, *ſemper errant in corde:* ſed aduerſarij iã vertunt

nt ex Hebræo corrupto: *Populus errantium cor-*
:etiam in editione Bibliorum Geneuenſium,
nni 1605. Cauſa huius error is eſt, quòd Iudæi
anſmutarunt literam Daleth in literam Mem.
am עד ſignificat, ſemper, & עם eſt populus, &
æc duo loca fortè ex induſtria corrupta ſunt,
rius quidem in odium Apoſtolorum; poſterius
erò in gratiam Patrũ Iudęorum, ne viderentur
li ſemper erraſſe.

Tertius locus, Iudicum 19. v. 2. iam Hebraicè X.
abetur in omnibus codicibus, quòd vxor illius
euitæ fornicata fuerit contra illum, vel apud il-
um: Et ita vertunt ex Hebræo corrupto omnes
duerſarij. Conſtat tamen ex antiquis trãslatori-
us & ſcriptoribus, nõ ita vertendũ eſſe, ſed quòd
la irata contẽpſit illũ, vel diſceſſit ab illo ſeu re-
quit eum. Nã 70. verterunt iuxta Romanã edi-
onẽ, καὶ ἐπορεύθη ἀπ' αὐτοῦ, id eſt, & iuit (ſeu re-
eſſit) ab eo. Iuxta editionem Antuerpienſem,
καὶ ὠργίσθη αὐτῷ, id eſt, & irata eſt ei. Vulgata ha-
et, & reliquit eam. Ioſephus qui latè hanc hiſto- *Ioſ. li. 5. ant.*
am proſequitur, nihil omnino de fornicatione *c. 6. iuxta*
ribit: ſed duntaxat de diſſenſione ob aliam cau- *antiquam*
m inter eos orta. Chaldæus ſimiliter de fornica- *verſionem,*
one nihil: ſed duntaxat quòd illa ſpreuit aut cõ- *& c. 2. iux-*
mpſit maritũ. Error iſte in Hebraico textu ori- *ta nouam.*
nem habuit ex mutatione vnius literæ in aliam
millimã: hoc eſt, Heth (ח) in He (ה) nã Verbũ
זנה ſignificat, fornicari: At verbum זנח ſignificat
cedere, ſeu contemnere.

Quartus locus eſt, 2. Regum (vel vt aduerſarij XI.
tãt poſt Iudæos 2. Samuel.) cap. 5. v. 8. deſunt il-
duo verba, quæ habentur in vulgata editione:
opoſuerat præmium, nimirum Dauid, vt cõſtat ex
Paral. c. 11. v. 6. vbi habetur integra ſententia. Idẽ
agnoſ-

agnoſcunt Geneuenſes in Vatablo corrupto, & Biblia Geneuēſia in annotationibus anni 1564. & ipſimet Rabbini teſte Pagnino in ſuo theſauro ad radicem שׁבע.

XII. Quintus locus eſt, 2. Paral. cap. 21. v. 2. Ioſaphat vocatur Rex Iſrael, cùm tantùm fuerit Rex Iuda, vt habent Septuaginta, vulgata editio, & etiam Biblia Geneuenſia Gallica anni 1564. & 1567. Sed in Biblijs anni 1588. & 1605. Geneuenſes poſuerunt errorem Iudæorum, & ſcribunt Ioſaphat Regem Iſrael, contra omnem veritatem.

XIII. Sextus locus, 2. Paral. cap. 26. v. 7. tranſpoſitis duabus literis, Ain, & Mem, mutarunt Ammonitas in מעונים vocem omnibus planè incognitam, vbi Septuaginta Interpretes, & vulgata editio habēt Ammonitas; & rectè, vt patet ex ſequēti verſu. Geneuenſes in Biblijs Gallicis anni 1564. & 1567. ſequuntur Latinā verſionē, ſed in Biblijs Gallicis anni 1588. & 1605. amplectuntur Iudæorum errorem.

XIV. Septimus locus, 2. Paral. 28. v. 19. Achas Rex ſolius Iudæ dicitur Rex Iſrael, mutato nomine Iudæ in nomē Iſrael, vt patet ex Septuaginta Interpretibus, & vulgata editione. Hunc errorē habent omnia Biblia Gallica Geneuenſia.

XV. Octauus locus, Ioſue 21. totus verſus 36. (in quo numerantur quatuor illę ciuitates refugij, quæ erant in tribu Ruben) deeſt in omnibus antiquis Biblijs Hebraicis, & etiā Chaldaicis: imò in illis, quibus adhuc vtuntur Iudæi, vt videre eſt in Biblijs illis Hebraicis, & Chaldaicis, quæ diximus Venetijs eſſe edita, cum Commētarijs Abben Ezra. Idem teſtatur Rabbi Dauid Kimhi. Idē conſtat apertè ex magno Maſſoreth Iudæorum, in quo cōputantur omnes verſus Bibliorum. Ibi

Kimhi in Ioſue.

enim

Digitized by Google

nim omittitur totus ille verſus. Idem notāt do-
ti in Hebręis, Toſtatus, Abuleſis Epiſcopus, An-
reas Maſius, Arias Montanus, & Lucas Brugēſis.
'erum quidem eſt; quòd Chriſtiani animaduer-
ētes manifeſtum hunc defectum, propria autho-
itate addiderint in recētioribus Biblijs hūc ver-
ī ex Septuaginta Interpretibus, & vulgata edi-
one, atque etiā ex 1. Paralip 6. v. 78. & 79. Atque
inc eſt, quòd ex vno verſu fecerint duos (quos ſe-
uūtur etiā Geneuēſes:) at antiqua Biblia Hebra-
:a hoc in loco fuiſſe deprauata ſatis cōſtat.

Toſtatus, Maſius, Mōtanus in c. 21. Ioſue. Brugēſis in annotationibus ad Biblia Latina Louanienſia in eundem locum Ioſue.

Nonus locus, Pſal. 36. (vel ſecundùm Hebræ- XVI:
s, 37.) v. 28. deſunt in omnibus Biblijs Hebraicis
la verba (*Iniuſti punietur*) quæ habētur apud Sep-
ıaginta Interpretes & in editione vulgata: Atqui
ınſtat hæc olim fuiſſe in Hebræo. Nam cùm al-
rni verſus ſequātur ordinem Alphabeti, deeſt
ıla litera, Ain, quæ olim fuit in illis verbis, no-
ıē enim, Iniuſti, apud Hebræos incipit à litera A-
ı, vocāt enim iniuſtos, עוילים, vt videre eſt Iob
ı. v. 18. Nulla eſt enim ratio, cur Pſalmiſta in in-
gro Alphabeto (quo numeri verſuum ſupputā-
ır teſte S. Hieronymo) vnicam literam præter-
itteret. Hūc errorem Iudæorum habēt omnia
:blia Geneuenſia:

S. Hierō. in prol. Galeato.

Decimus locus, Pſal. 144. (vel ſecundùm He- XVII:
·æos, 145.) poſt verſum 13. deeſt in omnibus He-
·aicis Biblijs integer verſus, qui habetur apud
ptuaginta Interpretes, & in vulgata editione,
idelicet: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & nctus in omnibus operibus ſuis.* Porrò ſatis cōſtat o-
m verſum hūc fuiſſe in Hebræo textu. Nā cùm
nguli verſus illius Pſalmi incipiant à ſingulis li-
ris per ordinē Alphabeti, deeſt ſola litera Nun
נ) quæ erat in principio huius verſus, quia vox,
fide-

fidelis, in Hebræo incipit à litera Nun, נ videlicet נאמן. Eſt enim hoc epitheton Dei, Deut.7. v.9. Hunc defectum agnoſcũt, & mirantur ipſi Rabbini, & verus Vatablus, & etiã Geneuenſes in ſuis annotationibus ad corruptum Vatablum: In textu tamen omnia Biblia Geneuenſia omittunt hũc totum verſum.

Pręterea alia quàm plurima eſſe eiuſmodi erra-
XVIII. ta in Hebręo textu compertum eſt ex interpretatione Septuaginta Interpretum. Nam cùm illi habuerint correctiſſima Biblia Hebraica, (vt oſtendemus infrà cap.11.) neceſſe eſt, ea quæ iam extãt, eſſe valdè corrupta; quia in plurimis locis differũt à verſione Septuaginta Interpretũ; præſertim in Pſalterio, & tamen mutata vna, aut altera tantũ litera, habetur idẽ ſenſus, quẽ habẽt Septuaginta, vt ſæpius oſtendit Genebrardus in Pſalmos.

Vide Geneb: in Pſ.4.v.3. & in Pſal. 31.v.4.& in Pſ.67.v. 13.& in Pſ. 109.v.3.

Denique menda hæc Bibliorum Hebraicorũ apertè prodit ingens illud Maſſoreth Iudæorũ; in quo continentur infinitæ correctiones, & variæ lectiones. Vbi obſeruandum eſt, illud par-
XIX. uũ Maſſoreth, quòd habetur in vltimo tomo apparatus Bibliorum Hebraicorum Antuerpienſiũ eſſe minimum ex tribus Maſſorethis Iudæorum; quanquam & iſtud habeat pluſquàm octingenta loca inter ſe diuerſa.

Eſt enim & alia magni Maſſoreth epitome, quam confecit Rabbi Iacob, filius חיים Chaim, quæ etiã extat in fine Bibliorũ, quæ Hebraicè & Chaldaicè Venetijs edita ſunt, cum Cõmentarijs Rabbinorum, de quibus ſuprà: In qua epitoma multò plura ſunt loca notata, quàm in parua epitoma Antuerpienſi. Sed præter duas iſtas epitomas, eſt & ipſum integrum Maſſoreth, quod magnitudine excedit omnes libros Bibliorũ, & ferè

non

Digitized by Google

non habet finem emendationum, vt apertè ſcribit Elias Leuita Iudæus, in præfatione illa 3. citata; vbi etiam teſtatur ſe vidiſſe & legiſſe magnum illud Maſſoreth. Conſtat ergo vel ex ipſorum Iudæorũ cõfeſſione, innumera irrepſiſſe mẽda in illorũ Biblia Hebraica, ſaltẽ ex incuria librariorũ.

CAPVT X.

Quòd Iudæi pleraque loca Scripturæ ex induſtria corruperint.

PLERAQVE loca Veteris Teſtamẽti nõ tãtùm ex incuria, ſed etiã ex induſtria à Iudæis corrupta eſſe oſtendi poteſt ex varijs ſacræ Scripturæ locis. Sed ne ſimus in his nimis prolixi, ſatis nobis erit ſeptem loca, exempli cauſa, adduxiſſe. 1.
Primus eſt Pſalmi 21. (vel iuxta Iudæos, 22.) verſu 17. vbi vulgata editio habet egregiam illam prophetiam de crucifixione Chriſti: *Foderunt manus meas, & pedes meos*: in omnibus libris Hebraicis, quibus Iudæi vtuntur, imò in ipſis Biblijs Regijs Antuerpiæ excuſis, corruptè ſcribitur ad hũc modũ: *Sicut leo manus mea, & pedes mei.* Nam Hebræum verbum כרו (ſeu vt nonnulli volunt כארו) id eſt, *foderunt*, mutarunt Iudæi in כארי, quod ſignificat, *ſicut leo.* Corruptela hæc adeo eſt manifeſta, vt nemo ferè ſit ex Chriſtianis, qui eã nõ cognoſcat, Caluinus præſertim, & ante eũ Lutherus, & Martinus Bucerus Caluini olim Magiſter. At verò Tigurini Geneuenſiũ ſocij in ſuis Biblijs Latinis Tuguri editis anno 1543. nõ ſunt veriti Iudaicã hãc deprauationẽ textui inſerere: Ita enim vertunt, *ceu leo manus mea & pedes mei*, & verbum, *foderunt*, reiecerunt in marginẽ. At ſatis conuincitur

Marcerus ad theſaurum Pagnini in radicē ארה & כור

Caluin.
Luther.
Bucer. in hunc Pſal.

citur iſta corruptela ex translatione Septuaginta Interpretũ, qui multis annis ante Chriſti aduentum tranſtulerunt, ſicut nos habemus, *foderunt*. Idem probat antiqua illa editio Chaldaica, qua adhuc vtuntur Indi & AEthiopes, quamuis recentior Chaldaica, quæ eſt in Biblijs illis Antuerpiẽſibus, & qua iam vtuntur Iudæi, habeat hanc eandem corruptelam: Nam iſta facta eſt trecentis & eo amplius annis poſt Chriſtum, cùm prior fuerit facta ante Chriſti aduentum: de qua re vide Galatinum lib. 8. cap. 17.

II. Scio non paucos libros Iudęorum habere in ipſo textu בארי (*hoc eſt foderunt.*) Verùm id dolo malo ab illis factum eſt. Quod vt clariùs intelligatur, obſeruandum eſt multa eſſe loca Scripturę, quæ aliter leguntur à Iudæis, quàm ſcribantur in ipſo textu: quæque ſolent aliquo ſigno notari & in margine etiam ſcribi integrè eodẽ modo, quo ab illis leguntur: Iudæi autem ſemper præferunt illud, quod legitur ſeu notatur in margine, illi, quod ſcribitur in ipſo textu: exiſtimant enim illud, quod legitur in margine eſſe correctionẽ vitioſę Scripturæ textus. Quare etſi in nõnullis Biblijs ſuis ſcribãt in ipſo textu *foderunt*, vt ita imponãt Chriſtianis, qui illorũ dolos ignorãt, nihilominꝰ notãt in margine legẽdũ eſſe *ſicut leo*; proinde quocumq; tãdẽ modo ſcribãt in textu, ſemper legũt *ſicut leo.* Et hãc ſolam agnoſcunt veram eſſe lectionem, vt bene obſeruauit Galatinus cap. 17. citato. Quare non ex ignorantia, ſed ex mera malitia & introduxerunt & adhuc retinẽt Iudæi hãc deprauatam lectionem; vt hac ratione tam præclarum oraculum de Chriſto prorſus obſcurent, aut certè dubium & incertum reddant.

III. Hanc tamen duplicem lectionem nõ eſſe adeò anti-

antiquam, ſed multis ſæculis poſt Chriſti aduentum excogitatã fuiſſe à recentioribus Iudæis, inde conſtat, quòd illa incognita fuerit etiam punctatoribus illis Rabbi Aaron & Rabbi Iacob (de quibus præcedenti capite) & omnibus antiquioribus Maſſorethis. Nam Rabbi Iacob filius חיים Chaim in illo ſuo Maſſoreth, quod extat in fine Bibliorũ Venetorũ, quibus coniuncta ſunt commentaria Rabbinorum, cùm agit de litera Aleph ante Reſch, dicit quidẽ in quibuſdam libris correctis (ſed veriùs dixiſſet corruptis) in ipſo textu ſcribi כארו, (id eſt, *foderunt*) ſed in margine notari, legendum eſſe, כארי, (id eſt, *ſicut leo.*) Addit tamẽ (veritate ipſa coactus) ſe quæſiuiſſe hanc duplicem lectionem in Maſſoreth, quod ſuo tẽpore extabat, & nihil tale in eo inueniſſe. Præterea ſe eamdem quæſiuiſſe inter varias lectiones orientaliũ & occidentalium Iudæorum (hoc eſt, RR. Iacob & Aaron:) Sed neque inter illas hanc duplicẽ lectionem fuiſſe numeratam. Quare duplex iſta lectio tempore huius Rabbini proculdubiò nondum irrepſerat in Maſſoreth Iudæorum: quamuis hoc tempore inſerta legatur in paruo illo Maſſoreth ab Aria Montano nuper edito in Apparatu Bibliorum Antuerpienſium. Sed neque in hũc vſque diem irrepſit iſta duplex lectio in varias illas lectiones RR. Iacob, & Aaron, vt videre eſt in fine illorũ Bibliorũ Venetorum. Vbi (vt ſuprà etiam diximus) continentur hæ diuerſæ lectiones. Denique lectionem hanc nouam Iudęorũ, כארי (id eſt, *ſicut leo*) nec Grammaticæ Hebraicæ, nec ſenſui verborum conuenire clarè probat Ioannes Iſaac Leuita ex Iudæo Chriſtianus, atque in Hebraicis literis benè eruditus; quem cõſulere poterit, qui de hui⁹ loci deprauatione plura deſiderat.

Suprà c.9. §.3.

Suprà c.6. §.4.

Ioan. Iſaac in defenſione veritatis Hebraicæ, lib.2.

IV. Secundus locus Geneſ. 49. v. 10. in præclara illa prophetia Patriarchæ Iacob de Chriſto, vbi vulgata editio habet: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c. donec veniat qui mittendus eſt*: olim in Hebræo *erat* שלוח *Schiloah, Miſſus* (id eſt, *mittendus*, præteritum pro futuro more Prophetarum.) Eſt enim hoc vnum ex proprijs nominibus Meſsiæ, quod etiam habetur rectè ſcriptum Iſaiæ 8. c. v. 6. Hinc Ioannis 9. v. 7. Siloe interpretatur Miſſus: & ſanctus Auguſtin. in illum locum dicit per Miſſum ſignificari Chriſtum. Chaldæus etiam ita habet, *Donec veniat Meſsias, cuius eſt regnum.* Septuaginta Interpretes verterunt, *Donec veniant, quæ repoſita ſunt ei*, ſeu (vt antiquiores Patres legunt:) *Donec veniat, cui repoſitum eſt* (ſupple regnum Iſrael.) vtrumque verò eſt quædā periphraſis Meſſiæ. Caluinus fatetur probabile eſſe Iudæos hunc locum deprauaſſe. Verùm Iudæi reuera non vno modo nomen Chriſti Siloe corruperunt. Nam in primis adiecerunt Iod litteram; deinde literam Cheth mutarunt in He, & quia videbant hoc eſſe contra Grammaticam; rurſus dicunt He (quod ipſi adiecerunt) poni loco Vau. atque hæc omnia faciunt, vt ex nomine Meſſiæ, Siloe, faciant nomen ciuitatis Silo, quò poſſent hanc prophetiam trahere vel ad Regem Dauidem, quemadmodum facit Rabbi Ioſeph, teſte Pagnino, vel ad Regem Saul, vel ad Ieroboam, vel denique ad Nabuchodonozor Regē Babylonis, vt teſtatur Galatinus. Atque in hunc modum prophetiam de Chriſto alioqui claram & firmam varijs ſuis deprauationibus efficiunt infirmam & planè ambiguam. Hanc tamen corruptelam habent omnia Biblia Geneuenſia.

Aug. tract. 44 in Ioan.

Vide annotationes in editionem Romanam Latinā Septuaginta Interpretū in Geneſim ad hūc locū.

Caluin. in c. 49. Gen. ad v. 10.

Pagn. in radice שיל.

Galat. lib. 4. cap. 4.

V. Tertius locus Iudicū 18. v. 30. in vulgata editione

e dicitur, quòd Gerſon fuit filius Moyſi. I-
habent Septuaginta in libris correctioribus,
: Theodoreto. Et tamē in Hebræo textu, qui
circumfertur, dicitur quòd Gerſon fuit filius
ıaſſes. Nam Iudæi interpoſita vna litera Nun,
arunt nomen Moyſi in nomen Manaſſes;
:ilicet videretur Moyſes habuiſſe impium ne-
m Ionatham filium Gerſonis. Porrò hoc
ım eſſe dedita opera inde cōſtat, quòd adhuc
lebraicis libris illa litera, Nun, addita pona-
ɔaulò altiùs quàm cæteræ literæ; vel notatur
ılo, vel denique circulo & etiam ſitu notatur.
ıcuenſia Biblia Gallica, etiā anni 1605 in tex-
ɔrruptè legūt Manaſſes pro Moyſe; ſed ijdem
ıeuēſes in Vatablo ſuo corrupto agnoſcūt lo-
eſſe deprauatum ob cauſam iam dictam: & ſi-
ter in ſuis annotationibus ad marginem Bi-
rum, quæ Gallicè ediderunt anno 1564. quā-
n non rectè excuſent hanc Iudaicam depra-
onem, dicunt enim Ionatham illum idolo-
ım nepotem Moyſi, fuiſſe imitatione, non
ra filium Manaſſe, quòd imitatus fuerit ido-
:riam Regis Manaſſe. Atqui iuxta textum
auatum Iudæorum non dicitur Ionathā fili-
ʼanaſſe, ſed Gerſon dicitur Manaſſe filius, qui
ıe imitatione dici poterat filius Manaſſe, cùm
dicat Scriptura de Gerſonis idololatria. De-
Ionatham iſte idololatra multis ſæculis prę-
t Manaſſem Regem Iudęorum, inſignem illū
ɔlatram, quem proinde imitari non poterat
ıtham: poſterior enim tempore priorem imi-
r, non prior poſteriorem, quem nunquā ag-
it.

Quartus locus Iſaię 53. v. 8. vulgata habet: *Prop-* VI.
ſcelus populi mei percuſſi eum. Ita Septuaginta,

ita Chaldæus in ſingulari numero, ita Caluinus, ita Geneuenſes in ipſo textu: quamuis ann. 1588. & anno 1605. collocent etiam aliam lectionē deprauatam in margine: iam in omnibus Hebraicis libris addita eſt litera, Mem, inter duas vltimas literas. Cū enim olim fuiſſet לו (id eſt, illi) in ſingulari numero (nam ad verbum habetur in Hebræo, *plaga illi*) iam eſt in Hebræo, למו (id eſt, illis) in plurali. Atque ſecundùm hanc lectionem populus Iſrael, & non Chriſtus dicetur percuſſus propter noſtra peccata. Tempore quidem ſancti Hieronymi iā irrepſerat iſte error in quoſdam libros: quare B. Hieronymus vtroque modo explicat hæc verba, ſed Catholicè. Verum poſtea meliùs innotuit iſta fraus Iudæorum, nam recentiores Iudæi apertè contendunt totum hoc caput non de Chriſto, ſed de ipſis Iudæis eſſe intelligendum: quòd ſcilicet illi patiantur iſta omnia propter peccata Chriſtianorum. De qua re Galatinus, qui etiam benè refutat hunc Iudæorum errorem.

S. Hieron. in Iſaiam.

Galat. li. 8. c. 15.

VII. Quintus locus Ieremię 33. v. 16 ita habet vulgata editio, *Hoc eſt nomen quod vocabunt eum* (videlicet Chriſtum) *Dominus iuſtus noſter*. Vbi nomen יהוה, quod ſoli Deo conuenit, tribuitur Chriſto. Sic Septuaginta: ſic Chaldæus legunt pronomen (*eum*) in genere maſculino, vt referatur ad Chriſtum: At verò Iudæi, qui negant Chriſti diuinitatem, varijs modis deprauarunt hunc locū, nam & puncta mutarunt, & literas aliquot. Olim enim ſcribebatur hæc ſententia eodē modo, quo nunc ſcribitur Ieremiæ 23. v. 6. de quo loco ſuprà diximus. Sed iam ita habetur in omnibus Biblijs Hebraicis: *Et iſte qui vocabit eam* (videlicet Ieruſalē) *Deus iuſtitia noſtra*. Vatablus incorruptus Pariſijs editus, & Biblia Gallica Geneuēſia antiquiora, id eſt,

Suprà c. 8. §. 10.

eſt, anni 1564. legunt eo modo, quo vulgata.
At verò Biblia Geneueſia recẽtiora anni 1588. VIII.
1605. poſt Caluinum & Bezam, ſimiliter Vataus corruptus partim ſequuntur deprauationem dæorum, partim noſtram verſionem. Nam :rbum (*vocabitur*) paſſiuè legũnt, non actiuè, m vulgata editione, ſed pronomen referunt ad uſalem, nõ ad Chriſtum, vt faciunt Iudæi, hoc odo. *vocabitur ea* (videlicet Ieruſalem) *Deus iuſti- noſtra*. Quæ lectio multò abſurdior eſt, quàm a Iudæorum, nam etſi Eccleſia vocetur corpus hriſti, & aliquando Chriſtus, nunquam tamen ocatur Eccleſia verus Deus, vel iuſtitia noſtra; cleſia enim dicitur corpus Chriſti, aut Chriis ratione humanitatis Chriſti, nõ ratione diuitatis eius, quã ſignificat vox יְהוָה: quę proinde illi creaturę tribuitur in Scriptura, ſed ſoli vero co: vt agnoſcunt etiam ipſi Iudæi.

Sextus locus Zachar. 9. v. 9. vulgata ita habet: *ce Rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator*. Ita Se- IX.
uaginta, ita Chaldæus: ſed iam in omnibus Biijs Hebraicis habetur: *Iuſtus & ſaluatus*: Mutarũt im hic Iudæi & puncta & vnã aut alterã literã. nctus Hieronymus teſtatur ſuo tẽpore in He- *S. Hier. in c.*
æo fuiſſe, *Ieſus*, id eſt, *Saluator*. Biblia Geneuen- *9. Zach.*
antiquiora anni 1564. habent *Saluator*, vt & ılgata editio: ſed recentiora an. 1588. & 1605. oſt Bezam & Vatablum corruptum legunt *ſeruns ſeipſũ*. Verùm Caluinus ingenuè fatetur eos uſtra laborare, qui in Hebræo ex verbo paſſiuo *Cal. in c. 9.*
onatur facere actiuũ: quod faciunt Beza & Vata- *Zach. v. 9.*
lus corruptus. Deinde quòd Meſſias ſe ipſũ ſaluait, facilè concedunt Iudæi, ſed negant aliorum alutem æternam ab illo pendere. Nam quod ait Caluinus: Si ſeruatur ipſe Meſſias, conſequens eſ-

ſe, eum alijs quoque ſalutem adferre, negabunt planè Iudæi, & meritò; neque enim omnis qui ſaluatur, poteſt alijs ſalutem afferre, præſertim toti mundo. Saltem nemo non videt corruptelam hanc Iudaicam, certam illam Chriſti poteſtatem & vim ſaluandi alios, quam antiqua & vera lectio euidẽter probabat, incertam & dubiã reddere. Neque enim cogetur vnquam Iudæus fateri verbum natura ſua paſſiuum, cõtra cõſuetã vſurpationẽ actiuè accipi debere; aut eum qui ſe ſaluat, alios etiã omnes ſaluare poſſe.

X. Septimus locus, eodem cap. 9. Zachar. v. 11. apertiſſimè dicitur de Chriſto in vulgata & Septuaginta; *Tu in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Iudæi adiecta minima litera, Iod, & mutatis punctis, detorquẽt totã hanc ſententiam ad Synagogam Iudæorũ, quaſi iſtam, & non Chriſtũ hominem alloqueretur Deus, vt bene notauit Frãciſcus Ribera. Hãc Iudæorum deprauationem habent omnia Biblia Geneuenſia. id quod magis culpandũ eſt in iſtis, qui fatentur hoc intelligendum eſſe de ſanguine Chriſti, quàm in Iudæis, qui volunt hoc intelligẽdum eſſe de ſanguine animalium. Nã teſtamẽtũ nouũ, Chriſti ſanguine ſancitum, in Scriptura vbique appellatur teſtamentũ Chriſti, nuſquam teſtamẽtũ Eccleſiæ: neque enim ſanguine Eccleſiæ, ſed Chriſti ſanguine ſancitum eſt. Caluinus, vt hoc abſurdũ euitet, contendit illud intelligẽdum eſſe non de ſanguine Chriſti, ſed de sãguine animalium, qui tẽpore Zachariæ Prophetæ quotidie fundebatur in ſacrificijs Iudæorum. Qua in re egregiè imitatur Iudæos. Verùm probatio, quã ex Hebræo textu adfert Caluinus, valdè eſt infirma, & orta ex Hebraicæ linguæ ignorantia: dicit enim

Ribera in c. 9. Zach. v. 11.

Annotationes Bibliorũ Geneueſiũ anni 1564. & 1588.

Calu in hũc locũ Zach.

m pronomen את(id eſt, *Tu*) eſſe feminini ge-
is, & proinde non referre Chriſtum, ſed Syna-
gam: Latinos autem & Græcos fuiſſe deceptos
bigua loquendi forma. Nam quòd arbitrarē-
pronomen *Tu* eſſe maſculini generis, putarūt
c verba dirigi ad Chriſtum. At verò non Lati-
& Græci Patres, ſed ipſe Caluinus decipitur.
m Hebræa vox את (id eſt, *Tu*) abſque litera ה
ine non eſt tantùm fœminini generis, ſed cō-
nis, id eſt, tā maſculini, quàm fœminini. Imò
ies ad minimum in veteri teſtamento legetur
vox את in maſculino genere abſque He in
:quę octo loca videre eſt apud Pagninū in ra-
e את. Ex his ſatis euidenter cōſtat Iudæos nō
ica loca veteris teſtaméti deprauaſſe etiā ex in-
tria. Non deſunt & plura huius rei exempla,
e breuitatis cauſa omittimus.

Verùm illud omittendum non eſt, hanc pro- XI.
tam Iudæorum audaciam in deprauādis Scrip-
is, vel ex illis, qui ipſimet ſcribunt, euidenter
uinci. Recitat enim Galatinus ex Iudæorum *Galat. l.* 1.
lmud tres modos, quibus ſolent vti in depra- *c.* 8.
idis ſacris Scripturis. Porrò Elias ille Leuita, &
gione & origine Iudæus, qui ſuorum fraudes
itus perſpectas habebat, in præfatione 3. in ſuū
ſſoreth, & pleniùs in ipſo ſuo Maſſoreth, tabu-
.oratione I. (quæ omnia ex Hebræo tranſtu-
Sebaſtianus Munſterus an. Domini 1539.) lōgè
res modos enumerat, quos ille ad ſeptem re-
xit.

Sunt tamen in vniuerſum hi duodecim modi. XII.
imus eſt: Notāt in margine ſuorum Bibliorum
endam eſſe literam, quæ non ſcribitur in tex-
2. Notant non eſſe legendam literam, quæ ſcri-
tur in textu. 3. Notant vnam literam eſſe cōmu-

tādā in aliā, idq; in omnibu fere literis Alphabeti. 4. Literas eſſe tranſponendas. 5. Priorem dictionem ſurripere poſteriori primam literam. 6. Poſteriorem ſurripere priori vltimam literam. 7. Integras dictiones, quæ ſcribuntur, non eſſe legendas. 8. Integras dictiones eſſe legendas, quæ nō ſcribuntur: & tunc in textu relinquunt ſpatium vacuum, in quo ſcribunt ſola puncta illarum dictionum, quæ legi debent. 9. Ex duabus dictionibus faciunt vnam. 10. Ex vna faciunt duas. 11. Vnā dictionem integram mutant in aliam, affirmantes illam ſcriptam loco huius. 12. mutant puncta, accentus, & diſtinctiones: quorum omnium modorum adducit Elias ibidem varia exēpla. Porrò his omnibus modis mutatur planè ſenſus Scripturæ. Ex quibus facilè eſt animaduertere, quàm ſint Iudæi ſolertes & ingenioſi in deprauanda Scriptura.

XIII. Præterea docent ſuos diſcipulos peruertere Scripturas: perſuadent enim illis id licitum eſſe, ſi modò iſtud fecerint, vt Chriſtianos decipiant. Enimuerò axioma eſt apud Rabbinos receptum (vt ex ipſorū Talmud recitat Galatinus) bonum eſſe auferre literam vnam à lege, vt ſanctificetur nomen Dei in publico.

Gal. lib. 1. c. 8.

XIV. Demùm & illud obſeruandum eſt circa Iudæorum deprauationes, quòd illæ non ſint factæ cōmuni omnium Iudæorum conſenſu, ſed paucorū Rabbinorum malitia: illorum præſertim duorū, qui puncta & diſtinctiones excogitarūt, (de quibus ſuprà) quique impiiſſimum illud Talmud confecerunt. Quare has ipſorum deprauationes volebant incognitas eſſe non modò Chriſtianis, ſed etiam cæteris Iudæis, qui tanta impietate offendi poterant: & vt hoc faciliùs præſtarent, aſſeuera-

Suprà c. 9. §. 3.

Digitized by Google

uerabant ſuas correctiones non eſſe ſuas, ſed ipſius Eſdræ Prophetæ, teſte Galatino. Quod planè abſurdum. Nam in libro ipſius Eſdræ, & etiam Nehemiæ, inter illas correctiones, notant plura quàm triginta loca dubiæ lectionis: atqui nō poterat ipſe Eſdras dubitare de his, quæ ipſemet ſcripſerat, aut de illis, quæ ſcripſerat Nehemias, qui cum ipſo vixit. Et hinc eſt, quòd Rabbini iſti auſi non fuerint corrumpere omnia prorſus loca, quæ de Chriſto extant in veteri Teſtamento, ne impietas eorum omnibus palàm fieret: ſed illa dumtaxat deprauarunt, quæ faciliùs & ſine ſuſpicione fraudis deprauari poterant, vno ex illis duodecim modis iam recenſitis. *Gal. c. 8. citato in princ.*

Ex his ſequitur primò, aduerſarios immeritò reijcere vulgatā editionem, quòd iſta nō conueniat in omnibus cum textu Hebræo tam deprauato & corrupto. Secundò, diuina prouidentia factum eſſe, vt haberemus vulgatam editionem ex Hebræo textu, antè quàm ille deprauaretur, atque etiam, vt Hebræus textus non adeo deprauaretur à Iudæis, quin ex vulgata editione reſtitui & corrigi poſſit. Tertiò eadem prouidentia effectum, vt ſtatim poſt factam vulgatam editionem deprauaretur textus Hebraicus: ne videlicet reiecta communi verſione, confugeret quiſpiam ad textum Hebraicum: vt iam faciunt aduerſarij. Quartò, veriſſimum eſſe, quod ſuprà diximus, illos, qui reiecta vulgata editione, confugiunt ad textum Hebraicum, cùm agitur de rebus ad fidē ſpectantibus, nihil inde certum elicere, ſed potiùs fidem reddere infirmam, incertam atque dubiam. XV.

CAPVT XI.

De textu Græco Septuaginta Interpretum.

I. INTERPRETATIO Septuaginta veteris Teſtaméti reijcitur ferè ab omnibus aduerſarijs, cùm illa diſſentit ab Hebræo textu, ſed non rectè. Nam Septuaginta illi ſeniores & multa addūt myſteria de Christo, quæ ex antiqua traditione habebant; & multa loca ambigua atque difficilia Hebraici textus clariùs exponunt.

II. Præterea Patres omnes veteris Eccleſiæ maximi fecerūt eorum verſionem, neque enim alia vtebantur illi vt plurimum. Loca Patrum fusè citat Iodocus Coccius in ſuo Theſauro Catholico. Hiſtoriam iſtius editionis integram ſcribunt Ariſteas oculatus teſtis in libro de hac re, Philo lib. 2. de vita Moyſis, Ioſephus lib. 12. antiquitatū, c. 2. Epiphanius in lib. de menſuris, & ponderibus, vt alios complures omittamus.

Coccius tō. 1. li. 6. ar. 2.

III. Tria autem ſunt, in quibus præexcellunt Septuaginta cæteris Interpretibus. Primum, quòd fuerint tot viri docti; hoc eſt, Septuaginta duo: ſex videlicet ex ſingulis tribubus. Secundum, quòd habuerint incorruptiſſimum prototypon, nimirum ipſum exemplar Templi ſcriptum aureis literis, quod ipſius Eſdræ manu deſcriptum ferebatur. Tertium, quòd approbata fuit iſta verſio ſolēniter ab omnib. Iudęis, & ſeuerè interdictū, ne ab vllo reijceretur. Hæc omnia referūt citati Auctores.

IV. Porrò fallitur multùm Caluinus, cùm ſcribit verſionem hanc Græcam Septuaginta factam eſſe poſt bella Machabæorum, & profanationē tēpli: nam omnes citati authores & cæteri omnes Hiſto-

Caluin. lib. 1. Inſtit. c. 8. ſect. 10. Ioſephus l. 12 ant. citato c. 7. Vide Chro-

Hiſtoriographi teſtantur hanc verſionem factam *nol. Genebrardi.*
eſſe multis annis ante Machabæos. Imò in bellis *Vide 1. Macha. 1. v. 59.*
illis Machabæorum, & vaſtatione templi probabile eſt, illa Biblia manu Eſdræ conſcripta periiſſe. Proinde diuina prouidentia factum eſt, vt extaret verſio Septuaginta, antequam perirent illa Biblia incorruptiſſima.

V. Sed illud præterea eſt maximi momenti, quòd ab Apoſtolis, & tota primitiua Eccleſia fuerit recepta, & approbata iſta verſio Septuaginta. Nam non aliam tradiderunt Apoſtoli Gentibus conuerſis ad fidem, nec aliam approbatam habuit Eccleſia primitiua quadringentis annis poſt Chriſtum. Abſurdum enim eſt exiſtimare Apoſtolos tot Gentibus conuerſis nullam reliquiſſe authenticam Scripturam, ſed penitus deprauatam.

VI. Apoſtoli autem non ſolùm citarunt iſtã editionem Septuaginta, ſed multa etiam ex illa probarunt contra Iudæos, quæ alioqui in Hebræo erãt ambigua: vt qui ſcirent Septuaginta Interpretes tantæ eſſe authoritatis apud omnes Iudæos, id quod ſatis probãt ea, quæ Philo & Ioſephus Iudæi *Philo, & Ioſeph. locis citatis.*
de his ſcribunt. Probat, verbi gratia, Paulus Apoſtolus *Chriſtum non vidiſſe corruptionem*, ex Pſalmo 15. (vel iuxta Hebræos 16.) v. 10. *Act. 13. v. 35. 36. 37.*
Vbi tamen vox Hebraica שחת non tam corruptioně ſignificat quàm ſepulchrum. Sic ad Hebræos 1. v. 6. & ad Hebr. 2. verſ. 7. quod eſt Hebraicè אלהים, & Deum propriè ſignificat, Apoſtolus ſequutus Septuaginta Interpretes de Angelis interpretatur. Itẽ ad Hebręos 7. v. 4. Apoſtolus probat ex Septuaginta, Abraham dediſſe decimas, Melchiſedech (non accepiſſe ab eo) quod in Hebræo textu eſt ambiguum: Imò argumenta omnia, quæ deſumit Apoſtolus à voce Teſtamenti, tum ad Heb. 9. v.

16. 17.

16.17.tum ad Galatas 3.v.15.ſecundùm verſionem Septuaginta magnam vim habent:at non ſecundùm vocem Hebraicam ברית,quæ ſignificat etiam pactũ inter viuos,vt agnoſcit ipſe Caluinus.

Caluin. in c.9.ad Heb.v.16.

VII. Adde(quod & amplius eſt)quando Septuaginta Interpretes expreſsè addunt aliquid ad textum Hebraicum,Apoſtoli & Euangeliſtæ,relicto textu Hebraico,ſequuntur Septuaginta;verbi gratia, Luc.3.v.36.In Genealogia Chriſti ponitur, *Chainan*,qui non habetur in Hebraico textu. Similiter Acto.7.v.14.dicitur quòd Septuaginta quinq; animæ ingreſſæ ſunt Aegyptum;cùm in textu Hebraico habeatur,quòd Septuaginta dumtaxat ingreſſæ ſunt.

Geneſ.11.v.12. Geneſ.46.v.27.

VIII. Sed quia hunc deprauata eſt iſta verſio Septuaginta in multis locis, partim à Iudæis, partim ab hæreticis(quod etiam ſæpiùs conqueritur S.Hieronymus)non poſſumus iam ei fidem adhibere in omnibus.Certiſſima porrò regula,qua diſcerni poſſunt loca incorrupta à corruptis, hæc eſt, Quando locus aliquis ex Septuaginta citatur in nouo Teſtamento ab Apoſtolis,vel quando citatur eodem modo ab omnibus Patribus antiquis, vel quando conuenit cum vulgata editione,locus ille incorruptus erit. alioqui dubium eſſe poteſt, ſitne corruptus, an non. In reſtituenda verò hac editione Septuaginta ad priſtinam integritatem, multùm laborauit Sixtus Papa Quintus,vt videre eſt in editione Romana Septuaginta Interpretum, tam Græca,quàm Latina.Qui plura deſiderat de iſtis Septuaginta Interpretibus, conſulat Bellarminum,lib.2.de Verbo Dei,c.6.& Iacobũ Gretſerum eius propugnatorem,ad idem caput.

S.Hieron. Præfatione 1.in Parali. ſeu epiſt.107.Item epiſt.108.& 89 ſub fine.

CA-

CAPVT XII.

De Græco textu Noui Teſtamenti.

QVod attinet ad Noui Teſtamenti Græcum textum, qui iam circumfertur ab aduerſa- I.
rijs, in quo etiam illi ſingulare ſuum perfugium collocãt, dubium non eſt, quin ille in varijs locis ſit corruptus, partim incuria librariorũ; partim fraude antiquorum hæreticorum, & conſequẽter non adeò idoneus eſt ille textus ad gignendam fidem, vt exiſtimant aduerſarij, niſi accedat Eccleſiæ auctoritas. Id quod his argumentis probatur. Primum ſumitur ex antiquis Patribus, etiam ex illis, qui proximi fuerunt Chriſto. Hi enim ſæpius conqueruntur Græcum textum Noui Teſtamenti ſua iam ætate fuiſſe deprauatum, quare multò magis nũc noſtra ætate erit ille corruptus. De hac enim corruptela conqueruntur S. Irenæus lib. 1. c.29. Tertull. lib.5. contra Marcionem, Origenes in c. vlt. ad Rom. ad ver.25. Dionyſius Corinth. Epiſcopus, & alij apud Euſeb. lib. 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, c.22. & 23. & lib. 5. c. vlt. Deniq; vnus Theodoretus ſcribit ſe inueniſſe in ſuo Epiſcopatu pluſquã ducẽtos libros corruptos ab hæreticis, quos tamẽ Catholici exiſtimabãt incorruptos, vide Theod. l. 1. de hær. in c. de Tatian.

Secundum argumentum: Apud Græcos ortæ II.
ſunt omnes ferè antiquę hæreſes, vt Manichæorũ, Valentinianorum, Arianorum, Macedonianorũ, Neſtorianorum, &c. Qui omnes conabantur varijs artificijs peruertere Scripturas, præſertim Noui Teſtamenti, vt teſtantur Patres citati.

Tertium argumentum: Aduerſarij dum cõfu- III.
giunt

giunt ad Græcũ textum, peruertunt varijs modis Scripturam. Nam aliquando addunt Verbo Dei ſcripto, quod ſcriptũ nõ eſt: verbi gratia, Matth. 6. v. 13. addunt illa verba: *Quia tuum eſt regnum; & potentia & gloria in ſæcula*: quæ vix vllus Patrũ legit ante Chryſoſtomum, qui fuit quadringentis annis poſt Chriſtum: non Tertullianus, nõ S. Cyprianus, non S. Ambroſius, non S. Cyrillus: imò nec S. Hieronymus, nec S. Auguſtinus, qui fuerũt tẽpore S. Chryſoſtomi. Beza etiã in ſuis annotationibus anni 1598. fatetur omnia hæc verba deeſſe in vetuſtiſſimis aliquibus codicibus Græcis, & alioqui conſtat verba illa ex Liturgijs Græcorũ irrepſiſſe in quædã Noua Teſtamenta Græca: Iſtis enim verbis reſpondebat Populus Sacerdoti poſt orationẽ Dominicã in Liturgijs Græcorum. Imò in Liturgia S. Iacobi inter illa verba (*ſed libera nos à malo*) & verba (*quia tuum eſt regnũ*) interponũtur etiã alia verba, quæ nõ ſunt in vllo Euãgelio. Certè Eraſmus, alioqui Græcis addictiſſimus, & Hẽricus Bullingerus Archiminiſter Tigurinus, Caluino admodũ charus, rectè reprehendunt temeritatem aduerſariorum hac in re: Ita enim poſt Eraſmum ſcribit Bullingerus: *Non eſt, quòd Laurentius Valla ſtomachetur bonam orationis Dominicæ partem fuiſſe decurtatam: magis taxanda fuerat illorum temeritas, qui non veriti ſunt tum diuinæ precationi ſuas nugas aſſuere*. Hæc ille. Ad eundem modum adijciunt aduerſarij in Biblijs Geneuenſibus poſterioribus, videlicet anni 1588. & 1605. ad finẽ capitis 8. Euangelij S. Ioannis iſta verba, *Tranſiens per medium illorum, & ſic præterijt*. Quæ tamen non erant in prioribus eorum editionibus anni 1564. & 1567. quæque tam Caluinus quàm Beza agnoſcũt, rectè eſſe ab Eraſmo reiecta vt ſuppoſititia. Addit

Tertull. de Oratione c. 8. S. Cypr. de orat. Dominic. S. Ambroſ. li. 5. de Sacrã. c. 4. S. Cyril. Ieroſ. catech. myſtag. 5. S. Aug. To. 4. de ſer. Domini in Monte lib. 2. c. 9. S. Hier. in c. 6. Matth. Eraſmus in annotat. ad 6. c. Matth. Bullingerus decade 5. ſerm. 5. in orationem Dominicã.

Digitized by Google

lit Beza, vt parum etiam cohærentia cum præcedentibus.

Aliquando temerè auferũt à Verbo Dei: vt ex verſu vltimo Act. 15. illa verba: *Præcipiens* (ſcilicet Sanctus Paulus) *cuſtodire præcepta Apoſtolorum*. Neque ſatis eſt dicere; hæc non haberi in Græco textu, qui iam circumfertur. Multa enim alia in illo deſunt, quę habentur in correctioribus libris Græcis: vt paulò pòſt dicemus, etiam ex ipſorum aduerſariorũ ſentẽtia. Porrò ipſe Beza in ſuo vetuſtiſſimo Græco codice hæc contineri ſcribit. IV.

Beza in quinta ſua editione Noui Teſtamẽti anno 1598.

Aliquando deprauant Verbum Dei, antiquorũ hæreticorum more, vel ex induſtria, vel certè ex imprudẽtia: verbi gratia, 1. Ioan. 4. verſ. 3. vbi vulgata habet: *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus*. & ita legit antiquiſſimus Irenæus. Iam aduerſarij legũt ex ſuo Græco corrupto: *Omnis ſpiritus qui nõ confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe non eſt ex Deo*: Quæ eſt deprauatio Neſtorianorum, qui ſoluebant Chriſtum, vt teſtatur Socrates. Hanc tamen deprauationem habent Caluinus, Beza, & Biblia omnia Geneuenſia. V.

Iren lib. 3. c. 18.

Socrat. lib. 7. hiſt Eccleſ. c. 32.

Similiter 1. Cor. 15. v. 49. Marciõ hæreticus cõtendebat legẽdũ eſſe, *portabimus*, non *portemus*, vt probaret corpora noſtra futura cæleſtia poſt reſurrectionẽ, & non vera corpora. Cõtrà Tertullianus docet legẽdũ eſſe, *Portemus*, non *portabimus*: præceptiuè (vt ille loquitur) non promiſſiuè: Ita S. Chryſoſtomus. Sed aduerſarij cũ Marcionitis volunt legendũ eſſe, *Portabimus*, non *portemus*; iuxta ipſorum textũ Græcum corruptũ. Ita Biblia Geneuenſia, ita Caluinus, ita Beza; imò Caluinus & Beza cõtendũt omega mutandũ eſſe in omicrõ, vt illorũ lectio cõſiſtat, cùm in corre- VI.

Tertull. lib. 5. cõt. Marcionem.

Chryſoſt. in illa verba S Pauli.

Caluin &

Beza in 1. ad Cor. 15. v. 49. ctioribus Græcis ſit φορέσωμεν, id eſt, *portemus*, nō φορέσομεν, id eſt, *portabimus*.

VII. Præterea Luc. 1. v. 35. vbi vulgata habet & Grecus textus correctior: *Quod naſcetur ex te ſanctum*, Caluinus, & Græca omnia Geneuēſia, etiā Hērici Stephani anni 1576. omittūt illud (ἐκ σοῦ) id eſt, *ex te*. hanc tamen agnoſcit ipſe Beza deprauationē eſſe Eutychianorum, & Monothelitarū, idq; probat ex S. Athanaſio. Dicit quidem Beza ſe illa verba reſtituiſſe textui: tamen in Græco textu, qui adiūgitur editioni ſuarū annotationū, in Nouū Teſtamentū anni 1560. & 1565. desūt illa verba, & tātùm ponūtur in Latina eius verſione. In poſtrema verò editione anni 1558. adiecit eadē verba Græco textui: ſed omiſit illa tā an. 1565. quā 1568. in vulgata editione, vt haberet quod in ea carperet. Nā in ſua annotat. ita ſcribit: *Iſtud quidē nō legit vetus interpres*: atqui legiſſe ſatis conſtat ex omnibus libris correctis vulgatæ editionis. Porrò in Biblijs recentioribus Geneuenſibus Gallicis anni 1588. & 1605. ſcribuntur iſta verba minoribus caracteribus, quaſi non eſſent ex textu. Et nihilominus verba illa multū faciunt contra Anabaptiſtas, Seruetū, & alios ſimiles Antitrinitarios huius ętatis; qui quamuis fatentur Chriſtum natum, tamen negant natum ex Maria, quia negant Chriſtum veram ſumpſiſſe carnem ex ea, vt agnoſcit ipſe Beza.

Beza loco citato in editione an. 1560. & epiſt 4. fuſius.

VIII. Sic denique Ioannis 7. ver. 39. vbi vulgata habet: *Nondum erat Spiritus datus*, Aduerſarij legunt ex ſuo textu Græco corrupto, *Nondum erat Spiritus ſanctus*. Ita Caluinus & Beza. Geneuenſia verò Biblia Gallica, 1564. addunt quidē (*datus*) ſed minoribus characteribus: at verò anno 1588. ponunt (*datus*) etiam maioribus characteribus. Verùm

in

n Biblijs anni 1605. rurſum ponunt (*datus*) ninoribus characteribus, quaſi non eſſet ex texu. Porrò iſta deprauatio eſt Macedonianorum, & aliorum hæreticorum, qui negabant Spiritum anctum eſſe verum Deum, vt ex antiquis Patriꝰus oſtendunt Toletus, & Maldonatus. *Toletus & Maldonatus ad verſum 39. 17. c. Ioannis.*

IX. Quartum argumentum. Dum aduerſarij conugiunt ad Græcum textum, alia loca Scripturæ ertiſſima vocant in dubium. Nam 1. Ioan. 5. v. 7. ræclarũ illud teſtimoniũ de Trinitate, *Tres ſunt ui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiriꝰs ſanctus, & hi tres vnum ſunt*, Lutherus omnino xpunxit: Caluinus in dubium reuocauit: Cùm nquit Caluinus) ne Græci codices inter ſe conntiant, vix quicquam aſſerere audeo. Beza quidẽ cit ſibi videri retinendum iſtum verſiculũ: Inrea apertè calumniatur veterem noſtrum Intercetem, cùm ait: Nõ legit tamen vetus Interpres, ò in ipſa Latina veteri interpretatione, quam eza collocat cum ſua Latina & cum Græco tex, in annotationibus, quas edidit an. 1565. & rur; anno 1598. habentur hæc ipſa verba, quæ Beza cit noſtrum Interpretẽ non legiſſe. Porrò S. ieronymus in præfatione in Epiſtolas Canocas, ſcribit iſta verba fuiſſe olim expuncta ab Anis: ſeq; illa ex antiquis codicibus reſtituiſſe; uo tempore ſemper fuerunt in vulgata editio. Franciſcus Iunius etiam agnoſcit Arianos hæc rba olim expunxiſſe. *Luth. & Calu. in illa verba S. Ioannis.* *Beza in eadem verba.*

X. Denique totam illam hiſtoriam, quæ habetur principio capitis 8. Euangelij S. Ioãnis de mure deprehenſa in adulterio, reijcit Beza vt dum, & parum probabilem: quòd ea non haitur in quibuſdam Græcis, & Syriacis libris: At luinus illam recipit: imò Iunius fatetur illam *Iunius contra 1. lib. 2. c. 7. nota 9. cõt. Bellar.* *Beza ad ſinẽ c 7. Io.*

Calu.in c.8. Ioan.v.3. Iunius loco citato.

à Catharis & Nouatianis olim deletam fuiſſe.

XI. Quintum argumentum ſumitur ex confeſſione ipſorum aduerſariorum, de qua re ſequenti capite.

CAPVT XIII.

Aduerſarios ipſos frequenter reijcere Græcum textum Noui Teſtamenti.

I. SAEPE reijciunt aduerſarij textum Græcum Noui teſtamenti, vt deprauatum: quare mirari non debent, quòd nos eundem alicubi deprauatum eſſe affirmemus: præſertim vbi ille diſſentit à vulgata noſtra editione. Sed quia aduerſarij diuerſis de cauſis coguntur ad hanc deprauationem Græci textus confugere, eorum dicta ad certa capita redigemus.

II. Primum caput eſt, quando occurrit locus difficilis, vt citò ſe expediãt, ſolent dicere omnia exemplaria, etiam Græca, eſſe corrupta. Ita Caluin. Act. 7. v. 14. affirmat enim & verſionem Septuaginta Interpretum deprauatã eſſe, & etiam Græcũ textum S. Lucæ: idq; in omnibus exemplaribus: quòd pro Septuaginta ſcribantur Septuaginta quinque. Itẽ v. 16. eiuſdẽ capitis ita ſcribit Caluinus: *In nomine Abrahæ erratũ eſſe, palàm eſt; quare hic locus corrigendus eſt.* Hæc Caluinus. Nemo tamen aduerſariorum illum locũ hactenus auſus eſt corrigere: Sic Matth. 27. v. 9. Ieremiæ nomen poſitum eſſe affirmat Caluinus pro nomine Zachariæ: & hunc errorem in omnes libros obrepſiſſe; quo autem modo id factum ſit, ſe neſcire: ſed neque anxiè ea de re ſe velle laborare. Beza verò in caput 7. Act. v. 16. editionis anni 1560. & anni

1565. non tantùm illa duo vltima loca,
dfert Caluinus;ſed etiam pleraque alia di-
: deprauata,ita vt ex margine, vel aliũde ir-
int(vt ipſe ait) varij errores in contextum.
gratia, Marci 2. v. 26. nomen Abiatharis:
.v.2.nomen Præſidis Cyrini(vel, vt ille le-
reni j) Marci 12.v.42.totum illud(quod eſt
ans.)Itẽ in editione anni 1560. tã hic Act. 7.
Act.8.v.26. dicit illud eiuſdem verſus 26.
deſerta)irrepſiſſe in cõtextum ex margine.
tamẽ omittit in editione anni 1565. Pręter-
a in vtraque editione dubitat, an ſimiliter
:rit in textũ totus verſus ſecundus capitis
ıcæ,nimirum(*hæc deſcriptio primò facta eſt à Syriæ Cyrino*)verùm in his locis & alijs mul-
ilibus, etſi affirmat Beza textum corru-
eſſe;profitetur tamen ſe nolle quicquã mu-
ı poſtrema tamen editione anni 1598. pru-
r factus non audet aſſerere iſta loca eſſe de-
a.

vero alibi non eſt veritus etiam ipſum tex- III.
:prauare,& expungere vnam integram ge-
›nem Chriſti,nimirum Cainan, Luc. 3.v.
uod ipſemet his verbis fatetur apertè: *An-* *Beza in eũ-*
omen Arphaxat legitur,τȣ̃ καινὰν,*quod nõ du-* *dem locum*
xpungere. Ita Beza.Expunxit ſanè iſtud ex *S.Lucæ in*
rſione Latina etiã in poſtrema ſua editione *annot.anni*
;98. quod nemo aduerſariorũ ante illũ au- *1560. & an-*
acere,ne quidem Sebaſtianus Caſtalio,quẽ *ni 1565.*
n ſæpe, & tam acriter reprehendit ob de-
ã Scripturam:dicit quidem Beza ſe in ea re
auctoritatem Moyſis, qui Geneſis 11. v.
iſit generationem Cainan: verùm Moyſes
quam pugnat cum Septuaginta Interpreti-
cut neque S. Matthæus cum libris Regum: *Mat. 1. v. 7.*

Digitized by Google

quamuis S. Matthæus tres omiſerit generationes quæ in libris Regum numerantur. Vſitatum eſt enim Spiritui Sancto, vno in loco Scripturæ illud tacere, quod alio in loco exprimit. Sic frequentiſſimè recenſet vnus Euangeliſta, quod alius prætermiſit: Sed neque magni facimus vnicum illud Græcum excplar, cuius Beza meminit in poſtrema ſua editione anni 1598. Nam ſi iſtius codicis fides cõſtaret, non iſta dũtaxat generatio Chriſti, ſed & aliæ pleræque (vt iã ex Beza dicemus) tollẽdæ prorſus eſſent. Quod nemo hactenus attentare auſus eſt. Ad hæc, difficile non eſt inuenire librum aliquem Græcum etiam valde antiquum, à veteribus hæreticis olim deprauatum; cuiuſmodi videtur eſſe ille codex Bezæ.

IV. Porrò Beza huius ſui libri auctoritate fretus vlteriùs progreditur. Neque enim veretur omnes generationes, quæ in hoc tertio capite S. Lucæ numerãtur à Ioſepho Sponſo B. Mariæ vſque ad Dauidem Regem, in dubium vocare. Dicit enim fieri potuiſſe, vt ipſis Euangeliſtarum temporibus Iudæi genealogiam iſtam deprauarint, quaſi fidem cæteris de Chriſto narrationibus abrogaturi: quæ fraus à pleriſque non animaduerſa facilè obtinuerit. Ita Beza. Atque in hunc modum non pauciores quàm quadraginta generationes Chriſti, à S. Luca numeratas, in dubitationem adducere conatur. Adeò facilis erat Beza ad dubitandũ de ipſis ſacris litteris, vt vnici libri corruptela illi ſatis eſſet ad dubitationem de tot Chriſti generationibus gignendam.

Beza in 3. c. Luc. ad v. 23. in fine anno 1598.

V. Secundum caput: Quando occurrit locus Scripturæ, qui illorum erroribus aduerſatur, vel certè minus fauet, ſolent dicere omnes libros Græcos eſſe corruptos: verbi gratia, Matth. 10. v. 2. in omnibus

omnibus libris tã Grǫcis, quàm Latinis ita habetur: *Primus Simon, qui dicitur Petrus*: Quæ verba (quòd apertè probant primatum S. Petri) conatur Beza in dubium reuocare. Ita enim ſcribit: πρῶτος, *quid ſi hoc vocabulum ab aliquo additum eſt, qui Petri primatum vellet ſtabilire? nihil enim ſequitur quod cohæreat.* Hæc ille. fatetur interea ſcriptum in omnibus exemplaribus Græcis: & hoc idem alibi vſurpatum eſſe. Idem tamen Beza in cap. 3. Marci, v. 16. affirmat illa verba (*primum Simonem*) quæ nec in vulgata editione habētur, neç in pluribus Grǫcis codicibus, addenda eſſe ad textum; & reprehēdit Eraſmum, quòd hanc lectionem non admittat, vbi etiam addit: *Ego verò* (inquit) *nō dubito, quin hæc ſit germana lectio*: & poſtea optimè probat hanc lectionem cohærere cum præcedentibus & ſequentibus, quod antea in Matthæum negauerat, adeò eſt iſte inconſtans in ſua doctrina.

In alio tamē Scripturæ loco longè audaciùs, & pertinaciùs agit. Nam in caput 22. Lucæ, ad v. 20. pugnaciter cōtendit Grǫcum textum in omnibus codicibus eſſe deprauatum. Quod enim ſatis animaduerteret, veriſſimum eſſe, quod illi obiectum fuerat à Catholicis, nimirum; ex Græco textu manifeſtè conuinci realem præſentiā ſanguinis Chriſti in calice, vt infrà dicemus in Diſput. de Sacramento Euchariſtiæ, coactus eſt affirmare illa verba (*qui pro vobis effunditur*) ad marginem primùm annotata fuiſſe, & poſtea ex errore in contextum irrepſiſſe; cùm tamen fateatur omnes veteres codices ita ſcriptū habere. Hoc cū illi obiiſſet aliquando Claudius Santeſius, ipſe errorem ſuū nō emendauit, ſed auxit. Nam vt illū deſideret, reuocat etiam in dubium totum illum verſum 20. cap. 22. Lucæ: ſic ludunt aduerſarij VI.

Ita Beza in Reſp. ad 8. c. 1. repetitionis Santeſij volum. 3.

Tractatio. Theologicarũ Tr. 1. p. 18. iuxta editio. Geneu. anni 1582.

cum Græco textu, quotieſcumque ille aduerſatur ipſorum placitis.

VII. Caluin. & Beza in c. 11. ad Heb. v. 37. Beza edit. anni 1565. & 1598.

Denique Caluinus, & Beza reijciunt vt ſuperfluum illud ad Hebr. 11. v. 37. *Tentati ſunt*. Et Caluinus quidem dicit illud malè ab imperito quodã lectore additum in margine paulatim obrepſiſſe in textum. Beza verò in hunc modum ſcribit: *Ita in omnibus Græcis exemplaribus noſtris ſcribitur: nec tamen poſſum aliter ſtatuere, quàm ex margine irrepſiſſe in contextum.* Hactenus Beza. Ex his euidenter conſtat aduerſarios parui facere vniuerſa exemplaria, ſiue Græca, ſiue Latina, cùm illa ab ipſorum placitis diſſentiunt.

VIII. Tertium caput ſumitur ex illis locis, quæ aduerſarij meritò reprehendunt in Græcis codicibus. Sunt autem illa, in quibus Græcus textus diſſentit à vulgata Latina editione. Porrò non pauca ſunt eiuſmodi: quæ omnia probant, ipſorũ etiam aduerſariorũ iudicio, Græcum textum eſſe corruptum, vbi vulgata editio eſt incorrupta. Exempli cauſa, Matth. 8. v. 30. in Græco habetur: *Longè ab illis erat grex porcorum:* at Latinè rectiùs (*Non lõgè*) ipſo Beza ibidem atteſtãte. Sic Lucæ 2. v. 14. in omnibus ferè codicibus Græcis habetur: *In terra pax hominibus bona voluntas:* at rectiùs in vulgata: *Hominibus bonæ voluntatis*, iuxta Hebraicam phraſim, vt ibidem agnoſcit poſt longam diſputationem ipſe Beza. Sic denique Lucæ 4. v. 2. in Græco dicitur, *quòd Chriſtus diebus quadraginta tentabatur à Diabolo*. Rectiùs in vulgata; *Quòd diebus quadraginta erat in deſerto:* vt ibidem fatetur Beza.

IX. Sed dicet aliquis; nunquid igitur illicitum erit recurrere ad textũ Græcum? Reſpondeo id licitũ & vtile eſſe, dũmodo id fiat, vt meliùs intelligatur vulgata editio, nõ autẽ vt illa oppugnetur

&

& dummodo recurſus fiat ad correctiſſimum, & antiquiſſimum exemplar Græcum, cuiuſmodi eſt illud, quod Romæ aſſeruatur in Bibliotheca Vaticana, quod cum vulgata in omnibus conſentit. Sicut enim in veteri lege aſſeruabatur correctiſſimum exemplar legis in ipſo tẽplo à ſummo Sacerdote, vt teſtatur Sanctus Auguſtinus, & agnoſcit etiam Caluinus: Ita in noua lege ſeruatum ſemper fuit Romæ correctiſſimum illud exemplar Græcum Noui Teſtamenti. Porrò cùm aliquando obiectum fuiſſet Eraſmo, quòd à correctiſſimo illo Bibliothecæ Vaticanæ exẽplari in multis differat eius verſio: Reſpondit Eraſm⁹ diuinãdo potiùs quàm probando, exẽplar illud Vaticanum ante paucos annos confectum eſſe tempore Concilij Florentini, cùm facta eſt concordia Latinæ Eccleſię cum Gręca: Sed nullã firmam huius rei adfert ille probationem: & hanc Eraſmi diuinationem ſatis apertè confutat antiquitas eiuſdem exemplaris. Aliud huiuſmodi incorruptum exemplar Græcum antiquiſſimum, vulgatæque editioni in omnibus ſimillimum, dicitur extare in Hiſpania in Bibliotheca Regia S. Laurẽtij. Certè Beza atteſtatur inter ſuos vetuſtos codices Græcos, duos fuiſſe, quorũ mirificus erat cũ vulgata editione conſenſus.

Aug lib. 15. de Ciu. Dei c. 23. Calui. lib. 1 Inſt. c 8. ſect. 9

Vide varias lectiones Petri Fagiardi Voleſij Marchionis.

Beza in c. 8. Luc. ad v. 54

Huiuſmodi Græcum exemplar habuiſſe noſtrum vulgatum Interpretem, non eſt dubiũ. Nã cùm vetus noſter Interpres ſumma religione ſacros libros interpretatus ſit, vel aduerſariorum iudicio; ſi legiſſet aliter in ſuo exemplari Græco, procul dubio aliter in Latinam linguam vertiſſet. Hinc rectè taxat Beza Eraſmum, quòd immeritò multis locis noſtrum Interpretem reprehẽderit, tanquã à Græcis diſſentientẽ: *Diſſentiebat*

x. Ita Beza in c. 1 Luc. v. 1. edit. anni 1560. & 1565.

Beza præfatione in

D 5

NouumTeſtament. anni 1560. & 1565.

tiebat, fateor (ait Beza) *ab ijs exemplaribus, quæ Eraſmus nactus erat: ſed non vno loco comperimus aliorum codicum, & quidem vetuſtiſsimorum auctoritate eam interpretationem niti, quam ille reprehendit. Quin etiam aliquot locis animaduertimus, veteris interpretis lectionem, quamuis cum noſtris Græcis exemplaribus interdum ei non conueniat: tamen ipſis rebus multò melius quadrare, nempe quòd ille, quiſquis fuit, emendatius aliquod exemplar nactus eſſet.* Hactenus Beza. Nactus eſt igitur noſter interpres, vel aduerſariorum iudicio, emendatius aliquod exemplar Græcum, quàm eſt vllum, quod iam circumfertur. Quare qui reiecta antiqua verſione Latina confugit ad Græcum textum, qui vulgò exſtat, is proculdubio à certis recurrit ad incerta dubia, & deprauata: vt iam ſatis oſtenſum eſt etiam ex ipſorũ aduerſariorum confeſſione.

CAPVT XIV.

De nouis Aduerſariorum tranſlationibus Biblicis.

ADVERSARIORVM nouas Biblicas tranſlationes meritò reſpuit & damnat Catholica Chriſti Eccleſia, idque ob multas rationes. Vnã iuſtiſſimã huc adducemus. Enimuero

I. illorum translationes pleniſſimæ ſunt errorum, quos excogitarunt vel Iudæi, vel hęretici. Exempla huius rei ſat multa attulimus præcedentibus capitibus, & infrà plura adducemus. Verùm hoc in loco tres præterea cauſas, ſeu origines horũ errorum declarabimus: ex quibus etiam conſtabit nullam ab aduerſarijs poſſe confici translationẽ, quę non contineat in ſe multa, eaq; grauiſſima errata.

II. Prima huius rei cauſa eſt, quòd aduerſarij contem-

temnant, aut certè parui æſtiment tranſlationes, & interpretationes antiquorum Patrum: & toti ſunt in Iudæorum verſionibus, interpretationibus, & expoſitionibus inueſtigandis, collocandis & ſtabiliendis. Nihil aliud in ipſorum Commentarijs in vetus Teſtamentum videbis niſi Thargũ, Rabbinos aliaq; Thalmudica figmenta citari, præſertim Rabbi Dauid Kimhi, quem nunc doctum inter Hebræos, nunc etiam doctiſſimum vocant: at de antiquis Patribus ſummum eſt apud eos ſilentium. Sed neque ferè vnquam meminerũt eorum, niſi quando volunt eorum verba aut taxare aut manifeſtè oppugnare, vel etiam corrumpere.

Iam verò nihil eſſe poteſt à recta ratione alienius, aut magis abſonum, quàm verum ſcripturæ ſenſum emendicare à Iudæis, qui fide carent, qui velamen habent poſitum ſuper corda, cùm legunt vetus Teſtamentum: qui Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur; ſuper quos peruenit ira Dei in finem: qui omnia Prophetarũ oracula de Chriſto prædicta violant, varijſque modis peruertunt. Denique qui Chriſti omniumque Chriſtianorũ hoſtes ſunt infenſiſſimi. Contrà verò ſpernere Eccleſiæ Chriſti Doctores eximios, qui vera fide præditi fuerunt, etiam aduerſariorũ iudicio, qui Spiritu Sancto repleti, qui ideo excitati à Deo, poſiti in Eccleſia, ne circumferamur omni vento doctrinæ, & qui fidẽ contra oẽs hæreſes propugnauerunt, qui fideles populos in fidei myſterijs ſyncerè inſtruxerunt, qui acceptum ab Apoſtolis ſcripturarum ſenſum, & interpretationem ad poſteros fideliter tranſmiſerunt. III. 2. Cor. 3. v. 14. & 15. Theſſa. 2. v. 15. 16. Rõ. 8. v. 9. Ad Epheſ. 4. v. 14.

Ad hæc cũ nemo poſſit rectè interpretari Scripturas, qui interpretationis donum à Deo non acceperit (quod ſolis Eccleſiæ & Chriſti membris datur) IV. 1. Cor. 12. v. 10. 28. 30.

2. Petri 1. v. 20. 21. 2. Tim. 2. v vlt. datur) ſatis apparet, quòd ſatius ſit Doctores ſanctos ſequi, quàm impios Iudæos, qui Diaboli laqueis irretiti, captiui detinentur ad ipſius voluntatem.

Matt. 15. v. 14. Denique cùm veriſſimum ſit illud Chriſti Domini noſtri dictum: *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet,*

V. *ambo in foueam cadunt:* fieri non poteſt, quin aduerſarij fidei lumine deſtituti, atque cæci, & à cæcis Iudæis ducti, in præcipitia ruant.

VI. Hinc eſt, quòd aduerſarij deprauata à Iudæis Scripturæ loca ferè omnia ſuis verſionibus inſerant, vt ſuprà oſtendimus. *Suprà c. 9. & 10.* Hinc etiam eſt, quòd complura Prophetarum oracula, Iudæos conſequuti, negent de Chriſto eſſe prædicta. Hinc denique eſt, quòd oracula illa, quæ negare non poſſunt de Chriſto eſſe prædicta, detorqueant varijs modis à vero ſenſu, in quo citantur in nouo Teſtamento ab Apoſtolis, ab Euangeliſtis, & ab ipſo Chriſto, ad prophanos & impios ſenſus à Iudæis in odium Chriſti non ita pridē excogitatos. Cuius rei varia exēpla inferiùs ſuo loco adducemus.

VII. Secunda cauſa & origo, vnde naſci neceſſe eſt in aduerſariorum tranſlationibus magnam errorum multitudinem, eſt, quòd illi nihil magis in votis habent, quàm vbique recedere à vulgata editione; quæ cùm ſinceriſſima ſit, & maximè emendata; neceſſe eſt, vt iſti, qui ab ea in omnibus ferè recedere contēdunt, in multa errata incidāt.

VIII. Tertia cauſa eſt, quòd non ob aliam cauſam aggrediantur aduerſarij nouas has Scripturæ tranſlationes, quàm vt ſuas hæreſes, & errores ſtabiliant; & doctrinam Catholicam impugnent: proinde vbicumque occurrit locus manifeſtus contra illorum errores, ibi verum & genuinum ſenſum peruerſa ſua tranſlatione obſcurant. Quòd ſi quis

quis locus obſcurior occurrat, qui illorum doctrinæ videatur fauere, illum adeò deprauant ſua noua tranſlatione, vt Scriptura videatur illorum errores vel maximè confirmare: atque in hunc modum neceſſe eſt, vt ſuas tranſlationes infinitis penè corruptelis referciant. Quare cùm ex triplici hac cauſa tot corruptelis ſcateant aduerſariorũ tranſlationes, eæ meritiſſimo à nobis reijciuntur. Plures huiuſmodi rationes adfert, & fusè docteq; proſequitur Iacobus Gretſerus: quas breuitatis cauſa omittimus.

Gretſerus Tom. 1. defenſionis controuerſiarum Bellarmini in tract. de nouis translationibus Bibliorum.

CAPVT XV.

De Latina vulgata editione Bibliorum.

ADVERSARII veritate ipſa conuicti fatẽtur nonnunquam vulgatam editionem nõ 1.
tantùm cæteris verſionibus Latinis eſſe præferendam, ſed etiam Græco textui Teſtamẽti noui, atque Hebraico veteris Teſtamenti: nam reiectis illis ſequuntur verſionem noſtram vulgatam in multis locis, vt iam oſtendimus. Nihilominùs alijs pleriſque in locis valdè inuehuntur in vulgatam editionem, eamque hoſtiliter oppugnant, partim quòd videant eam in multis locis aduerſari illorum erroribus, partim etiam quòd omnibus modis contẽdant textum Scripturæ ſacræ nouis ſuis verſionib. peruertere, & ad ſuos errores detorquere, quod facere non poſſunt, ſi auctoritas veteris Interpretis ſalua & imminuta in omnib. cõſiſtat. Et Caluinus quidẽ adeo eſt infenſus & inimicus vulgatæ editioni, vt valde hyperbolicè de ea ſcribat in hũc modũ: *Adeo nulla eſt* (inquit) *integra pagina, vt vix tres ſint continui verſus nõ inſi-*

Suprà c. 8. 9. 10. & 13.

Cal con. 4. ſeſſ. Conc. Trid. in ſuo Antidoto.

inſigni aliquo errore fœdati. Hæc ille. Veruntamen vt illud probet, quod tam audacter aſſerit, nullũ adducit locũ ex toto nouo Teſtamento præter vnicum, quem paulò pòſt oſtendemus optimè ex Græco versũ eſſe. Ex veteri autem Teſtamẽto nõ alia adducit loca, quàm ex Pſalmis, quos cõſtat ad verbum eſſe translatos ex Græca verſione Septuaginta Interpretum. Imò eodẽ loco agnoſcit Caluinus Latinum interpretem Græcam Translationem, qua potuit diligentia expreſſiſſe. Porrò Græcam Septuaginta interpretationem doctiſſimè defendit Genebrardus, vt proinde ſuperfluũ fuerit actum agere. Diſcipuli quidem Caluini & Lutheri alia multa loca tum veteris tum noui Teſtamenti reprehendũt in vulgata editione. Quare quatuor hic ponemus generalia fũdamenta, quib' facilè retũdi poterũt omnia aduerſariorũ tela.

Infrà c. 9. huius Controu.

Geneb. in Pſal.

11. Primum eſt: Si aduerſarij cõtendant damnandam eſſe Romanam Eccleſiam, propterea quòd illa ſequatur ac retineat in auctoritate vulgatã Latinam interpretationem, neceſſe eſt, vt conſequẽter damnent etiam totam Antiquam Eccleſiam, & omnes Patres, qui vixerũt quadringentis annis poſt Chriſtum. Nam illi aliam veteris Teſtamẽti interpretationem, vt planè authenticam non agnouerunt, præter illam Septuaginta Interpretum: quæ longè magis recedit ab Hebræo textu, qui iam extat, quàm noſtra vulgata, quemadmodum agnoſcunt ipſi aduerſarij. Quare ſi damnanda eſt Eccleſia Romana ob vulgatã editionem, multò magis damnanda erit primitiua illa Eccleſia ob verſionẽ Septuaginta. Ex quo & illud cõſequitur; Eccleſiã illam non errare, quæ retinet verſionem Scripturę, quæ in quibuſdã corrigi poſſet, dũmodo nihil ſit in ea, quod fidei aut bonis moribus aduer-

Digitized by Google

aduerſetur: alioqui enim erraſſet tota antiqua Eccleſia, quæ retinuit verſionem Septuaginta, in nonnullis quidem locis deprauatam, quamquam non in illis, quæ ſcitu fuerunt neceſſaria. Porrò Caluinus ipſe fatetur non eſſe recedendum ab Eccleſia propter leuia errata: quæ & inuiolata religionis ſumma, & citra ſalutis iacturam ignorari poſſunt. Quare etſi eſſent nonnulla huiuſmodi errata in vulgata noſtra editione: non tamen ob id eſſet damnanda aut deſerenda Eccleſia Romana tam antiqua, atque Apoſtolico ore laudata, vt loquitur ſanctus Hieronymus. Hinc diluuntur omnia illa aduerſariorum argumenta deſumpta ex paruis erratis vulgatæ editionis, quę vel ex librariorum incuria, aut aliunde irrepſerunt. Hinc etiam infirma conuincuntur omnia illa, quæ aduerſarij obijciunt contra Pſalterium: nam cùm in eo non ſit alia verſio, quàm antiquiſſima illa Septuaginta Interpretum, non poſſunt nos damnare, niſi velint totam etiam Eccleſiam primitiuam nobiſcum damnare: atque adeò ipſos Apoſtolos & Euangeliſtas, qui eadem verſione vſi ſunt, vt ſuprà oſtendimus capite II.

Caluin. libi 4. Inſt. c. 1. ſect. 12.

Rom. 1. v. 8. Hier. ep. 57. ad Damaſ.

III. Secundum fundamentum: Officium boni Interpretis non eſt omnia totidem verbis trãsferre, ut verbum è verbo exprimere: cùm quæuis lingua habeat ſuas proprias phraſes & modos loquendi: ſed ſatis eſt, ſi Interpres ſenſum verum exprimat. Quare omnia illa aduerſariorum argumenta, quę probant, loca quędam vulgatę editionis paulò aliter eſſe in Hebræo aut Græco, ſi modò totius periodi idem ſit ſenſus, nullius ſunt ponderis. cuiuſmodi ſunt pleraque loca, quæ aduerſarij carpunt in vulgata editione.

IV. Tertium fundamentum: Loca ſacræ Scripturæ

ſunt

ſunt in duplici differentia. Quædam ſunt clara & manifeſta; qualia ſunt ferè omnia in hiſtorijs veteris & noui Teſtamenti. Alia ſunt obſcura & difficilia, cuiuſmodi ſunt complura in Pſalmis & Prophetis. Si interpres in manifeſtis & apertis locis Scripturæ omnia rectè interpretetur, & in obſcuris aliquem ſenſum literæ congruum exprimat, etiamſi fortaſſis non aſſequatur optimum ſenſũ, ſed poſſet alius melior afferri, nõ ob id cenſendus eſt erraſſe, aut officiũ boni Interpretis non impleſſe. Adeò enim ſunt profundi & vberes ſenſus Scripturę, in locis præſertim obſcuris, vt vix à quoquam dijudicari poſſit, quiſnam ſit optimus ſenſus. Imò ſi ſemper optimus ſẽſus quęrẽdus eſſet, nullus vnquam erit finis interpretationum: ſed oportebit nos ſingulis ferè annis nouam cudere interpretationem, aut certè priorem emẽdare, vt faciunt noſtri aduerſarij, & nominatim Beza, qui cùm quinq; diuerſas editiones noui Teſtamẽti ſcripſiſſet, valdè (vt ipſe ingenuè fatetur) inter ſe diſcrepantes; nihilominus neque in ſua editione quinta ſatisfactũ eſſe aut operis magnitudini, aut ſuo deſiderio libens agnoſcit. Ex hoc fundamento facilè reſpondemus ad illud, quod obijcere ſolent aduerſarij: multa loca vulgatæ editionis potuiſſe meliùs & clariùs transferri: ſatis enim eſt, quòd benè & rectè tranſlata ſint.

Beza in epiſt. ad lectorem ante editi an. 1598.

V. Quartum fundamentum: Non ſunt reprehendendæ tranſlationes ſacræ Scripturæ ob id dumtaxat, quòd ſint inter ſe diuerſę, dummodò non ſint contrariæ: qua in re differt ſacra Scriptura à prophanis. Quemadmodum enim in diuerſis locis ſacræ Scripturæ diuerſa docet Spiritus ſanctus, ſed non pugnãtia: ita poteſt Spiritus ſanctus in eodem loco, & iiſdem planè verbis diuerſa docere.

Digitized by Google

cere. Atque hinc eſt, quod rectè docet S. Tho- *S.Tho 1.p.*
1s poſt S. Auguſtinum, vnius & eiuſdem loci *q.1.art. vl.*
ripturæ ſacræ plures eſſe aliquando ſenſus lite-
les. Nam cùm ſenſus literalis ſit ille, quem au-
or intendit; author verò proprius & præcipuus
:ræ Scripturæ ſit ipſe Deus, cuius intentio &
ens non eſt alligata vni dumtaxat veritati (vt
: hominum intelligentia,) ſed omnia eodem
orſus momento comprehendat; dubium non
:, quin poſſit Deus ijſdem verbis, eodemque
npore diuerſa nobis ſignificare.

Id quod egregiè declarat S. Auguſtinus, nam VI.
ſtquam dixiſſet, ſe exiſtimare ipſum Moyſen
uerſos ſuorum verborum ſenſus intellexiſſe,
biungit; ipſum Deum, qui prçcipuus eſt author
:ra rum literarum, diuerſos, abſque omni du- *S.Aug.to.*
ɔ, intellexiſſe ſenſus. Poſtremò: *Domine* (inquit) *1.lib.12.Cõ-*
ıa Deus es, & non caro & ſanguis, ſi quid homo mi- *feſſ.c.vlt.*
ſ videt, nunquid & Spiritum tuum bonum, qui dedu-
· me in terram rectam, latere potuit, quidquid eras in
verbis tu ipſe reuelaturus legentibus poſteris? Et-
nſi ille per quem dicta ſunt, vnam fortaſſis ex multis
'ıs ſententiam cogitauit. Hæc ſanctus Auguſti-
s. Cùm igitur varij ſint ſenſus literales eiuſdem
:i, poterit ſine errore vnus Interpres vnum ſe-
.i, & alius alium, dummodò neuter dicat quic-
am contra verbum Dei; ſed vterque ſenſus
ıs ſit; atque alijs Scripturæ locis comproba-
s.

Imò iſtud ad dignitatem ſacrarum literarum, VII.
ilitatemque Eccleſiæ multum facit; iuxta illud; *S Aug.to 3.*
ıod alibi ſcribit idem S. Auguſtinus: *Quid in di-* *de doctrina*
nis eloquijs largiùs, & vberiùs potuit diuinitus proui- *Chriſt lib.*
ri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur mo- *3 c.27.in fi.*
:? Ita S. Auguſtinus:

E Quin

VIII. Quin etiam videmus ſacram Scripturam ipſam hos diuerſos eorundem verborum ſenſus apertè commonſtrare. Dubium enim non eſt, quin illud
Deut. 25. v. 4. Deuteron. *Non alligabis os boui trituranti*; ad literam ſignificet, non ligandum eſſe os bouis terentis in area fruges: & Iudæos hoc ad literam obſeruaſſe, atque etiam obſeruare debuiſſe. Nihilominus ſanctus Paulus manifeſtè docet, Deum proprium ſacræ Scripturæ authorem, alium ſenſum
1. Cor. 9 v. 9 10. præcipuè intendiſſe: *Numquid de bobus* (inquit) *cura eſt Deo? an propter nos vtiq; hoc dicit? nam propter nos hæc ſcripta ſunt*. Huc etiam ſpectat, quòd vnius vocis apud Hebræos multiplex ſæpè ſit ſignificatio, vt ſuprà oſtendimus capite 7.

Ex hoc fundamento nullam eſſe repugnantiã
IX. oſtendimus inter Septuaginta Interpretes, & textum Hebraicum, aut inter Hebraicum textum, & vulgatam editionem, aut denique inter interpretationem vulgatæ editionis veteris Teſtamenti & noui: quamuis eadem verba diuerſis modis transferantur: hoc eſt, aliter à Septuaginta, & aliter à vulgato Interprete; aut aliter à vulgato veteris Teſtamenti, & aliter à vulgato Noui, vbi eadem verba vtrobique citantur; ſicut etiam aliter ſæpè ab Apoſtolis in nouo Teſtamento citantur loca Scripturæ, quàm ſcribantur in Hebræo veteris Teſtamenti. Sed hæc omnia diuerſa tantummodo ſunt, non pugnantia: proinde in his nihil eſt diſſentaneum. Id, quod in Hebraicis Scripturis præcipuè locum habet, cùm in lingua Hebraica tot ſint diuerſæ vocum acceptiones.

X. Exemplis hæc erunt magis perſpicua, Geneſ. 47. verſu vltimo, vna illa vox Hebraica מטה duo ſignificat, *lectum* & *virgam*, priorem ſignificationem expreſſit noſter Latinus Interpres in Gene-

[G]eneſim: quem etiam ſequuntur, & approbant [o]mnes aduerſarij: poſteriorem ſignificationem [e]xpreſſit noſter Interpres ad Hebræos 11. verſu [21.] in ea re ſequutus Apoſtolum, qui poſt ſeptua[g]inta Interpretes, *virgam* vertit, non *lectum*. Vtra[q]ue verſio bona eſt, & amplectenda. Credibile [es]t etiam Moyſem vtramque præuidiſſe, vt ſen[ti]t ſanctus Auguſtinus: certè Spiritum ſanctum [v]tramque præuidiſſe & intendiſſe non eſt du[bi]um: Alioqui Apoſtolus poſteriorem non fuiſ[se]t ſequutus.

Aug. to. 1. lib. 12. Conf. c. 31.

XI. Ad eundem modum Pſal. 67. (vel ſecundùm [H]ebræos 68.) v. 19. in Hebræo, atque apud ſep[t]uaginta Interpretes, & in vulgata Latina tranſla[ti]one legitur; *Accepiſti dona in hominibus.* At ſan[ct]us Paulus ad Epheſios 4. v. 8. habet: *Dediſti dona* [*ho*]*minibus*. Vtraque lectio bona eſt, & à ſpiritu [p]ræuiſa, & probata: Nam Hebręum verbum לקח [p]lerumque ſignificat accipere: nonnunquam ta[m]en ſignificat dare, ſeu afferre: verbi gratia, Gen. [3]8. v. 6. vbi vulgata editio habet, *Dedit Iudas vxo*[*re*]*m primogenito ſuo*; in Hebræo eſt idem verbum [ויק]ח. Item Exod. 25. v. 2. Hebraicè ita legimus: ויקחו-לי תרומה, id eſt, *Et accipiēt* (hoc eſt, *dēt*, [v]el *afferant*) *mihi oblationem.* Sic 3. Reg. 17. v. 10. [H]ebraicè eſt קחי-נא לי מעט מים, id eſt, *accipe* [*v*]*aſo mihi paululū aquæ*, hoc eſt, *da vel affer mihi*: Et [v]. 11. ſequenti repetitur eadem locutio Hebraica. [I]n hoc ſenſu rectè intelligitur & illud Oſe. vlt. v. [3]. *Omnem tolle iniquitatem, & accipe* (id eſt, *da*) *bonū*: & *reddamus vitulos labiorum noſtrorum.* Et illud [q]uoque Iere. 48. v. 46. לקחו *accepti ſunt*, (id eſt, [d]*ati ſunt*) *filij tui in captiuitatem.* Quare & locus iſte [P]ſalmi benè ita conuertitur ex Hebræo: *dediſti* (ſeu *attuliſti*) *dona hominibus.*

Ad hæc conſtat, quòd hoc verbum Hebræũ
XII. לקח frequenter ſignificet, *adducere*, (præſertim cùm ſequitur litera ב, vt in hoc loco) proinde poteſt & ita verti hæc ſententia: *adduxiſti dona hominibus* (ſeu *ad homines*,) quod perinde eſt, ac ſi dixeris: *dediſti dona hominibus*.

Certè ipſi Iudæi hunc ſenſum, quem ſecutus
XIII. eſt ſanctus Paulus, non obſcurè agnoſcunt. Nam Rabbi Abben Ezra Iudæus ad verſum 2. cap. 25. Exodi, teſtatur verbum Hebræum, quod hic ponitur לקח ſignificare aliquando, *dare*. Et impijſſimus ille Rabbi Salomon, Chriſti Domini noſtri, omniumque Chriſtianorum infenſiſſimus hoſtis, in hæc verba Pſalmi 68. agnoſcit, quòd verbum Hebraicum לקח hoc ipſo in loco ſignificet, *dare*.

Imò diu ante illum Chaldæus Interpres (cuius eſt apud Iudæos ſumma auctoritas) ita hæc verba Pſalmi reddidit Chaldaicè: יהבת להין מתנן לבני נשא, hoc eſt, *dediſti propterea dona filijs hominum*.

XIV. Latet denique in Hebræo textu (qui variorũ ſenſuum diues eſſe ſolet) alia etiam horum verborum interpretatio non contemnenda, quæ talis eſt: *Emiſti dona hominibus* (aut *propter homines*,) vt ſenſus ſit, quòd Chriſtus pretioſo ſuo ſanguine dona, quæ nobis contulit, carè emerit: nam verbũ hoc לקח ſignificat etiam, *Emere*; vt videre eſt Prouerb. vlt. v. 16. & 4. Reg. 5. v. 26. hinc ea, quæ emuntur & venduntur, vocantur מקחות 2. Eſdræ 10. v. 31. quæ vox ab eadem radice לקח deſcendit

Ex hoc fundamento facilè erit diluere multa,
XV. quæ aduerſarij obijciunt contra varia loca vulgatæ editionis. Nam etſi vulgata editio diuerſa habeat

beat

:at nonnũmquam à textu Hebræo ; pugnantia
men cum illo nulla habet. Quòd enim exiſti-
ant aduerſarij nonnulla loca vulgatæ editionis
ıgnare cum textu Hebraico, id proficiſcitur ex
norantia Hebraicæ linguæ, in qua & pleræque
›ces ſunt ambiguæ, & phraſes quamplurimæ à
ıtinis & Græcis valdè differentes, vt ſequenti-
ıs capitibus clariùs oſtendemus.

CAPVT XVI.

efenditur locus Geneſeos : Ipſa conteret caput tuum.

ıRolixvm eſſet, & à noſtro inſtituto valdè I.
alienum, omnia loca vulgatæ editionis excu-
e, quæ ab aduerſarijs carpuntur. Multa enim
›rehendunt, quæ parum, aut nihil diſcrepant
Hebræo textu veteris Teſtamenti, aut à Græ-
noui. Nonnulla tamen ex his, quæ maiorem
bent difficultatem, & quæ crebriùs atque acer-
ìs ſolent aduerſarij exagitare, adferemus ex-
pli gratia: vt ex his videant omnes, quàm im-
ritò damnent aduerſarij cætera, quæ minoris
ıt momenti.

Primus locus, quem deprauatum aiunt, & de II.
o vehementer & ſæpè conqueruntur, eſt illud *Lutherus & Lutherani in*
:n.3.v.15. *Ipſa conteret caput tuum*, cùm in He- *Gen. ib.*
eo ſit *ipſum*, videlicet ſemen, non ipſa mulier.
ıtherani clamant, iniuriam eſſe factam Chri-
. Nam quod ſolius Chriſti eſt, videlicet conte-
e caput diaboli, nos alteri tribuimus, nimirum
Virgini.

Caluinus etiam affirmat, nos ſacrilegam inue- III.
Te expoſitionem, dum ſanctæ Matri Chriſti *Cal. in c. 3.*

Gen. ad v. 15. aptamus, quod de ſemine dictum erat. Et in Lutheranis quidem minùs culpandum eſt, quòd noſtram verſionem ita reprehendant, cùm illi mordicùs defendant, per ſemen mulieris hic intelligi ſolum Chriſtum.

IV. At Caluinus magnā oſtendit calumniandi libidinem, cùm vocat hanc ſacrilegam expoſitionem. Nam ipſe veritate coactus agnoſcit per *ſemē mulieris* hic intelligi non ſolum Chriſtum, ſed omnia etiam eius membra, imò totum inſuper genus humanum, vt infrà dicemus. Quare mirum eſt, quòd dicat ſacrilegam eſſe expoſitionem: cū id, quod de ſemine dicitur, aptatur B. Virgini Mariæ, niſi velit B. Virginem nec membrum eſſe Chriſti, nec ex humano genere. Cùm enim promiſſio iſta de conterendo capite Satanæ ad Chriſtum, & ad ſingula eius membra pertineat, vt expreſſis verbis ſcribit Caluinus, pertinebit proculdubiò & ad B. Virginem; idque præcipua quadā ratione, quòd illa poſt Chriſtum fortiſſimè contriuerit Satanæ caput.

Cal. lib. 1. Inſtit. c. 14. ſect. 18.

V. Hanc calumniam immeritò Catholicis à Caluino obijci notarunt etiam ipſi Lutherani. Verū vt meliùs intelligamus, an aliquod hic peccatum ſit in retinenda illa particula (*ipſa*,) primò declarandus erit verus huius loci literalis ſenſus: deinde examinandum erit, an in verſione aliquis ſit error.

Ægidius Hunnius Lutheranus in ſuo Caluino Iudaizāte, & in antiparæo altero

VI. Neque enim ex inſcitia, ſocordia, aut incuria obrepſit hic fœmininum genus loco maſculini aut neutrius, vt calumniatur Caluinus, ſed ex induſtria hoc factum eſt: idque iuſtiſſima de cauſa, vt oſtendemus, vbi verum huius loci ſenſum declarauerimus.

Cal. in Gē. loc. cit.

CA-

CAPVT XVII.

Quiſnam ſit verus ſenſus horum verborum, (*Ipſa conteret*)&c.

VT verum horum verborum ſenſum aſſequamur, reijciendæ primùm erunt aduerſariorum falſæ expoſitiones. Lutherani volunt per *ſemen mulieris* ſolum Chriſtum intelligi. Agnoſcimus quidem Chriſtum præcipuè hic ſignificari; c proinde hunc locum aptari poſſe Chriſto, vt aciunt nonnulli Patres antiqui. Verùm enimueò Chriſtum ſolum hic ſignificari, & non etiam ius membra iuxta literalem ſenſum, planè negamus ob ſequentes rationes. I.

Prima eſt; conſtat *ſemen ſerpentis*, quod *ſemini mulieris* opponitur, non vnum aliquem ſerpenem, ſed multitudinem ſignificare; quare probaile non eſt, quòd *ſemen mulieris* vnum dumtaxat gnificet, & non multitudinem, niſi velimus cripturam in tam paucis verbis ambiguè loqui. Huc accedit, quòd *ſemen* ſit nomen collectiuum ropria & germana ſignificatione denotans multudinem. Nihil autem eſt in hac ſententia, quod os cogat recedere à propria vocis acceptione. Hæc ratio adeò eſt efficax, vt illa imprimis moerit Caluinũ, ne Lutheranorũ ſequeretur expotioné: etiãſi alioqui quò fortiùs poſſet nos opugnare, libenter eorũ interpretationẽ amplexus uiſſet. Ita .n. ſcribit; *Alij ſemen pro Chriſto ſine controuerſia accipiũt: eorũ ſententiã libenter meo ſuffragio pprobarem, niſi quòd verbum ſeminis nimis violenter b illis torqueri video. Quis enim concedat noien collectiuum de vno tantùm homine accipi?* II.

Cal. in Gẽ. loc. cit.

Hactenus Caluinus. Adeò fortis eſt veritas, vt ab inimiciſſimo etiam veram confeſſionem extorqueat.

III. Secunda ratio eſt: *ſemini mulieris* attribuitur, quòd *conterat & conculcet caput ſerpentis*; atqui nō ſoli Chriſto, ſed etiam omnibus, qui piè viuunt in Chriſto, tribuit Scriptura iſtam *conculcationem* *Pſal.* 90. v. 13. *& contritionem*: Omnibus enim iuſtis dicit Spiritus ſanctus: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, &* *Luc.* 10. v. 19. *conculcabis leonem & draconem*; & diſcipulis ſuis dixit Chriſtus: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſuper ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Et Apoſtolus ad Roman. *Rom.* 16. v. 20. *Deus pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter.* Denique in plurimis Scripturæ locis fideles dicuntur *1. Ioan.* 2. v. 13. vincere diabolum, & obtinere victoriam in il- *Apoc.* 12. v. 11. lum: quod nihil aliud eſt, quàm ipſum contere- *1. Cor.* 15. v. 57. re. Cùm igitur actio & operatio propria ſeminis huius conueniat etiam membris Chriſti, non eſt limitanda vox *ſeminis* ad ſolum Chriſtum. Huc ſpectat, quòd his verbis voluerit Deus conſolari non ſolùm Euam fraude diabolica deceptam, ſed & totam eius poſteritatem: atqui maior erat omnium conſolatio, quòd omnes pij per Chriſtum victoriam reportaturi erant contra diabolum, quàm ſi ſolus Chriſtus eam reportaret: Quemadmodum maior eſt conſolatio nobis, quòd vnà cum Chriſto reſurgemus, & vita ęterna fruemur, quàm ſi ſolus Chriſtus reſurgeret, & ſolus vita æterna potiretur.

IV. Tertia ratio. Etiamſi concedamus Aduerſarijs Chriſtum ſolum *conterere caput* diaboli; (quæ prior eſt pars huius ſententiæ) tamen poſterior pars eiuſdem ſententiæ nulla ratione poterit ſoli Chriſto aptari: in ea enim dicitur, quòd diabo-

diabolus *conteret ſemen iſtud*: at ſolus Chriſtus in ſeipſo conteri non poteſt à diabolo, neceſſe eſt ergo, vt per *ſemen* hoc intelligamus etiam membra Chriſti, quæ ſæpè à diabolo conteruntur. Nam in Hebræo ita eſt ad verbum: *Ipſa* (vel *ipſum*) *conteret te in capite, & tu conteres eam* (vel *eum*) *in calcaneo*; vtrobique enim eſt idem verbum Hebræum, nimirum שוף *vel* שכה, quod ſignificat *contercre*.

V. Caluini autem expoſitio, qua parte dicit per *ſemen mulieris* intelligi totum genus humanum, recipienda non eſt: Deus enim hic inimicitias futuras pronunciat inter *ſemen ſerpentis*, & *ſemen mulieris*. Infideles autem & impij non exercent inimicitias cum Diabolo, & ſemine eius, ſed potiùs ſunt ex ipſo ſemine diaboli filijque diaboli, iuxta illa verba Chriſti: *vos ex patre diabolo eſtis*: quare ad ſemen hoc mulieris pertinere non poſſunt. *Cal. in Gen. loc. cit. & li. 2. Inſt. c. 13. ſect. 2. in fin.* *Ioan 8. v. 44.*

VI. Porrò quòd alio in loco dicit Caluinus, per *ſemen mulieris* ſignificari Chriſtum, & eius membra, libenter acceptamus. Eſt enim hæc expoſitio à Catholicis & antiquis Patribus deſumpta, & planè literalis. In hac enim ſententia primò pronunciat Deus, *ſe poſiturum inimicitias*: non igitur loquitur de naturali inimicitia, (vt inſinuat Caluinus) ſed de ſupernaturali, quam Deus ponit. Deinde ſignificat Deus, inter quos futura ſit iſta inimicitia, nimirum *inter ſerpentem & mulierem*. Quemadmodum verò per ſerpentem intelligitur ipſe diabolus (quem naturalis ille ſerpens repræſentabat, & in quo, ac per quem Deus maledicebat diabolo:) ita per *mulierem Euam* intelligitur Sponſa Chriſti, ſeu vera Chriſti Eccleſia, quam Eua repræſentabat: & cuius vim atque victoriam *Caluin. li. 1. Inſtit. c. 14. ſect. 18.* *Caluin. in Gen.*

contra diabolum prædicebat Deus. Euam enim
Ad Epheſ.5. v 32. repræſentaſſe Eccleſiam, vt & Adam Chriſtum,
apertè docet Apoſtolus ad Epheſ. Quare idem A-
2. Cor. 11. v. 2. & 3. poſtolus alibi exponit hunc locum de Satana &
Apoc. 12. v. 13 17. Eccleſia. Similiter & S. Ioannes in Apoc. declarat
inimicitiam hanc, quę eſt inter ſerpentem & mu-
lierem, eſſe hanc, quæ eſt inter Eccleſiam Chri-
ſti, & diabolum. Itaque per *ſerpentem* ſignificatur
hic diabolus; per *mulierem* Eccleſia; per *ſemen ſer-
pentis* filij diaboli, omneſque impij, qui ſunt à
Chriſto & Eccleſia alieni; præſertim verò illi, qui
ſeducunt alios & oppugnant Eccleſiam Chriſti:
Matt. 13. v. 38. *ſemen mulieris* ſunt filij Eccleſiæ, illi præſertim,
Apoc. 12. v. 17. qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimo-
nium IESV CHRISTI, vt teſtatur S. Ioan-
nes.

VII. Præterea mulier iſta, id eſt, Eccleſia *conteret*
Pſ. 90. v. 13. *caput ſerpentis*, vt iam ex Scripturis probauimus;
Luc. 10. v. 19. attamen *calcaneum* eius è contrario *conteritur* ſæ-
Rom. 16. v. 20. pè à Satana, vincit enim Eccleſia diabolum per
præcipua & excellentiora ſua membra, ſed vinci-
Phil. 3. v. 19. tur in inferioribus & mundanis, quæ in terra cō-
ſiſtunt & terrena ſapiunt: quęque proinde per cal-
caneum Eccleſiæ deſignantur: *Non ergo ambulemus*
S. Ambr. de fug. ſac. c. 7. *in terrenis* (inquit S. Ambroſius,) *& ſerpens nobis no-
cere non poteſt*. Prior pugna, in qua ſuperat Eccle-
ſia, aperto Marte geritur, & propterea ſignificatur
per *contritionem capitis*: poſterior pugna, in qua ex
parte vna ſuperatur Eccleſia, eſt fraudibus & inſi-
Vide Hier ab Oleaſtro in c. 3. Gen. dijs plena, & idcircò denotatur per *contritionem
calcanei*: vox enim Hebræa עקב, qua deſignatur
calcaneum, propriè ſignificat, *inſidiari, & ex inſidijs
aggredi*; vt ex varijs locis Scripturæ ſatis conſtat.
Atque hoc eſt, quod indicare voluit noſter Inter-
pres, quando poſteriorem partem huius verſus
tranſtu-

Digitized by Google

·anſtulit in hunc modum, *Tu inſidiaberis calcaneo us*, hoc eſt, *inſidiando, & non aperto Marte conteres us calcaneum.* Quod cùm non ſatis intelligeret Caluinus, immeritò reprehendit vulgatum interpretem ob id, quòd ille in poſteriori parte uius ſententiæ paulò aliter explicaſſet hanc punam, quàm in priori: verùm Emphaſis Hebraicæ ocis עקב id omnino exigebat.

Porrò interpretatio hæc de Eccleſia eſt pluri- VIII. morum Patrum antiquorum. Ita S. Chryſoſtom. omil. 17. in Geneſ. & hoc ipſum probat ex ipſis erbis ſancti Lucæ: *Ecce dedi vobis poteſtatem calandi ſuper ſerpentes*. Idem docet S. Hieronymus *Luc. 10. v. 19.* n traditionibus Hebraicis ſuper hæc verba Geneſ. quod etiam probat ex illis verbis ad Roman. *eus conterat ſatanam ſub pedibus veſtris*. Idem habet *Rom. 16. v. 20.* Hieron. in Pſal. 9. ſuper illa verba, *in conuertendo inimicum meum retrorſum*. Et in c. 47. Ezechie- *Pſal. 9. v. 4.* s ſuper illa verba: *vſque ad talos*. Idem ſcribit *Ezech. 47. v. 3.* anctus Ambroſius de fuga ſeculi c. 7. Idem ſanctus Gregorius lib. 1. in Iob, cap. 38. (aut iuxta noam editionem 19.) Idem Eucherius, Procopius, Beda, & alij recentiores in Geneſ. Denique ſanctus Auguſtinus vbique eſt in hac ſententia tom. de Geneſi contra Manichæos lib. 2. cap. 18. in fie. ſic tom. 3. de Geneſi ad literam lib. 11. cap. 36. om 8. in Pſalm. 48. explicans illud verſus ſexti: *niquitas calcanei mei circumdabit me*; & in Pſalm. 03. concione quarta, explicans illud verſus 26. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.* Hanc eandem interpretationem de Eccleſia ſequuntur aduerſarij doctiores, & magis in Hebræis verſati. De Caluino iam diximus. OEcolampadius idipſum habet, probatque ex illis verbis Pſal-

OEcolamp. in c.3. Gen. v.15.
Pſ.90. v.13.
Beza in fine libri, qui inſcribitur Abſterſio Calumniarum Tilmanni Heshuſii: habetur tom.1. tract. Theolog Bezæ.

Pſalmi, *Conculcabis leonem & draconem.* Beza eandem explicationem defendit contrà Heshuſium Lutheranum,& eandem probat ex eo loco ad Romanos 16. v. 20. *Deus conterat Satanam ſub pedibus veſtris.*

IX. Ex his omnibus facilè eſt animaduertere, aduerſarios litem mouiſſe de re nullius ferè momenti, ſi verba rectè intelligantur. Nam ſiue legatur *ipſa,* vt referatur ad Eccleſiam, ſiue *ipſum,* vt referatur ad ſemen, ſeu filios Eccleſiæ, idem erit omnino ſenſus, quia idem prorſus eſt ipſum ſemen *conterere caput ſerpentis,* & filios Eccleſiæ *conterere caput ſerpentis.* Atque hinc eſt, quòd Patres antiqui, ſiue legant *ipſe,* vt ſanctus Hieronymus, & ſanctus Chryſoſtomus locis citatis, ſiue *ipſa,* vt ſanctus Ambroſius, ſanctus Auguſtinus, ſanctus Gregorius,& alij Patres Latini locis citatis, omnes nihilominus interpretantur hunc locum de Eccleſia.

X. Vulgata tamen lectio ipſa præferenda eſt alteri. Nam Eccleſiæ potiùs tribuenda eſt hæc victoria, vt matri omnium fidelium, quæque ſemper durat, quàm filijs eius, aut membris, quę quotidie mutantur, iuxta illam Chriſti promiſsionem, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus Eccleſiam.* Eſt enim hæc explicatio quædam huius promiſsionis Geneſeos. Idem enim denotat *caput ſerpentis,* quod *portæ inferi.* Præterea, ſi victoria refertur ad mulierem, id eſt, Eccleſiam, meliùs cohærent omnia, quia Deus primò prædixit, futuram inimicitiam inter mulierem & ſerpentem, deinde inter ſemen mulieris, & ſemen ſerpentis. Opponitur ergo mulier ſerpenti, & ſemen ſemini: victoria verò quæ promittitur, dicitur de ipſo ſerpente reportanda, non de eius ſemine duntaxat,

Matt.16. v.18.

:at, ergo hæc victoria potius ad ipſam mulie-
em, quàm ad eius ſemen pertinebit. Quamquam
lla verba, *inter ſemen tuum, & ſemen illius,* non ſi-
;nificent propriè nouam pugnam, ſed continua-
ionem, & perpetuitatem pugnæ inter mulierem,
& ſerpentem, Suntque per parentheſim interie-
cta, eadem enim eſt pugna Eccleſiæ, & filiorum
Eccleſiæ.

Præcipua verò cauſa, quæ mouit Eccleſiam, vt XI.
oc præſertim tempore retineret potiùs vocem
ipſa) quàm *ipſum,* vel *ipſe,* eſt, vt occurrat errori
Lutheranorum. Nam ſi legeretur *ipſum,* vel, *ipſe,*
oſſet quiſpiam exiſtimare, hanc promiſsionem
d ſolum Chriſtum pertinere, vt malè conten-
unt Lutherani. Sed cùm legitur *ipſa* neceſſe eſt,
t hæc promiſsio intelligatur facta toti Eccleſiæ,
a enim ſolet ſancta Eccleſia & Scripturarum in-
erpretatione, & Sacramentorum adminiſtratio-
e vti ad ædificationem, & vtilitatem fidei.

Neque ob id excluditur Chriſtus, imò neceſſa- XII.
iò includitur in nomine Eccleſiæ, ſicut & Spiri-
us ſanctus. Nam vera Chriſti Eccleſia non poteſt
it conſiſtere, aut quidquam boni præſtare ſine
piritu Chriſti, & ſine ſuo ſupremo Capite, qui eſt
Chriſtus.

CAPVT XVIII.

Ex Hebræo rectiùs verti, ipſa, *vel etiam* ipſiſſima, *quàm* ipſe, *vel* ipſum.

NVnc vt ad textum Hebræum veniamus, hic I.
optimè conſentit cum noſtra vulgata lectio-
e, idque duplici ratione: prior eſt, ſi Scriptura
purè

purè & ſyncerè legatur, vt olim à Moyſe ſcripta fuit, hoc eſt, ſine punctis Rabbinicis, quæ non ita pridem adiecta ſunt, & quidem malè plerìſque in locis, vt ſuprà probauimus, nulla erit ampliùs
Suprà c.9. difficultas. Nam nimis rudis eſt in Hebræis, qui ignorat, *ipſa*, fœminini generis ſæpiſsimè ſcribi ſine litera *Iod* cum litera *Vau*, ad hunc modum, הוא. Imò hoc ipſo cap.3. Geneſ. bis ita ſcribitur, videlicet verſu 12. & 20.

II. Præterea hoc obſeruatu dignum eſt, quòd quum ſcribitur pronomen hoc fœmininum more maſculino cum *Vau* litera, emphaſis magna lateat in hac inſolita mutatione, ita vt pronomen illud non tam ſignificet, *ipſam*, quàm *ipſiſsimam*, ſeu, *hanc ipſam & non aliam*. Exempla ſunt iſta, eodem capite 3. v. 12 *Mulier quam dediſti mihi ſociam, ipſiſsima* (ſeu *hæc ipſa, & non alia*) *dedit mihi de ligno*. Et v. 20. *vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua, eò quòd ipſiſsima mater eſſet cunctorum viuentium*. Geneſis 17. v. 14. *delebitur ipſiſsima anima de populo ſuo*. Geneſis 24. v. 44. *ipſiſsima eſt vxor, quam præparauit Dominus filio Domini mei*. Denique Geneſis 38. v. 21. *vbi eſt mulier, quæ ſedebat in via?* Et paulò pòſt v. 25. *ipſiſsima educta eſt, nimirum vt combureretur*. Multa ſunt & alia huiuſmodi, quæ breuitatis cauſa omitto. Rectiſsimè igitur & hoc loco verti poterit, *ipſiſsima*, ſeu, *hæc ipſa, & non alia conteret caput tuum*.

III. De verbo autem & affixo, ſeu pronomine maſculini generis addito, nulla eſt difficultas. Sciunt enim omnes, qui in Hebræis mediocriter verſati ſunt, fœmininis plerumque addi verba, & affixa, ſeu pronomina maſculini generis. Id quod multis exemplis docet Pagninus libro ſecundo Grammaticæ Hebraicæ, cap. 3. & Iunius

lib. 3.

ib.3. Grammaticæ Hebraicæ, cap. 7. fitque hoc
præſertim, quum de maſcula, & virili actione agi-
ur, ſeu de ea actione, quæ eſt laude digna. cuiuſ-
nodi eſt in primis iſta contritio capitis Satanæ.
ſic Ruth 1. v. 8. tam affixa, quàm verba generis
naſculini tribuuntur fœmininis, & alibi ſæpius.
Atque hinc eſt, quòd in fœminino genere tran-
tulerint Septuaginta interpretes hunc locum
uxta lectionem ſancti Ambroſij, & S. Auguſtini,
ocis citatis, & iuxta nonnullos codices Græcos, in
uibus eſt *ἀυτή*, hoc eſt, *ipſa*, & *ἀυτῆς*, hoc eſt, *eius*,
œminini generis.

Poſterior ratio eſt, etiamſi concedamus aduer- IV.
rijs puncta Iudæorum optimè eſſe collocata,
ullumque genus mutandum eſſe in verbo, aut
affixo, nihilominus ſententia iſta rectè poteſt
ntelligi de muliere, iuxta phraſim Hebraicam.
am mulier hic eſt nomen collectiuum, ſignifi-
ans totam Eccleſiam, vt iam probauimus. Hu-
ſmodi autem nomina collectiua apud Hebræos
nt communis generis, hoc eſt, tam maſculini,
ıàm fœminini, propterea quòd contineant v-
umque ſexum, vt varijs exemplis oſtendit Pa-
ninus, lib. 2. Gramm. Hebraic. c. 2. Imò in eodem
mninò verſu nunc ponuntur in maſculino,
nc in fœminino genere, vt agnoſcunt ipſi ad-
rſarij, & videre eſt Gen. 32. v. 8. in dictione, *Ant. Ceualerius in ſua Syntaxi Hebræa, Canone 22. & 38.*
מחנה, i. *turma*. Nam in hoc ipſo verſu ponitur
imò in fœminino genere, & deinde in maſ-
lino. Ad eundem modum vox אשה, id eſt,
ılier, quia eſt nomen collectiuum ſignificans
cleſiam, in priore parte huius verſus, cùm di-
ur, (*ſemen illius*) ponitur in fœminino gene-
ſed in poſteriore parte, vbi dicitur, *quod*
teret, & conteretur; ponitur in maſculino
gene-

genere, vt intelligamus, hanc pugnam non ad vnum,ſed ad multos pertinere.

V. Porrò cùm non ſatis diligenter obſeruaſſent Maſſorethæ Iudæi hanc vſurpationem nominum collectiuorum, nunc in maſculino genere, nunc in fœminino: notarunt aliquando Hebræum textum eſſe corrigendum,
Iud.19.v.3. vbi nulla opus eſt correctione. Exemplis res erit clarior, Iudicum 19. v. 3. vbi ſcribitur in textu, להשיבו: ibi Maſſorethæ notant, *Vau* affixum maſculini generis mutandum eſſe in *He* affixum fœminini generis,quòd mulier, de qua ibi agitur,ſit fœminini generis. Verùm opus non eſt hac mutatione.Quoniam mulier ibi ſignificatione myſtica eſt nomen collectiuum denotans ipſam Synagogam Iudæorum;atque hinc eſt,quòd non tantùm ponatur in fœminino genere, ſed & aliquando in maſculino:ſicut & nomen mulieris in hoc Geneſeos loco, de quo diſputamus.
Gen.3.v.15. Quemadmodum enim Mulier illa receſsit à ſuo marito; ita & Synagoga ſæpiùs receſsit à ſuo marito Deo: & ſicut Leuita ille ſollicitè laborabat, vt reduceret ad ſe vxorem ſuam:ita laborabat Deus, vt Synagogam ad ſe reduceret, teſte Propheta Ieremia.
Ier.3.v.1.

VI. Similiter Prouerb.31.v.16. vbi in textu ſcribitur נטע: Maſſorethæ notant addendam eſſe in
Prou.31.v.16. fine dictionis literam *He*, quæ eſt nota fœminini generis;quòd mulier,cui hoc verbum tribuitur, ſit fœmina. Vnde & puncta fœminini generis præter morem adiecerunt:ſed neque opus eſt hac correctione,quia mulier illa fortis,de qua loquitur ibi Scriptura,ſignificat veram Dei Eccleſiam; eſtque proinde nomen collectiuum communis generis (quemadmodum & hoc loco Geneſeos.)

Nihil

Digitized by Google

ihil ergo mirum eſt, ſi aliquando ponatur in
aſculino genere ad myſterium hoc denotan-
ım. Quare non rectè fecerunt nonnulli Chri-
ıani, qui correctiones Maſſoretharum ſequuti
ɔc in loco adiecerunt textui literam *He*, quod ne
dæi quidem auſi ſunt facere, vt probant illo-
:m Biblia tam Italica, quàm Germanica.

Præterea Ierem. 2. v. 24. in textu ita ſcribitur VII.
נפש: Maſſorethæ notant literam *Vau* affixum *Ier. 2. v. 24.*
utandum eſſe in litteram *He*, affixum fœmini-
ım, quòd vox: פרה (id eſt, *onager*) cui tribui-
r, apud Hebræos ſit fœminini generis. Atqui
que opus eſt hac correctione: tum quia nomina
imalium apud Hebræos, quocumque termi-
ntur modo, communis ſint generis: Exempla
eraque habet Pagninus: tum vel maximè, quia
ɔx illa: פרה hoc in loco non ſignificat animal *Pagninus*
ud (*onagrum* nimirum,) ſed ipſum populum Iſ- *l. 2. Inſtit.*
:eliticum: vt ſatis conſtat ex verborũ contextu. *Hebraica-rum cap. 2.*
uare hoc in loco nomen eſt collectiuum com-
unis generis, recteque additur ei affixum maſ-
lini generis.

Sunt nihilominus & alia multa loca, in quibus VIII.
ıil corrigendum putarunt Maſſorethæ, quam-
; in illis ponantur verba maſculini generis pro
:mininis: propterea quòd iungantur nomini-
s collectiuis, verbi gratia, Iſaiæ 57. v. 8. verbum *Iſaiæ 57.*
:bræum: ותכרת eſt maſculini generis, quam- *v. 8.*
s cætera eiuſdem ſententiæ ſint fœminea. Idem
dere eſt Ieremiæ 3. v. 5. in verbo: ותיכל: Item *Ierem. 3. v. 5. & c. 4.*
remiæ 4. v. 14. in verbo: תלין: & Ezech. 22. v. 4. *v. 14.*
verbo ותבוא. Denique Nahum 3. v. 11. in ver- *Ezech. 22.*
ɔ: תהי (Nam fœmininum verbum eſt, תהיי, *v. 4.*
ſeæ 3. v. 3.) In his enim locis Deus alloquitur *Nahum 3.*
ultitudinem ſeu populum collectiuè: proinde *v. 11.*

 nunc

Digitized by Google

nunc verbis maſculini generis vtitur, nunc fœmi-
Cant.2. v.7. & c.3 v.5. & c.5. v.8. & c.8. v.4. nini. Imò Cant.2.v.7.Cant.3.v.5.Cant.5.v.8. & Cant.8.v.4.tam pronomen אתכם:quàm tria illa verba: תעורדו: תמצאו: תגידו:ſunt maſculini generis. Nam filiæ illæ Ieruſalem, quibus hęc tribuuntur, ſignificāt collectiuè tam filios quàm filias Eccleſiæ.

IX. Sed neque prætereundum eſt hic, quòd hæc ipſa vox: אשה: iungatur verbo maſculini generis non longè ante iſta verba, de quibus iam diſputamus, nimirum præcedente capite 2. Geneſeos *Gen.2.v.23.* v.23 in illis Adami verbis, *hæc vocabitur virago*, ſeu vt eſt Hebraicè: אשה. Nam verbum יקרא (id eſt, *vocabitur*) maſculini generis eſt, non fœminini: Quia & hoc in loco Eua myſticè repræſentabat *Epheſ.5. v.32.* Eccleſiam; teſte Apoſtolo ad Epheſios: proinde collectiuum eſt nomen communis generis.

X. Hæc paulò fuſiùs diſſeruimus, ne mirentur aduerſarij, quòd dicimus nomen collectiuum: אשה: id eſt, *mulier*, hoc in loco Geneſeos nunc in fœminino genere poni, nunc in maſculino. Præterea vt omnes intelligant, hanc generũ mutationem non inſolitam aut raram, ſed potiùs vſitatam eſſe in ſacris literis. Poſtremò, quòd quidam ex aduerſarijs nos hic ad Grammaticam Hebræam remittat, quaſi eſſemus neſcij tertiam & ſecundam pluralem futuri promiſcuè tribui maſculino & fœminino generi.

Iunius cõtra Bellar. controu.1.l.2.c.12.not.7.

XI. Scimus quidem non futuri dumtaxat, ſed & præteriti perſonas, neque ſolùm pluralis numeri, ſed & ſingularis (quod ille non obſeruaſſe videtur) tribui promiſcuè aliquando maribus & fœminis, vt exempla allata demonſtrant: Sed illud addimus, Deum, qui per ora Prophetarum loque-

uebatur, non ignoraſſe Grammaticam Hebræã, ıt conſuetos Hebræorum loquendi modos: il- ımque proinde non ex inſcitia incongruè lo- uutum eſſe, ſed de induſtria & conſultò, vt my- erium aliquod latere in verbis ſuis indicaret:)uare in huiuſcemodi inuſitatis modis loquendi on tam attendendæ ſunt regulæ Grammatico- um Iudaico more, quàm latentia myſteria con- deranda & inueſtiganda: quæ quidem ex colla- one diuerſorum locorum ſacræ Scripturæ non ı difficilè intelligi poſſunt. Nunquam enim ſine uſa immutat Spiritus Sanctus perſonarum :nera aut receptos loquendi modos: vt in exem- is iam allatis facilè eſt animaduertere.

Quòd ſi Septuaginta Interpretes verterunt, ιτὸς (id eſt, *ipſe,*) vt multi libri Græci habent, ocul dubio id fecerunt iuxta hanc vſitatam ıraſim Hebraicam, qua nomen collectiuum, a-)qui fœminini generis, ponitur in maſculino: am relatiuum αὐτὸς (id eſt, *ipſe*) maſculini gene- s non poteſt referre id, quod præcedit, τὸ σπέρ- ɛ, (id eſt, *ſemen,*) cùm iſtud ſit neutrius generis, ɪn maſculini: ſed Septuaginta reſpexerunt ad ɔcem Hebraicam אשה (id eſt, *mulier,*) quæ hìc Hebræo eſt maſculini generis. At noſter Inter- es, quòd ſciret vocem mulieris apud Latinos nper eſſe fœminini generis, rectè vertit *ipſa,* ɔn *ipſe.* XII.

Sed neque debent aduerſarij ægrè ferre, quòd XIII. ınc locum, qui ad literam intelligitur de Eccle- ı, applicemus etiam ad Beatam Virginem Ma- am matrem Chriſti: quod enim ſingulis piè in HRISTO viuentibus attribuit Scriptura, (vt *Caluini,* prà oſtendimus etiam aduerſariorum iudicio) *Bezæ, Oe-colampadij.*

rectiſsimè aptatur Beatæ Virgini: imò vt ſententia iſta præcipuè conuenit Chriſto Domino noſtro, (cuius virtute cæteri omnes calcant Diabolum) ita poſt Chriſtum præcipuè conuenit Sanctiſsimæ Matri Chriſti, quæ poſt Chriſtum perfectiſsimè calcauit Diabolum. Neque ſumus nos primi, qui id adſcribimus B. Virgini, nam multi Patres antiqui (etiam ante mille & eo amplius annos) hoc ipſum B. Virgini attribuerunt, quos prolixè recenſet Petrus Caniſius.

Caniſius de B. Virgine lib. 5. c. 9.

CAPVT XIX.

Defenduntur alia quædam loca vulgatæ editionis.

1. SEcundus locus, quem aduerſarij reprehendunt, eſt Geneſ. 8. v. 7. Nam vbi in vulgata editione habetur, *coruus egrediebatur, & non reuertebatur*, dicunt in Hebræo eſſe, *egrediebatur, & reuertebatur.* Sed falluntur aduerſarij ambiguitate verbi Hebræi שוב: oſtendimus ſuprà multis exemplis pleraque verba Hebraica contrarias habere ſignificationes, inter quæ eſt verbum שוב. Nam non tantùm ſignificat *redire*, vt putant aduerſarij, ſed etiam ſignificat *recedere*, vt videre eſt Ezech. 18. v. 26. 27. Imò hoc ipſo capite Geneſ. 8. v. 3. bis ſignificat *recedere.* Quare ita eſt Hebraicè ad verbum Gen. 8. v. 7. *Coruus egreſſus eſt egrediendo & recedendo, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram*; hoc eſt, magis magiſque egrediebatur, & recedebat, donec ſiccaretur terra. Id enim naturale eſt auibus, vt dimiſſæ è cauea quàm longiſsimè aufugiant. Hunc verò ſenſum clariùs explicuit noſter interpres illis verbis, *egrediebatur, & non reuer-*

Suprà c. 7.

Digitized by Google

uertebatur. Sic Septuaginta verterunt, *Egreſſus* *m rediјt*. Sic S. Hieronymus teſtatur in Hebræo ſe, *Egreſſus eſt exiens, & non reuertens*. Nam שוב gnificat *redire, & non redire*, ſeu *recedere*; id quod luerſarios fefellit.

S. Hieron. in traditionibus Hebraicis in Geneſim.

II.

Tertius locus, Pſalm. 131. (vel ſecundùm Heræos 132.) v. 15. vbi vulgata habet, *viduam eius bedicens benedicam*: dicunt in Hebræo eſſe *cibum* *us, ſeu venationem eius benedicens benedicam*. Caluis valde exagitat hunc locum, & acerbiſsimè uehitur in Catholicos, ſed immeritò. Nam imimis nihil eſt in vulgata editione, quod non ſit riſsimum, & quod non extet alibi expreſsè in riptura: Pſalmo 145. (vel ſecundùm Hebræos 6.) v. 9. *Dominus cuſtodit aduenam, pupillum & viam ſuſcipiet*. Et Apoſtolus: *quæ verè vidua eſt, & ſolata ſperet in Deum*. Deinde locus iſte ambius eſt, tam in Hebræo textu, quàm in Græco ptuaginta Interpretum: vulgata autem lectio bet illum ſenſum, quem ſequuntur Patres anqui, S. Hilarius, S. Auguſtinus, & alij.

Caluinus in hunc Pſal. & in antidoto contra 4. ſeſſ. Concil. Trident.

1. Timoth 5. v. 5.

III.

Et quidem de Græco textu Septuaginta hoc anifeſtum eſt; in quibuſdam enim libris legi θήραν, id eſt, *venationem*; vt ſenſus ſit, *venation eius benedicens benedicam*: quod de ſpirituali natione animarum intelligunt Patres. In alijs ris, vna tantùm litera mutata, legitur χήραν, od ſignificat *viduam*. Hanc diuerſitatem olim tarunt Patres S. Hilarius, S. Chryſoſtomus, S. eronymus (& alij multi poſt illos) in ſuis comntarijs ſuper hunc Pſalmum. Quare fallitur nè Caluinus, cùm dicit, ridiculam eſſe Cathoorum inſcitiam, eoſque omnes ſpiritu ſtuporis ſſe percuſſos, vt ſine iudicio ex *victu* facerent *uam*; & neminem prorſus id animaduertiſſe.

Caluin. in hunc Pſal. & in antidoto loc. cit.

F 3 Putat

Putat enim ille in vulgata editione primò fuiſſe ſcriptum, *victum*, quo modo ipſe vertit, & poſtea ex inſcitia vocem, *victus*, fuiſſe mutatam in *viduã*; ſed non eſt ita: nam verſio Pſalmorum eſt deſumpta ex verſione Græca; non ex ipſo Hebræo textu, vt omnes ſciunt, & agnoſcit ipſe Caluinus. Atqui apud Septuaginta interpretes nihil habetur de victu aut cibo. Sed in multis libris eſt *χήραν*, id eſt *viduam*; in alijs verò *θήραν*, id eſt, *venationẽ*. Non igitur ex Latino verbo victus orta eſt iſta lectio, ſed ex Græco textu.

IV. Sed neque in Græco textu ſolùm, verùm etiam in Hebræo eſt iſta ambiguitas, quod cùm aduerſarij non animaduertunt, ſuam potiùs inſcitiam, quàm noſtram produnt. Si enim ſcribatur Hebraica vox cum litera Daleth ד, vt communiter iam ſcribitur, hoc modo צידה, ſignificat *cibum*, vel *venationem eius*: venit enim vox iſta à verbo צוד, quod propriè ſignificat *venari*: At verò ſi literam *Daleth* ד mutes in literam *Reſch* ר, habebis ſenſum & interpretationem vulgatæ editionis, Eſt autem litera *Reſch* ſimillima literæ *Daleth*, vt videre eſt in figura vtriuſque. Atque hinc eſt, quòd vna facillimè in aliam commutetur, vt teſtantur etiam Maſſorethæ Iudæorum: imò de hoc ipſo verbo difficultas eſt, ſitne ſcriptum cum *Daleth*, an cum *Reſch*, Ioſue 9. v. 4. Iam verò ſi ſcribatur cum *Reſch* hoc in loco in hunc modum: צירה ſignificabit *viduam eius*, ſeu *deſolatam*, aut *afflictam eius*. Deſcẽdit enim hæc vox à verbo צור, quod ſignificat *affligere, deſolare, coarctare*. Hinc cardo oſtij vocatur Hebraicè ציר (quòd continuò affligatur motione oſtij,) Prou. 26. v. 14. hinc etiam mulier parturiẽs, quòd multum affligatur, Hebraicè ſignificatur voce משברה, Ierem. 48. v. 41.

Vide theſaurũ Hebraicum Pagnini in radice צור.

.41.& Ieremiæ 49. v. 22. quæ vox deſcendit ab
ıdem radice עור.
Et veriſimiliùs eſt Septuaginta hic legiſſe *Reſch*, V.
on *Daleth*. Teſtatur enim Sanctus Hilarius ipſos *S. Hilarius*
nteChriſtum vertiſſe χήρα, vocem autem θήρα *in hũc Pſal.*
icit poſtea irrepſiſſe ex aliqua alia verſione.
Iam varias adiecit Origenes. Solẽt enim Septua-
inta perſonam afflictam, deſolatam, & miſeram
gnificare nomine *viduæ*, vt ab illis factum eſſe
otauit S. Hieronymus in cap. 5. Ieremiæ verſ. 28.
uod enim eſt Hebraicè, *Iudicium egenorum ſeu af-
flictorum*, Septuaginta verterunt κρίσιν χήρας, id
ſt, *iudicium viduæ*. Et in Scripturis afflicti & vi-
uæ ſolent plerumque coniungi; tanquam eiuſ-
em rationis & ſignificationis. Vide Iſaiæ 1. v. 17.
eremiæ 5. v. 28. Zach. 7. v. 10. dicitur enim χήρα à
χηρῶ vel χηρέυω, quod eſt, *vaſto, deſolo, opprimo*.
Hinc ciuitas vaſtata dicitur eſſe, ſicut χήρα, id
ſt, *vidua*, Threnorum 1. v. 1. Ad quam ſignifica-
.onem alludit etiam Apoſtolus, cùm dicit: *Quæ* 1. *Timot.* 5.
erè vidua eſt, & deſolata. Vbi *veram viduam* ex- *v.* 5.
licat per *deſolatam*, vt agnoſcunt etiam Caluinus
ı 1. epiſt. ad Timoth. c. 5. v. 3. & 5. & Beza ibidem.
Denique non tantùm exemplaria Græca, quæ iã
ınt, habent χήραν, ſed etiam ita legit Apollina-
.us in ſua metaphraſi in Pſalmos. Idem habet
ſalterium Arabicum; Idem etiam AEthiopicũ:
dem denique habet S. Hieronymus in ſua ver-
one Pſalterij, quam tranſtulit ex Græco Septua-
inta Interpretum. vide annotationes Romanas
d Latinum Pſalterium Septuaginta Interpretum
ı Pſalmum 131.

Quartus locus eſt ex nouo Teſtamento (quem VI.
olum ex nouo Teſtamento adducit Caluinus
ı Antidoto loco citato, vt probet vulgatam
F 4 edi-

Digitized by Google

editionem eſſe corruptam) ad Rom.1.v.4. in vulgata habetur de Chriſto, quòd *ſit prædeſtinatus Filius Dei.* Caluinus contendit vertendum eſſe: *Qui declaratus eſt Filius Dei.* idq; probat ex Græco textu, in quo nõ eſt verbum compoſitum προορίζω, id eſt, *prædeſtino,* ſed ſimplex ὁρίζω, quod ſignificat *definire,* vel *declarare.* Porrò ea duntaxat, quæ nondum ſunt, dicimus propriè deſtinari. Chriſtus autem ab æterno fuit Filius Dei, non igitur dicendus eſt prædeſtinatus Filius Dei, ſed deſtinatus aut declaratus.

VII. Sed re vera in hoc loco nulla eſt difficultas. Primò quia in nonnullis libris habetur verbum compoſitum προορίζω, & ita legerunt olim Patres antiquiſsimi, non tantùm Latini, vt teſtatur Origenes in cap.1.ad Romanos, & conſtat ex Sanctis Hilario, lib 7.de Trinitate poſt medium, & Auguſtino tomo ſeptimo, de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 15. Sed etiam Græci Patres, verbi gratia, Sanctus Irenæus (qui vixit ipſis ferè Apoſtolorum temporibus) lib.3.contra hæreſes, cap. 18.& 32. Sanctus Athanaſius tom.2.lib.3.ad Theophilum, qui inſcribitur de aſſumptione hominis contra Marcellinum hæreticum, circa principiũ libri, & rurſus in fine eiuſdem libri. Sanctus Epiphanius contra hæreſim 54. quæ eſt Theodoſianorum in fine, legit προορισθέντος. Quamuis Iannus Cornarius, homo non rectæ fidei, non rectè verterit, *Qui declaratus eſt.* Verùm ipſe Beza in c. 1. ad Roman.v.4.fatetur in Epiphan. Græco ſcriptum eſſe προορισθέντος. Addit tamen Beza ſuo more exemplar fortaſſe corruptú eſſe, ſolet enim Beza dicere, exemplaria omnia corrupta eſſe, quando illi non placent.

VIII. Deinde diſtinctionem iſtam inter προορίζω, & ὁρίζω,

ίζω (quam ex Origene deſumpſit Caluinus) nõ e ſolidam fatetur ipſe Beza loco citato. Imò eò iam refelli, quòd Christus apertè dicitur προεγνωσμένος, 1. Petri 1. verſ. 20. Et ſanè diſtinctio il- nullo modo admittenda eſt, cùm de Deo lo- uimur. Quidquid enim deſtinat Deus in tem- ore, hoc ipſum prædeſtinauit ab æterno, alioqui utaretur Deus. Hinc in ſacra Scriptura, quando rmo eſt de Deo, idẽ omninò ſignificat ὁρίζειν, uod προορίζειν: nimirum *æternam Dei definitio- m*, quam *prædeſtinationem* appellamus, vt patet ucæ 22. v. 22. Actor. 2. v. 3. Actor. 10. v. 42. Actor. . v. 26. 31. Quod cùm benè intelligeret vetus no- er interpres, optimè vertit *prædeſtinatus*, & me- ùs, quàm ſi dixiſſet *deſtinatus*, cùm *deſtinatio* ſit agis ambigua, vt quæ tam *æternam Dei deſtinatio- m*, quàm temporalem hominum ſignificet, uemadmodum videre eſt Actor. 11. v. 29.

Denique in eo multùm errat Caluinus, quòd xiſtimet Chriſtum non rectè dici *prædeſtinatum ilium Dei*, quòd ab æterno fuerit Filius Dei: lon- è aliter S. Auguſtinus Tomo 9. tractatu 105. in uang. S. Ioan. *Quiſquis*, inquit, *Dei Filium præde- natum negat, hunc eundem Filium hominis negat.* t rectè id affirmat S. Auguſtinus, nam propter nionem hypoſtaticam Verbi diuini cum huma- a Chriſti natura proprietates omnes humanæ aturæ tribuuntur Filio Dei. Hinc in Symbolo poſtolorum profitemur; Filium Dei, conceptũ, atum, paſſum, mortuum, &c. quidni & præde- tinatum? Verùm in eo fallitur Caluinus, quòd on animaduertat Chriſtum non ſecundùm di- inam naturam, quæ æterna eſt, ſed ſecundùm aturam humanam, quæ æterna non eſt, præde- tinatum eſſe & dici. Qui plura de hac prædeſti- IX.

Digitized by Google

natione Chriſti deſiderat, legat Benedictum Pererium in 1. caput Epiſtolæ ad Rom. diſputat. 3. vbi fusè & exactè de ea re diſſerit.

X. Sunt & plurima alia loca vulgatæ editionis, quæ carpunt aduerſarij, ſed minoris difficultatis, & quibus abundè iam reſponſum eſt à Bellarmino, & eius propugnatore Iacobo Gretſero Controuer. 1. l. 2. cap. 12. 13. 14. A quibus proinde hæc peti poſſunt, nam nos ad alia properamus Vnum tamen in his obſeruatu non indignum eſt, aduerſariorum falſas criminationes maxima ex parte oriri ex ignorantia Hebraicæ linguæ, & phraſium Hebraicarum, quibus plerumque vtuntur ſacrarum literarum ſcriptores, tam in veteri, quã in nouo Teſtamento, quas ſi quis probè tenuerit, facillimè depellere poterit omnes ferè illorum criminationes, vt proinde valde neceſſaria ſit hoc tempore Hebraicæ linguæ cognitio ad refellenda aduerſariorum argumenta. Quod vno exemplo veteris Teſtamenti, & alio noui breuiter declarabimus, & ita finem huic capiti imponemus.

XI. Primum exemplum habetur Geneſis 37. v. 2. vbi in vulgata dicitur, quòd Ioſeph fuit *ſexdecim annorum*; in Hebræo habetur, quòd fuerit *ſeptendecim annorum.* Sed facilis eſt reconciliatio, ſi phraſim Hebraicam attendamus. Neque enim aliud eſt diſcrimen, quàm quòd clariùs verterit noſter Interpres id, quod Hebraicè obſcuriùs dicitur. Quippe qui Hebraicam phraſim optimè intellexerit. Significat enim phraſis Hebraica, quòd Ioſeph iam abſoluerat decimum ſextum annum, & agebat decimum ſeptimum, quem nõdum compleuerat. Id, quod clariùs dixit noſter Interpres illis verbis, *cùm ſexdecim eſſet annorum*, hoc

:eſt, *cùm compleuiſſet annum decimumſex-*
i.

In Hebræo enim ad verbum ita habetur: *Ioſeph* XII.
t filius ſeptendecim annorum. Porrò vox בן, id
,*filius*, apud Hebræos diminuit ſignificationem
,cui adiungitur: ſignificat enim vel effectum,
partem, vel inchoationem, & quaſi ædifica-
nem illius rei. Nã radix, à qua deſcendit בנה.
nificat propriè *ædificare.* Hinc villæ adiacen-
ciuitati ſæpè dicuntur *filiæ eius*, vt Ioſue 17. v.
Sic pupilla oculi vocatur *filia oculi.* Pſal. 16. (vel
tra Hebræos 17.) v. 8. ſic pullus nondum adul-
dicitur *filius Aſini*, Zachariæ 9. v. 9. Senſus igi-
huius loci eſt, cùm *Ioſeph adhuc ædificaretur à*
imoſeptimo anno, vel cùm ageret decimum ſeptimũ
um.

Quòd autem *filius vnius*, vel *plurium annorum*, ſi- XIII.
ificet illum, qui annum illum nondum com-
:uit, conſtat euidenter ex cap. 12. Exod. v. 5. vbi
:itur, quòd Agnus Paſchalis deberet eſſe *filius*
us anni, non quòd iam abſoluiſſet annum, ſed
òd debebat agere primum annum, & illum
ndum abſoluiſſe.

Secundum exemplum (quod eſt ex nouo Te- XIV.
mento) habetur Ioan. vlt. cap. v. 22. & 23. vbi in
lgata eſt: *Sic eum volo manere, donec veniam.* Ad-
ſarij irrident noſtrã verſionẽ, quia in Græco
betur *ἐὰν*, quod ipſi vertũt, *Si*, & contendũt le-
ndũ eſſe, *Si*, nõ *Sic.* Scimus diuerſas fuiſſe lectio-
s huius loci apud antiquos Patres, adeo, vt alij
gerint, *ſi*, alij *ſic*, alij *ſi ſic*, de quib. Lucas Brugẽ-
. Verũ ſiue legatur *ſic*, ſiue *ſi*, idẽ eſt omnino ſẽ
& nulla diuerſitas; niſi quòd vulgata lectio cla-
explicet id, quod Græcè obſcuriùs dicitur. Eſt
& iſta phraſis Hebraica in Scripturis vſitata, quæ
par-

Beza in Ioannem. VVithakerus Hunnius

Brugenſis in annot. noui Teſt. ad Biblia Louan.

Digitized by Google

pagninus in radice אם·

particula אם,(id eſt,*ſi*) apud Hebræos plerumque ſumitur affirmatiuè, non dubiè,aut conditionaliter,vt idem ſit,quod *verè,vtique,certè*; verbi cauſa Pſalmo 138.(vel ſecundùm Hebræos 139.) v.19. *Si occideris Deus peccatores*,id eſt, *verè occides eos*.vbi Septuaginta habent ἐὰν. Item Pſalmo 62. (vel ſecundùm Hebræos 63.)v.7. *Si memor fui tui ſuper ſtratum meum*; id eſt,*verè fui memor tui*. Et Prouerb. 3.v.34.*Ipſe deludet irriſores*.Hebraicè eſt *ſi*(id eſt,*verè*)*deludet irriſores*. ſimiliter Eſaias 4. verſ.4. *Si abluerit Dominus*,id eſt,*verè abluet*. Idem teſtatur Pagninus,qui & plura Scripturæ loca adfert,& benè notat particulam -אם, eſſe defectiuum à radice אמן- quod ſignificat *verum & fidelem eſſe*.

XV. Hinc eſt,quòd in nouo Teſtamento particula,*ſi*,Hebraica phraſi ſumatur non rarò aſſeuerãter,non dubitanter, aut conditionaliter , verbi gratia,Act.26.v.23.*ſi paßibilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorum*.Item Luc.12.v.49.vbi Latinè eſt;*quid volo,niſi vt accendatur*,Græcè eſt : τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη,id eſt,*quid volo , ſi iam accenſus eſt*.Id eſt,*verè iam accenſus eſt*.

XVI. Huc ſpectat,quòd particula ἐὰν, cùm ſumitur conditionaliter , ſoleat iungi cum ſubiunctiuo modo verbi,non autem cum indicatiuo : Atqui in exẽplari,quo vſus eſt noſter Interpres,verbum poſitum fuit in indicatiuo , non in ſubiunctiuo: Ipſe enim vertit,*volo*,non *velim*. Quare optima ratione vertit particulam ἐὰν affirmatiuè, non conditionaliter. Verus itaque ſenſus iſtorum verborum(*Sic eum volo manere*)eſt iſte,*verè volo eũ manere,donec veniam*.Quem ſenſum clariùs explicuit noſter Interpres per particulam affirmantem *ſic*,vt hac ratione tolleretur ambiguitas,quæ eſt

in Græco textu in particula ἐὰν,(id eſt, *ſi*) quæ eſt affirmatè & dubiè ſeu conditionaliter vpari.

CAPVT XX.

Verbum Dei ſcriptum non eſſe Iudicem controuerſiarum, quæ ſunt de fide.

ADVERSARII in principio mordicus defendebant ſacram Scripturam ſolam iudicem eſſe omnium controuerſiarum, quæ a fidei dogmata oriuntur: Sed poſtea cùm ilbijceretur, idem omnino eſſe, Scripturam iuare, quod Scripturam audire, loqui, viuere: m iudicare hæc omnia in ſe continet: Item il magis à ratione alienum eſſe, quàm dicere, icem omnium controuerſiarum nec audire, loqui, ſed ne viuere quidem. Iam mutata ſentia, ſolent dicere, Scripturam impropriè dici icem, & propriè ſolum Spiritum ſanctum eſſe icem: Atque ita cùm impropriam locutio1 tot annis defenderint, nunc tandem confunt ad Spiritum ſanctum, de quo nemo dubiquin ſit ſupremus iudex omnium. I. *Franciſcus Iunius contra Bellar. Controu. 1. lib. 3. c. 3. nota 9. & c. 9. nota 8. & 10. Robertus Rollocus de vocatione efficaci c. 15.*

ed illud debuiſſent adiungere, Spiritum ſann hoc tempore nemini immediatè loqui, ſed mmodò mediatè per os Eccleſiæ (vt oſtenius ſequenti controuerſia, vbi plura de hac re nda erunt) proinde qui Eccleſiæ iudicium nit, etiam Chriſti & Spiritus ſancti iudicium nit: *qui vos ſpernit* (inquit Chriſtus) *me ſpernit:* neque per Scripturam loquitur Spiritus S. illa rectè intelligatur, quod fieri non poteſt, II. *Contr. 2. c. 17. Luc. 10. v. 16.*

niſi

Suprà c. 4. niſi amplectamur interpretationem vniuerſalis Eccleſiæ, vt ſuprà commonſtrauimus.

CAPVT XXI.

An ſacra Scriptura ſit obſcura.

I. CVm duplex ſit verbum Dei; vnum prædicatũ ſeu euangelizatum, & aliud ſcriptum, vt in principio huius diſputationis ex Scripturis oſtẽdimus. Certum eſt, verbũ Dei prædicatũ non eſſe obſcurum; neque enim eſt opertum niſi ijs, qui pereunt. Sed quæſtio eſt de verbo ſcripto. Aduerſarij in principio docebant, Scripturam in vniuerſum eſſe facilem, non obſcuram. Verùm cùm Catholici obijcerent plurima loca obſcura, imò integra capita ex Canticis Canticorum, ex Ezechiele, & alijs Prophetis, mutata ſententia nunc fatentur, non pauca loca eſſe obſcura in ſacris literis; ſed dicunt, omnia neceſſaria ad ſalutem extare in locis apertis.

Suprà c. 2. *1. Cor. 4. n. 3.* *Ita Beza de notis Eccleſiæ, vol. 3. p. 137. edit. anni 1582.*

II. At verò hic cum diſtinctione reſpondendum eſt. Nam ſi vox Scripturæ ſumatur impropriè pro ſola litera, proculdubio Scriptura eſt obſcura, cùm alioqui S. Paulus non diceret, illam occidere, damnare, afferre mortem, vt ſuprà diximus; ſed ſi ſumatur ſacra Scriptura propriè, vt includit verum ſenſum, ita non eſt obſcura, ſed clara, quoad illa, quæ ſunt omnibus neceſſaria ad ſalutem. Et hoc modo loquitur S. Auguſtinus, alijque Patres, quos citant aduerſarij, cùm dicunt omnia ad ſalutem neceſſaria apertè in Scriptura ſacra contineri.

2. Cor. 3. v. 6. 7. 9. *Suprà c. 3.* *S. Aug. to. 3. de doct. Chriſt. lib. 2. c. 7. & 9.*

Præterea obſcura eſt, & clara ſacra Scriptura,
III. non conſideratione eorundem, ſed diuerſorum. Obſcu-

ɔſcura planè eſt ſuperbis, qui ſanctorum Pa-
ım totiuſque Eccleſiæ Catholicæ ſenſum & cō-
ıſum aſpernantur: contrà, paruulis & humili-
s, qui ſenſum hunc & conſenſum in omnibus
ıuuntur, clara eſt & perſpicua. *Teſtimonium Do-
ıi fidele* (inquit Pſalmiſta) *ſapientiam præſtans* *Pſal. 18. (vel ſecundùm Hebræos 19.) v. 8.*
uulis, hoc eſt, non ſuperbis, ſed humilibus. Et
riſtus Dominus; *Abſcondiſti hæc*, inquit, *à ſa-*
ıtibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, hoc *Matt. 11. v. 25.*
humilibus. Obſcura eſt planè Scriptura his,
fidem non habent, qui à Spiritu ſancto deſti-
ntur: non his, qui in fide Eccleſię perſeuerant,
à Spiritu ſancto gubernantur.

IV. Lucidum prorſus eſt Dei verbum, ſed Dei,
ı hominum, non Sathanæ: illud enim dumta- *Pſal. 18. v. 9.*
Dei verbum eſt, quod in vero ſenſu, non in
la litera conſiſtit. Nam alioqui litera depra-
a, verbum eſt hominum aut potiùs Sathanæ,
ı Dei. Illuminat omninò oculos Dei verbum, *Ibidem.*
eorum, qui oculos habent ad videndum, non
um oculos, quorum mentes excæcauit Sathan, *2. Cor. 4. v. 4.*
ulgeat illis illuminatio Euangelij.

V. uare fruſtra coaceruant & congerunt aduer-
j tot Scripturæ loca, quæ affirmant, Dei ver-
a eſſe clarum, lucidum, perſpicuum: cùm nuſ-
m hæc tribuat Scriptura ſoli literæ, ſed lite-
uæ coniuncta eſt cum vero ſenſu: Porrò ve-
ſenſus haberi non poteſt extra veram Chriſti
leſiam.

VI. ed neque omnibus promiſcuè dicit Scriptura
ɔum Dei apertum eſſe, verùm ijs duntaxat,
vera fide præditi ſunt, & Spiritu ſancto affla-
humiles corde. Si velint igitur aduerſarij, vt
ptura illis lucida ſit, & peruia; neceſſe eſt, vt
eram Eccleſiam redeant, in qua ſola eſt vera
fides,

Suprà c. 4. niſi amplectamur interpretationem vniuerſalis Eccleſiæ, vt ſuprà commonſtrauimus.

CAPVT XXI.

An ſacra Scriptura ſit obſcura.

I. CVM duplex ſit verbum Dei; vnum prædicatũ ſeu euangelizatum, & aliud ſcriptum, vt in principio huius diſputationis ex Scripturis oſtẽdimus. Certum eſt, verbũ Dei prædicatũ non eſſe obſcurum; neque enim eſt opertum niſi ijs, qui pereunt. Sed quæſtio eſt de verbo ſcripto. Aduerſarij in principio docebant, Scripturam in vniuerſum eſſe facilem, non obſcuram. Verùm cùm Catholici obijcerent plurima loca obſcura, imò integra capita ex Canticis Canticorum, ex Ezechiele, & alijs Prophetis, mutata ſententia nunc fatentur, non pauca loca eſſe obſcura in ſacris literis; ſed dicunt, omnia neceſſaria ad ſalutem extare in locis apertis.

Suprà c.2. *2.Cor. 4. v.3.* *Ita Beza de notis Eccleſia, vol. 3. p. 137. edit. anni 1582.*

II. At verò hic cum diſtinctione reſpondendum eſt. Nam ſi vox Scripturæ ſumatur impropriè pro ſola litera, proculdubio Scriptura eſt obſcura, cùm alioqui S. Paulus non diceret, illam occidere, damnare, afferre mortem, vt ſuprà diximus; ſed ſi ſumatur ſacra Scriptura propriè, vt includit verum ſenſum, ita non eſt obſcura, ſed clara, quoad illa, quæ ſunt omnibus neceſſaria ad ſalutem. Et hoc modo loquitur S. Auguſtinus, alijque Patres, quos citant aduerſarij, cùm dicunt omnia ad ſalutem neceſſaria apertè in Scriptura ſacra contineri.

2.Cor.3.v. 6.7.9. *Suprà c.3.* *S. Aug. to. 3. de doct. Chriſt. lib. 2. c. 7. & 9.*

III. Præterea obſcura eſt, & clara ſacra Scriptura, non conſideratione eorundem, ſed diuerſorum. Obſcu-

Obſcura planè eſt ſuperbis, qui ſanctorum Patrum totiuſque Eccleſiæ Catholicæ ſenſum & cōſenſum aſpernantur: contrà, paruulis & humilibus, qui ſenſum hunc & conſenſum in omnibus ſequuntur, clara eſt & perſpicua. *Teſtimonium Domini fidele* (inquit Pſalmiſta) *ſapientiam præſtans paruulis*, hoc eſt, non ſuperbis, ſed humilibus. Et Chriſtus Dominus; *Abſcondiſti hæc*, inquit, *à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*, hoc eſt, humilibus. Obſcura eſt planè Scriptura his, qui fidem non habent, qui à Spiritu ſancto deſtituuntur: non his, qui in fide Eccleſię perſeuerant, qui à Spiritu ſancto gubernantur. *Pſal.* 18. (*vel ſecundùm Hebræos* 19.) *v.* 8. *Matt.* 11. *v.* 25.

IV. Lucidum prorſus eſt Dei verbum, ſed Dei, non hominum, non Sathanæ: illud enim dumtaxat Dei verbum eſt, quod in vero ſenſu, non in nuda litera conſiſtit. Nam alioqui litera deprauata, verbum eſt hominum aut potiùs Sathanæ, non Dei. Illuminat omninò oculos Dei verbum, ſed eorum, qui oculos habent ad videndum, non eorum oculos, quorum mentes excæcauit Sathan, ne fulgeat illis illuminatio Euangelij. *Pſal.* 18. *v.* 9. *Ibidem.* 2. *Cor.* 4. *v.* 4.

V. Quare fruſtra coaceruant & congerunt aduerſarij tot Scripturæ loca, quæ affirmant, Dei verbum eſſe clarum, lucidum, perſpicuum: cùm nuſquam hæc tribuat Scriptura ſoli literæ, ſed literæ, quæ coniuncta eſt cum vero ſenſu: Porrò verus ſenſus haberi non poteſt extra veram Chriſti Eccleſiam.

VI. Sed neque omnibus promiſcuè dicit Scriptura verbum Dei apertum eſſe, verùm ijs duntaxat, qui vera fide præditi ſunt, & Spiritu ſancto afflati, & humiles corde. Si velint igitur aduerſarij, vt Scriptura illis lucida ſit, & peruia; neceſſe eſt, vt ad veram Eccleſiam redeant, in qua ſola eſt vera fides,

Digitized by Google

ſides, vera humilitas, verus Scripturæ ſenſus, verus Spiritus ſanctus, ſine quibus nunquam erit ſancta Scriptura plana, clara, aut perſpicua. Summæ enim imprudentiæ eſt (ne dicam impudentiæ) de perſpicuitate ſacræ Scripturæ inimiciſſimè atque infenſiſſimè contendere, & ad viam, quæ ſola ad hanc perſpicuitatem ducit, nolle redire.

CAPVT XXII.

Sitne ſacra Scriptura transferenda in linguam vulgarem.

I. VT ea, quæ fusè à multis de hac re traduntur, breuiter expediamus, omnia quæ hic tractāda videntur, ad quatuor axiomata reuocabimus. Primum axioma: Extra controuerſiam eſt, verbum Dei prædicatum (hoc eſt, conciones ad populum) debere fieri vulgari ſermone. Sed quæſtio eſt de nuda litera ſcripta.

II. Secundum axioma: Exempla Chriſti & primitiuæ Eccleſiæ nequaquam conuincunt Scripturā in vulgarem linguam eſſe transferendam, ſed cōtrarium potiùs ſuadent. Nam Chriſtus nunquam præcepit Iudæis, vt verterent Hebraicas Scripturas in linguam Syriacam; etſi Chriſti tempore antiqua Hebraica lingua eſſet apud Iudæos, vti iam eſt Latina apud Gallos, Italos & Hiſpanos, ſola autem Syriaca in vſu tunc erat apud vulgus, id, quod agnoſcunt ipſimet aduerſarij, qui in Syriaca & Hebraica lingua præ cæteris profecerunt: verbi cauſa Sebaſtianus Munſterus in præfatione ante ſuam Grammaticam Syriacam & Chaldaicam, Franciſcus Iunius in ſua præfatione ante nouum

uum Teſtamentum Syriacum Tremelij, Petrus Martinus Morentinus Nauarrus in præfatione ſuæ Grammaticæ Chaldaicæ Rupellæ editæ anno 1590.

III. Præterea S. Paulus ſcripſit ad Romanos Græcè, non Latinè, quamuis Latina lingua Romæ eſſet vulgaris, non Græca. Sic S. Lucas Acta Apoſtolorum ſcripſit Romæ; ſed Græcè, non Latinè. Denique vſque ad tempora ſancti Auguſtini, hoc eſt, quadringentis annis poſt Christum, Biblia nō extabant, niſi in tribus linguis, Hebraica, Græca & Latina. Imò neque tempore Rabbani Mauri, qui fuit pluſquam octingentis annis poſt Chriſtum, vt ſatis conſtat ex verbis Rabbani.

S. Hier. de Script. Eccleſ. in Luc. Vide S. Aug. to. 3. de doct. Chriſt. lib. 1. c. 11 & ſequentibus vſq; ad 16. Rabba. lib. 5. de Inſtit. Cler. c. 8.

IV. Sed neque adducere poſſunt aduerſarij vllum exemplum authenticum antiquæ Eccleſiæ de tranſlatione ſacræ Scripturæ in linguam vulgarem, niſi fortè Vulphilæ Gothorum Epiſcopi, qui dicitur tranſtuliſſe Scripturam in linguam Gothicam. Verùm iſte Catholicus non fuit, ſed Arrianus, vt teſtantur Theodoretus, Socrates, Sozomenus, & Caſſiodorus.

Theod. lib. 4. hiſt. Eccleſ. c. vlt. Socrat. lib. 4. c. 27. Sozom. lib. 6. c. 37. Caſſiod. in hiſt. tripart. lib. 8. c. 13.

V. Nam quòd à quibuſdam recentioribus refertur de ſancto Chryſoſtomo, quòd conuerterit Scripturam in linguam Armenicam: & de ſancto Hieronymo, quòd illam verterit in linguam Dalmaticam; nullo firmo teſtimonio confirmatur. Deinde illi, qui hoc ſcribunt, non affirmant totam Scripturam ab illis conuerſam eſſe, ſed partes duntaxat illas, quæ in Eccleſiaſticis precibus olim legi conſueuerant, nimirum Pſalmos, Epiſtolas, Euangelia & Lectiones, quæ in Miſſa & in horis Canonicis publicè cātabātur. Id quod etiam Morauis in prima ipſorū conuerſione ad fidem Chriſti conceſſum eſſe legimus ab Ioanne

Digitized by Google

Papa VIII. ſed octingentis & octoginta annis poſt Chriſtum. Verùm non diu apud eos manſit iſta conſuetudo, vt conſtat ex ijs, quę ſcribit Gregorius Papa VII. ad ducem Bohemiæ, quæ extant apud Cæſarem Baronium.

Vide Baro. to.10. anno 880. nu. 19. & to.11. an.1080. n.1.

VI. Tertium axioma. Tranſlatio Scripturæ in linguam vulgarem non eſt ex ſe illicita, neque vlla lege Eccleſiaſtica prohibita, dummodò illa rectè fiat; imò huiuſmodi verſio prodeſt multum Concionatoribus, quorum officium eſt coram populo vulgari ſermone vti in citandis & exponendis Scripturis. Prohibentur quidem tranſlationes Hæreticorum, præſertim noui Teſtamenti, quia illi plurima loca Scripturæ falſis ſuis verſionibus deprauant.

VII. Quartum axioma. Lectio ſacræ Scripturæ in vulgarem linguam tranſlatæ non eſt omnibus vtilis; imò non paucis eſt etiam pernicioſa. Nam in Scripturis multa ſunt difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant ad ſuam ipſorum perditionem, teſte Apoſtolo Petro. Multi etiam ſunt, qui opus habent lacte, non eſca, aut ſolido cibo, vt loquitur S. Paulus: quibus proinde ſalubriores ſunt conciones & inſtructiones Paſtorum Eccleſiæ, quàm lectio Bibliorum. Quare prudenter vetuit Eccleſia, ne huiuſmodi verſiones Bibliorum, etiam à Catholicis editæ, legerētur ab omnibus ſine vllo delectu, ſed vt hac in re accederet approbatio & facultas Epiſcopi, Parochi, aut Confeſſarij.

2. Pet. vlt. v.16. 1. Cor. 3. v. 2. & Heb. 5. v.12. Index librorum prohibitorũ Reg. 4.

VIII. Obijciunt quidam aduerſarij loca quædam ſancti Chryſoſtomi, & ſancti Hieronymi, in quibus illi Patres adhortantur ad lectionem Scripturarum. Sed aduertere debuiſſent, Patres illos loqui de lectione Scripturæ, quæ Græca lingua tunc

tunc extabat, aut certè Latina, iuxta veterem editionem; id, quod nulli vnquam interdixit Eccleſia. Nos verò hic diſputamus de tranſlationibus ſacræ Scripturæ ex Hebræo, Græco, aut Latino in vulgarem ſermonem, quæ ferè omnes ſunt deprauatæ.

IX. Denique hoc animaduerſione dignum eſt, aduerſarios fruſtra tempus conterere in congerendis argumentis, quibus perſuadeant hominibus, neceſſariò eſſe legendas ſacras Scripturas in vulgari lingua, vt ex his diſcant, quæcumque ſunt ad ſalutem neceſſaria. Nam quantumuis vera & perſpicua fuerit tranſlatio, nunquam ex ea fructum recipiet vllus, niſi priùs vera fide imbutus fuerit, & à Spiritu ſancto ducatur, qui deducit nos in terram rectam, ſeu iter rectum: qui notam facit nobis viam, in qua ambulemus, qui docet nos facere voluntatem Dei noſtri.

Pſal 142. (vel ſecundùm Hebr. 143.) v. 8. & 10.

X. Id quod manifeſtè in Iudæis videmus, qui textum ipſum Hebraicum intelligunt longè meliùs, quàm multi Chriſtiani: ſed nō propterea credunt ipſi in Chriſtū. Non eſt igitur, quòd de verbis tantoperè litigent aduerſarij, aut de verborū tranſlationibus; ſed primùm amplectantur veram fidem, quæ in ſola Eccleſia eſt. Quærant primò hunc Spiritum ſanctum, qui extra Eccleſiam non inuenitur: Inquirant verum literæ ſenſum, quem ſola Eccleſia illibatum conſeruat: Et tunc facilè permittemus, vt in qua velint lingua, habeant tranſlatas Scripturas, ſi modò benè & ſine errore transferantur, & ipſi Scripturis ad ſuam ſalutem vtantur, non ad perniciem abutantur, vt pleroſque facere & ipſa Scriptura, & quotidiana experientia demonſtrat. Et hactenus de tranſlatione Scripturarum in vulgari lingua.

2. Pet. vlt. v. 16.

Digitized by Google

XI. Porrò de precibus, quæ fiunt Latinè à populo, vel à Sacerdote in Miſſa, aut in adminiſtratione Sacramentorum, inferiùs ſuis in locis diſputandum erit, nam hic de ſacra Scriptura dumtaxat diſputamus.

CAPVT XXIII.

Aduerſarios diuerſis modis corrumpere Verbum Dei Scriptum.

I. ADVERSARII itendidem poſtulant, vt omnia probemus verbo Dei ſcripto, verùm cùm profertur expreſſum Dei verbum, ſolent illud varijs modis deprauare. Quare antequã finem imponamus huic diſputationi de Verbo Dei ſcripto, non abs re fuerit huiuſmodi corruptiones paucis detegere, tum ne quis illis fallatur aut turbetur, tum etiam vt intelligamus nihil adeò clarè aut apertè proponi verbo Dei ſcripto, quod non eludi poſſit & infirmari hominum vaftrorum & ſubtilium commentis, ſi contemnatur authoritas & iudicium Eccleſiæ. Et ne quis exiſtimet, me hac in parte calumniari, aut parum candidè agere, afferam ſingularum corruptelarum vnum aut alterum exemplum ex ſcriptis ipſorum aduerſariorum. Inferiùs verò in ſingulis controuerſijs plura paſſim occurrent exempla.

II. Primus igitur modus, quo ſolent corrumpere Dei Verbum ſcriptum, eſt, quòd dicant, textum originalem corruptum eſſe, & illud, quod eis obijcitur, ex margine in textum irrepſiſſe. Huius corruptelæ ſat multa exempla ſuprà adduxi-

duximus capite duodecimo & decimo octauo.

Secundus modus. Solent vulgatam verſionem reijcere, & ſuã nouam ac deprauatam verſionem ſupponere; vt hac ratione eludant Catholicorũ argumenta. III. Satis conſtat Lutherum in ſua prima verſione Germanica noui Teſtamenti, quam edidit anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo, plurima huius rei exempla præbuiſſe, adeò vt nonnulli in illa obſeruauerint plura, quã mille errata. *Ioannes Cocleus de act. Luther. an. 1522.* Inter quæ illud non eſt poſtremum, quòd vt ſuam ſolam fidem iuſtificantem ſtabiliret, auſus eſt ad textum ſancti Pauli Romanorum tertio, verſu vigeſimo octauo adijcere particulam *ſola*, quæ nuſquam in Scriptura extat. Illud enim Apoſtoli, *Arbitramur iuſtificari hominem fide*, vertit, *ſola fide*. Cuius rei cauſam cùm à Luthero poſtulaſſet idem ſuus amicus, cui iſtud à Catholico quodam viro obijciebatur, ridiculè ſanè & ſuperbè reſpondit in libello illo, quem edidit anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo, ſub hoc titulo, *Informatio & reſponſio ad duo interrogata, de translatione ſcilicet Scripturæ, & Inuocatione Sanctorum ad quemdam bonum amicum.* Monet enim amicum ſuum, vt Catholico, qui illud ei obiecerat, reſpondeat ad hunc modum: *Doctor Martinus Lutherus vult ſic habere, & dicit, Papiſtam & Aſinum rem eſſe vnam, ſic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas: Nolumus enim Papiſtarum ſcholares eſſe, ſed Iudices. Lutherus ita vult; & ait, ſe Doctorem ſuper omnes Doctores totius Papatus.* *Luther. to. 4. Germanico excuſo VVitembergæ an. 1551. fol. 475. pag. 2.* Hactenus Lutherus, qui tandem concludit, quòd vox illa (*ſola*) manebit in ſuo nouo Teſtamento, etiam ſi omnes eius aduerſarij ad inſaniam redigantur: additque illius ſolummodò ſe

Digitized by Google

pœnitere, quòd duas etiam alias voces non addiderit ad textum in hunc modum: *Sola fide ſine vllis operibus vllius legis iuſtificamur.*

IV. Zuinglius etiam, qui primus noſtro ſæculo multis perſuaſit, corpus Chriſti re ipſa non contineri in Sacramento Euchariſtiæ, vt hunc ſuum errorem ſtabiliret, contendit verba illa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, optimè verti in hunc modum, *Hoc ſignificat corpus meum.* Imò hanc ſuam nouam verſionem non poteſt ſatis admirari, tanquam è cœlo delapſam. Hæc enim ſunt ipſiſſima eius verba: *Sic ergo habet Lucas, quo ex Euangeliſtis contenti erimus: Et accepto pane gratias egit, fregit, & dedit eis dicens: Hoc ſignificat corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Vides ô fidelis, ſed abſurdis vincta opinionibus anima, vt hic omnia quadrent, vt nihil aut violenter auferatur, nihil addatur; ſed omnia ſic quadrent, vt mireris te non ſemper hanc vidiſſe ſententiam, ac multò magis mireris, hoc bellè concinnatum huius ſermonis corpus tam audacter à quibuſdam diſcerptum eſſe.* Hæc Zuinglius in laudem ſuæ nouæ verſionis ſatis ſuperque pro ſua authoritate: vt proinde illud Ciceronis de diuinatione in illum rectè dici poſſet: *Neminem cognoui, qui maiori authoritate nihil diceret.*

Zuingl. de ver. & falſ. relig. in c. de Euchar. pag. 262. in libro excuſo Tiguri 15. 3.

V. Porrò de Caluini & Bezæ erroribus in vertendis, aut potiùs peruertendis ſacris Scripturis integri libri iam conſcripti ſunt, vt de Geneuenſium Bibliorum corruptelis, quę ſingulis ferè annis augentur. Verùm hæc commodiùs infra in particularibus controuerſijs, vt in proprijs locis, declarabuntur.

VI. Vnum tantùm exemplum hic afferemus, quod Cal-

Caluino cum Beza, & omnibus Geneuenſibus Biblijs commune eſt. Eſtque iſta deprauatio ab ipſis excogitata, vt nouam & inſignem in Chriſtum, & in ipſum Deum blaſphemiam ſacræ Scripturæ teſtimonio aliquo confirmare videantur. Docent enim pleriſque in locis, Chriſtum, dùm in horto ante paſſionem oraret, vehementiſſimè timuiſſe, ne à Deo ſibi irato in æternum damnaretur propter peccata noſtra, quæ in ſe exoluēda ſuſcepit: Sed neque ſine cauſa Chriſtum adeò timuiſſe aiunt. Nam illum poſtea in cruce damnati pœnas & inferorum cruciatus ſuſtinuiſſe. Hinc illa impia Caluini verba: *Chriſtus diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit.* Item illa Bezæ: *Quo tempore*, inquit, *in cruce pependit Chriſtus, in medijs etiam inferorum cruciatibus verſatus eſt.* Ita Beza. Quod nihil aliud eſt, quàm aſſerere, ipſum verum Deum non tantùm timuiſſe inferni cruciatus, ſed etiam eoſdem incurriſſe, cùm cōſtet, Chriſtum eſſe verum Deum. Sed contra hæc tam abſurda paradoxa inferiùs ex profeſſo diſputandum erit.

Cal. l. 2. inſtit. c. 16. à ſect. 10. ad 13. & in ca. 26. Mat. v. 39. & in c. 27. Matt. v. 46. Item in Catech. domi. 10. Beza in c. 5. ad Heb. v. 7. & in ſuo maiore Catechiſmo Calu. c. 16. cit. ſect. 10. in fin. Beza in maiori Catech. vol. 1. tract. Theol pag. 657. iuxta edit. Geneu. anni 1582. apud Euſtathiū Vignon.

VII.

Hic ſatis nobis erit demonſtrare, eos deprauaſſe ſacram Scripturam, vt hac ratione ſuum impium dogma ſtabilirent. Nam quod habetur ad Hebr. 5. verſu 7. *Chriſtum exauditum eſſe pro ſua reuerentia*, Caluinus primò, deinde Beza, & Biblia omnia Geneuenſia habent in ipſo textu, *Chriſtum exauditum eſſe ex ſuo metu, ſeu ex eo, quòd metuerit:* niſi quòd in vltima editione adiecerit Beza ad textum plura verba ad hunc modum: *Exauditis precibus liberatus eſt ex metu.* Porrò Caluinus in ſuis Commentarijs, & Beza in ſuis annotationibus conantur inde probare, Chriſtum timuiſſe æternam damnationem, & eum ab hoc

Beza in annot ann. 1598.

Digitized by Google

timore fuiſſe liberatum per preces, quas cum lachrymis obtulit.

VIII. Verum eſt quidem, quòd in Biblijs Gallicè nuper editis Geneuæ anno 1605. in margine apposuerint, *vel pro ſua reuerentia.* Qua in re veritate ipſa conuicti, coguntur apertè contradicere Caluino & Bezæ, qui planè negant, hunc locum eo modo verti debere; ſed ne manifeſtè notetur illorum inconſtantia, in ipſo textu relinquunt illa priora verba (*ayant eſté exaucé de ce qu' il craignoit* (hoc eſt) *exauditus eſt ex eo*, vel. *in eo, quod timuit.*

IX. Omnes tamen alij non tantùm Catholici, ſed etiam aduerſarij Catholicorum, qui ſcripſerunt ante Caluinum, vertunt *pro ſua reuerentia*, vel *pro pietate ſua*, vt Eraſmus, Bucerus, Tigurini in Biblijs anni 1542. Imò Sebaſtianus Caſtalio in hac re acerbè reprehendit Bezam. Denique Caluinum fuiſſe primum, qui hanc nouam explicationem oſtenderit, apertè gloriatur Beza ad verſum illũ 7. in edit. anni 1560. & 1565.

Caſtalio in defenſ. ſua translat. Biblior. in fin.

X. Tertius modus eſt, ſiniſtra expoſitio textus benè verſi; nam & varijs commentarijs, & annotatiunculis ad marginem adiectis, contrarium planè illis, quæ in textu expreſsè habentur, perſuadere conantur legentibus. Exempla huius rei plurima extant in omnibus commentarijs aduerſariorum, & in annotationibus illis, quas ad marginẽ ſuorum Bibliorum adiecerunt; adeò quidem, vt in verbis inſtitutionis Sacramenti Euchariſtiæ tranſmutent corpus & ſanguinem Chriſti nunc in ſignum, nunc in teſtimonium, nunc in Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti.

Matt 26. v 26. Biblia Gallica Geneuenſia anni 1564. & 1588.

XI. Sic *animam Chriſti* Actor. 2. v. 27. & 31. in Biblijs Gallicis anni 1567. commutant in *corpus Chriſti*: At verò anno 1577. volunt *animam Chriſti* ſigni-

Act. 2. v. 27. & 31.

ſignificare *perſonam Chriſti*: Porrò anno 1588. volunt *eandem Chriſti animam* ſignificare *corpus mortuum Chriſti*: Denique anno 1605. *animam* intactam relinquunt: interea tamen *animam Chriſti* in ſepulchro collocant in omnibus ſuis verſionibus Gallicis, etiam anni 1605.

Et hæc omnia faciunt, ne cum Patribus antiquis cogantur agnoſcere tertium locum præter Cœlum, & Infernum, in quo fuerit *anima Chriſti* à corpore ſeparata, id quod candidè fatetur Beza in ſuis annotationibus ad hunc locum Actorum, in quibus etiam *animam Chriſti* nunc in *cadauer*, nunc in *ipſum Chriſtum*, nunc in *vitam*, nunc in *perſonam Chriſti* transformat, *infernum* quoque in *ſepulchrum*. XII.

Beza in annot. ad c. 2. Acto. v. 27. anni 1560. 1565. & 1598.

CAPVT XXIV.

Explicatur quartus, quintus & ſextus modus, quo ſolent Aduerſarij deprauare Verbum Dei Scriptum.

QVartus modus, quo aduerſarij deprauant Verbum Dei Scriptum, eſt, quòd vbi vident ſuperiora minùs ſuccedere, confugiunt ad figuratas, & metaphoricas locutiones. Veriſsimum enim illud eſt, quod olim ſolerter obſeruauit S. Auguſtinus: *ſi animum*, inquit, *præoccupauit alicuius erroris opinio, quicquid aliter aſſeruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur.* Et quidem nullum eſt genus figuratæ locutionis, ad quod non confugiant aliquando aduerſarij. I.

S. Aug. to. 3. li. 3. de doct. Chriſt. c. 10.

Tres ſunt tamen figuræ, quibus frequentiùs vtuntur in deprauandis ſacris Scripturis. Sunt autem hæ, Metonymia, Hyperbole, & Ironia. Meto- II.

Digitized by Google

tonymia perfamiliaris eſt Caluino: Ea enim peruertit varia Scipturæ loca, etiam illa verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum.* Nam cùm diu de verborum illorum ſenſu diſputaſſet, tandem ita concludit; *Allegorias & parabolas omitto, ne quis ſubterfugia me quærere, & extra præſentem cauſam egredi cauſetur, dico metonymicum eſſe hunc ſermonem.* Ita Caluinus.

Matt.26. v.26. Caluin.l.4. Inſt.c.17. ſect.21.

III. Per hyperbolem conantur aduerſarij eludere omnia illa tam aperta teſtimonia, quibus nos probamus bonis operibus obtineri remiſsionem peccatorum, cuiuſmodi ſunt iſta: *Eleemoſyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Item: *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam & vitam æternam.* Præterea: *Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Lutherani enim dicunt, omnes has locutiones eſſe hyperbolicas. Beza quoque illud quod ſcribitur ab Apoſtolo in laudem Romanæ Eccleſiæ: *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo*, per hyperbolem attenuare & deprimere conatur. Caluinus itidem non tantùm multa Patrum antiquorum loca per hanc hyperbolem deprauat, ſed & ipſum Chriſtum cogit ſæpè hyperbolicè loqui ſine vlla neceſsitate.

Tob.4.v.11. Tob.12.v.9. Eccl.3.v.33. Apol. conf. Auguſt. tit. de iuſtific. Rom.1.v.8. Beza ibid. Caluin.l.4. Inſt.c.14. ſect.vlt. Calu.in c.6. Matt.v.16. & in c.24. v.31.

IV. Denique per Ironiam eludere conatur Philippus Melanchthon illa Chriſti tam manifeſta verba: *quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Hæc enim verba ironicè, non ſeriò dicta eſſe contendit Philippus: id quod ille ex Eraſmo ſuffuratus eſt, vt & pleraque alia. Verùm Caluinus & Beza hanc ironiam agnoſcunt planè eſſe ineptam: quamuis & illi eadẽ verba alio modo peruertant, dum per vocẽ, *Omnia*, ſolos cibos intelligendos eſſe volunt.

Luc.11.v.41. Phil. in apol. conf. Auguſt. tit. de iuſtif. Eraſmus in annotat. in Luc. Cal. & Beza in illa verba S. Luc.

Quin-

Quintus modus: quando afferunt Catholici loca aperta Scripturæ, quæ nullum patiuntur tropum, ſolent dicere, Scripturam, imò etiam ipſum Chriſtum craſſo & populari modo loqui, non autem exactè (quod perinde eſt,) probabiliter dũtaxat, non ſolidè: verbi cauſa, quando probamus, Euchariſtiæ Sacramentum excellere Manna Iudæorum ex illis Chriſti verbis, *Patres veſtri mãducauerunt manna, & mortui ſunt: Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.* Reſpondet Caluinus, Chriſtum ſermonẽ accommodaſſe craſſæ Iudæorum opinioni. V. *Ioan. 6. v. 48. & 49. Caluin. l. 4. Inſt. cap. 14. ſect. 25.*

Cùm probamus exorciſmos Eccleſiæ, quibus eijciuntur dæmones, ſanctos eſſe, quòd vnus dæmon alium eijcere non poſsit, vt affirmat ipſe Chriſtus. Reſpondet Caluinus memoria tenendum eſſe vulgò receptis prouerbijs ita vſum eſſe Chriſtum, vt tantùm eſſent probabiles coniecturæ, non autem ſolidè probarent. Ita ille. Quare mirum non eſt, ſi aduerſarij dicant, noſtra argumenta non eſſe ſolida, qui neque ipſius Chriſti argumenta fuiſſe ſolida tam apertè ſcribunt. VI. *Matth. 12. v. 25. Calu. in illũ v. 25. Matth. 12.*

Sextus modus eſt; cùm afferuntur aperta teſtimonia Scripturæ contra illorum errores, ſolent reſpondere, Scripturam non ſimpliciter, ſed per contentionem loqui, hoc eſt, non verè, ſed iuxta falſam opinionem illorum, cõtra quos agit: quod re vera nihil aliud eſt, quàm negare Scripturam. Hoc modo ſæpè vtitur Caluinus, qui etiam per contentionem diſputare, interpretatur idem eſſe, quod non ex propria ſententia diſputare, ſed ſecundùm eorum errorem ac ſtultam affectionem, qui Euangelij claritatem obſcurant. Atque ita cùm probamus, noſtra Sacramenta multùm excellere illa legalia, ex eo, quod diuus VII. *Caluin. l. 2. Inſt. c. 11. ſect. 7. Ad Col. 2. v. 17.*

Paulus

Ad Hebr.9. v.9.&13. Heb.10.v. 11. Paulus affirmat, Iudaicas omnes ceremonias fuiſſe *vmbras rerum futurarum, corpus eſſe in Chriſto.* Itē hoſtias legales non *potuiſſe iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem:* ſed duntaxat *ſanctificaſſe ad emundationem carnis.* Denique hoſtijs legalibus nunquam potuiſſe auferri peccata. Ad hæc omnia reſpondet Caluinus: *Caluin.l.4. Inſt.c.14. ſect.29.* *Hoc maximè*, inquit, *obſeruare conuenit, in his omnibus locis Paulum non ſimpliciter, ſed per contentionem loqui.* Ita non rarò ludunt aduerſarij cum Dei Verbo.

CAPVT XXV.

Septimus & octauus modus, quo corrumpunt Aduerſarij Verbum Dei Scriptum.

I. SEptimus modus corrumpendi Scripturas, eſt, quòd non verentur aduerſarij affirmare, ea quę expreſsis verbis habentur in Scriptura, intelligēda eſſe coram hominibus, non coram Deo, nec in veritate. Non rarò vtuntur Caluinus & Beza hoc perfugio. Ita enim ſe expediunt ab omnibus iſtis locis: *Ioa.15.v.2. Cal.ibid.* *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Vbi Caluinus contendit, malos, qui in Chriſtum credunt, æſtimatione duntaxat hominum, non re vera eſſe in Chriſto, & conſequenter verba Chriſti intelligenda eſſe, quòd mali videãtur hominibus eſſe in Chriſto, ſed in rei veritate non ſint.

II. Item illud ſancti Iacobi: *Iac.2.v.24. Beza, Calu. & alij in illa verba S. Iac.* *Ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm*, interpretantur Caluinus, Beza, ac cæteri ferè omnes aduerſarij de iuſtificatione coram hominibus dumtaxat, non coram Deo.

Præ-

Præterea cùm citamus illud S. Petri: *Caritas operit multitudinem peccatorum:* Reſpondet Caluinus, non apud Deum, ſed inter homines hoc intelligendum eſſe. III. *Prou.10.v.12.* *1.Pet.4.v.8* *Caluin. l.3. Inſt.c.4. ſect.38.*

Denique illud Danielis: *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, forſitã ignoſcet delictis tuis Deus;* Caluinus affirmat, redemptionem iſtam ad homines potiùs, quàm ad Deum referendam eſſe. IV. *Dan.4.v.24.* *Cal.ſect.38. citat.*

Octauus modus. Quando aliud non habent, quod reſpondeant, ſolent dicere, loquutionem ſaltem eſſe impropriam, & deinde mutant verba Scripturæ in alia verba, quę ipſi ad libidinem fingunt. Verbi gratia: cùm illa Chriſti verba proferimus, quibus promittitur merces precibus, & orationibus: *Ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui eſt in abſcondito, reddet tibi.* Item illa de ieiunio: *Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Vbi addit Caluinus ex Græcis quibuſdam codicibus; *In propatulo,* hoc eſt, (vt ipſe ait) *in die extremi iudicij coram toto mundo.* Quibus verbis apertè promittitur merces precibus & ieiunijs. At Caluinus hæc omnia eludere conatur per improprias loquutiones: *Quòd ieiunijs* (inquit) *mercedem à Deo promittit Chriſtus, impropria eſt loquutio; ſicut paulò antè de precibus dictum eſt.* V. *Mat.6.v.6.* *Mat.6.v.18.* *Calu.in c.6 Matt.v.4.* *Calu.in c.6 Matt.v.18.*

Ad eundem modum, cùm allegamus illa Chriſti verba, *facite arborem bonam,* ad probandum liberum hominis arbitrium: Reſpondet Caluinus, impropriam eſſe loquutionem. VI. *Mat.12.v.33.* *Calu ibid.*

Similiter cùm probamus, ipſum credere, eſſe opus bonum noſtrum, quod Deus in nobis (ſicut reliqua bona opera,) ſed non ſine nobis operatur, quia Chriſtus ipſe dixit: *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille.* Reſpondet Caluinus, VII. *Ioa.6.v.29.* *Caluin. ibi.*

ſatis

Digitized by Google

ſatis conſtare, CHRISTVM impropriè loqui.

CAPVT XXVI.

Nonus & decimus modus, quo peruertunt Aduerſarij Verbum Dei Scriptum.

I. NOnus modus deprauandi Scripturas eſt; quãdo verba Scripturæ adeò ſunt aperta & manifeſta, vt aliter ſubterfugere non poſsint aduerſarij, tandem confugiunt non ſolùm ad impropria, ſed etiam ad impoſsibilia: dicunt enim Scripturam aſſumere rem impoſsibilem: atque vt hãc corruptelam probabiliorem reddant, corrumpũt aliquando ipſum textum, addendo particulam *ſi*, quaſi Scriptura conditionaliter loqueretur, non abſolutè.

II. Frequens eſt etiam iſte corruptelæ modus apud Caluinum & Bezam: verbi gratia: Quando citamus loca Scripturæ, quibus apertè promittitur vita æterna his, qui obſeruant mandata Dei: cuiuſmodi ſunt iſta: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Hoc fac & viues*: ſolent reſpondere, Chriſtum in his verbis loqui de re impoſsibili. Caluinus in priorem locum ita ſcribit: *Locum hunc perperam interpretati ſunt quidam ex veteribus, quos Papiſtæ ſequuti ſunt; ac ſi doceret Chriſtus, legis obſeruatione poſſe nos vitam æternam promereri.* & paucis interiectis, ita ſententiam ſuam concludit: *Legale eſt hoc Chriſti reſponſum, neminem coram Deo cenſeri iuſtum, niſi qui legi ſatisfecerit, quod eſt impoſsibile.* In poſteriorem verò locum ita ſcribit: *Impoſsibile nobis eſt præſtare, quæ iubet lex.* Ita Caluinus. Hinc illud prçcipuum axioma Caluini, atque ad omnia huiuſ-

Matt.19.v.17. *Luc.10.v.28.* *Calu. in c. 19. Matth. v.17.* *Calu. in c. 10. Luc. v. 28.*

huiuſmodi loca commune reſponſum: *Promiſſio legalis* (inquit) *annexa conditioni impoſſibili nihil probat.* Calu. lib. 3. Inſt. c. 17. ſect. 7.

Atque adeò in iſtis impoſsibilibus nobiſcum, aut potiùs cum ipſis ſacris literis ludunt; vt affirment Apoſtolum ſepties minimùm in eodem capite impoſsibilia aſſerere: Nam ſanctus Paulus 2. c. epiſt. ad Rom. v. 6. Primò quidem affirmat, *Deum reddere vnicuique ſecundùm opera eius.* Id quod illi ita interpretantur, Deum daturum quidem hominibus ſecundùm opera eorum bona, ſi quæ eſſent talia: verùm neminem poſſe opus vllum bonum coram Deo efficere. *Ecquis* (inquit Beza) *afferet hæc opera, quibus vitam æternam perſolui dicit Apoſtolus?* III. Calu. & Beza in c. 2. ad Rom. Rom. 2. v. 6. Beza in c. 2. ad Rom. v. 6. annotat. edit. anni 1560. 1565.

Secundò. Eodem capite, verſu ſeptimo, affirmat Apoſtolus, *Deum reddere vitam æternam quærentibus eam ſecundùm patientiam boni operis.* Et hoc ſimiliter dicunt eſſe impoſsibile; Nam neminem poſſe vllum opus bonum coram Deo operari, quin potiùs omne, quod facit homo iuſtiſsimus, eſſe coram Deo æterna damnatione digniſsimũ. *Qui præ alijs* (inquit Caluinus) *multùm progreſſi ſunt in via Domini, ſi legem Dei intueantur, quicquid tentant, aut meditantur operis, maledictum eſſe vident.* Hæc ille. Et quidem talem eſſe progreſſum aduerſariorum in via Domini, facilè crediderim. IV. Caluin. l. 3. Inſt. cap. 19. ſect. 4.

Tertiò, Apoſtolus eodem 2. cap. verſ. 10. affirmat, *gloriam, honorem & pacem eſſe omni operanti bonum*; & hoc quoque impoſsibile eſſe volunt eadem ratione. V.

Quartò, Apoſtolus eodem cap. v. 13. affirmat, *factores legis iuſtificari apud Deum.* & hoc quoque eſſe omninò impoſsibile ſæpius aſſerũt. *Fate-* VI.

mur

Digitized by Google

Caluin. l.3. Inſt. c.17. ſect.7. *mur libenter* (inquit Caluinus) *abſolutam legis obedientiam eſſe iuſtitiam; ſed extare vſquam talem iuſtitiæ formam negamus.*

VII. Quintò, Apoſtolus eodem capite, verſ. 14. affirmat, *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, facere*; vbi vox (*naturaliter,*) vt bene notat S. Auguſtinus, excludit legem Moſaicam duntaxat; non autem gratiam Chriſti. De gentibus enim ad fidem Chriſti conuerſis loquitur Apoſtolus. Hic etiam neceſſe eſt, vt fateantur aduerſarij Apoſtolum loqui de re impoſsibili, cùm apertè ſcribat Caluinus, *nec vnum à ſanctis exire opus, quod ſi in ſe cenſeatur, non mereatur iuſti opprobrij mercedem.*

S. Aug. to.3. de ſpiritu & lit. c. 26. & to.7. contra Iulian Pelagian. l.4. c 3.

Caluin. l.3. Inſt. cap.14. ſeſſ. 9 in fin.

VIII. Sextò, idem Apoſtolus eodem capite, verſu 26. affirmat, *præputium* (hoc eſt, *viros præputiatos,* vt omnes interpretantur) *iuſtitias legis cuſtodire:* & hoc quoque apud illos eſt impoſsibile. *Porrò* (inquit Caluinus verſu 26.) *hic neminem ſolicitum eſſe oportet, de quibus legis cultoribus intelligi poſsit, quod ait Paulus, quando nullos tales reperire liceat.* Id quod Gallicè paulò clariùs dicit: *Il ne ſe faut point beaucoup tourmenter, de quels obſeruateurs de la loy on pourra entendre ce que dit Sainct Paul, veu qu'il eſt impoſsible d'en trouuer de tels.*

Calu in c. 2. ad Ro. v. 26.

IX. Septimò, Apoſtolus eodem capite, verſu 27. affirmat, *præputium* (hoc eſt, *incircumciſum*) *legem conſummare*; quod etiam prorſus eſſe impoſsibile vbique docent aduerſarij. Verùm iſte locus adeò aduerſatur opinioni aduerſariorum, vt non ſint veriti eundem deprauare, addendo textui particulam, (*ſi*) quæ nuſquam hactenus extabat, nec in textu Græco, nec Syriaco, nec Latino. Atque hac additione, ex aſſertiua propoſitione faciunt conditionalem ad hunc modum, *ſi præputiũ legem*

Ad Rom. 2. v.27.

legem conſummauerit: & hanc conditionalẽ dicunt *Ad Ro. 2. v. 27.*
eſſe impoſsibilem, quæ eſt manifeſta deprauatio
textus, extatque iſta corruptio non tantùm apud
Caluinum, & Bezam, ſed in omnibus quoque
Biblijs Gallicis Geneuenſibus, etiam anni 1605.
Verùm de ijs impoſsibilibus aduerſariorum plura
inferiùs dicenda ſunt, vbi refutanda erit iſta illorum
abſurda opinio de impoſsibilitate mandatorum
Dei.

X. Decimus modus, quando adeò clarus, & manifeſtus
eſt Scripturæ locus, vt nullum ex præcedentibus
corruptelarum modis facilè admittat,
ſolent ſingulas quaſque dictiones torquere ad alienos
ſenſus, & in ſingulis excogitare nouas, &
diuerſas vocum acceptationes, vt hac ratione effingant
quamplures illius loci interpretationes
nunquam hactenus auditas, ac tandem concludunt,
locum illum ſaltem obſcurum eſſe, & ex obſcuris
nihil probari poſſe.

XI. Extant præclara huius rei duo exempla. Alterum
eſt de verbis illis clariſsimis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* *Lucæ 22. v. 19.* Nã aliqui detorquent
pronomen, *Hoc*: alij verbum, *Eſt*: alij nomen,
Corpus: alij pronomen, *Meum*: alij relatiuum,
Quod: alij præpoſitionem; *Pro* (quam aiunt eſſe ſuperfluam)
alij pronomen, *Vobis*: alij denique verbum,
Datur. & ſingulas etiam dictiones non vno
duntaxat modo, ſed diuerſis contorquent; adeò
quidem, vt nonnemo ante 30. & eò amplius annos *Anno Domini 1577.*
ex illorum ſcriptis collegerit ducentas diuerſas
expoſitiones horum verborum Chriſti. Claudius
etiam de Xainctes in fine 1. repetitionis de
Euchariſtia, octoginta quatuor enumerat. Certè,
quin compl**ures** ſint, & inter ſe pugnantes, quibus
iſta verba planè obſcurare ſatagunt, nemo eſt
qui dubitare poſsit.

Cap. 19. v. 5. Alterum exemplum cernitur in hiſtoria illa apertiſsima, & planiſsima Actorum Apoſtolorum, vbi narrat ſanctus Lucas, duodecim circiter viros Baptiſmo Ioannis antè baptizatos, denuò fuiſſe baptizatos à S. PAVLO, Baptiſmo CHRISTI Hiſtoria eſt ex ſe euidentiſsima: ſed quia pugnat cum communi doctrina aduerſariorum, qua aſſerunt, Baptiſma Ioannis idem omnino fuiſſe cum Baptiſmo Chriſti, & conſequenter, repeti non potuiſſe ſine ſacrilegio, diuerſis, ac planè contrarijs modis torquent ſingula ferè verba huius hiſtoriæ. Martinus Kemnitius magnus inter Lutheranos, ſeptem diuerſas huius loci interpretationes adfert, partim ex ſuis Lutheranis, partim ex Caluino, Caluinique ſectatoribus, ac tandem concludit, locum hunc obſcurum eſſe, & ambiguum, ac proinde nihil inde probari poſſe.

2. p. examinis Concil. Trid. c. 1 de Bapt. in fine capit.

XIII. Sunt & alij plures modi, quibus aduerſarij deprauant Dei Verbum Scriptum, quos hîc omittimus, tum breuitatis cauſa, tum etiam quòd illi, eorumque refutationes (vt & horum quoque 10. modorum) inferiùs proprijs in locis collocanda erunt.

XIV. In his etiam omnibus corruptelis illud obſeruatione dignum eſt, quòd has omnes non aliunde ferè, quàm ex alijs Scripturæ locis probare contendant, vt vel hinc ſatis conſtare poſsit, quàm facile ſit Scripturam per alia Scripturæ loca corrumpere, niſi his corruptelis obſtaret prouida, & iugis cura S. Catholicæ Eccleſiæ, quæ proinde meritò vocatur *columna, & firmamentum veritatis*, contra quam portæ inferorum nunquam præualere potuerunt.

1. ad Tim. c. 3. v. 15. Mat. 16. v. 18.

CA-

CAPVT XXVII.

De Verbo Dei non Scripto, & vero ſtatu huius controuerſiæ.

HActenus egimus de Verbo Dei Scripto, & ijs quæ ad illud ſpectant, reſtat vt de Verbo Dei non Scripto agamus. Porrò vt ſtatus huius controuerſiæ (quæ vna eſt ex præcipuis) benè intelligatur, quatuor ſunt obſeruanda. Primum eſt, per verbum non Scriptum, illud tantùm intelligimus, quod non eſt Scriptum in nouo, ac veteri Teſtamento. Nam de tali Verbo Dei non Scripto tota eſt hic controuerſia. Quare leue eſt, quod ſolent aduerſarij obijcere, Verbum, quod vocamus non Scriptum, inueniri Scriptum vel apud Patres, vel in Concilijs, aut in alijs Eccleſiæ canonibus; id enim nihil pertinet ad hoc propoſitum: ſatis enim eſt, quòd iſtud Verbum in nullo libro veteris, aut noui Teſtamenti ſit ſcriptum. I.

Secundum. Duobus modis poteſt aliquid cõtineri in ſacra Scriptura, vno modo implicitè, hoc eſt, in principio quodam generali, ex quo illud certiſsimè deducitur; & hac ratione fatemur, totum Dei Verbum contineri in Scriptura, & non tantùm in Scriptura, ſed etiam in ſymbolo Apoſtolorum: imò in illo vnico articulo ſymboli, *Credo Eccleſiam Catholicam*; dummodo diligenter quæratur, & rectè intelligatur, vt loquitur ſanctus Auguſtinus. Ita enim dicit Chriſtus, totam legem, & Prophetas à duobus præceptis charitatis pendere: vt eodem loco notat ſanctus Auguſtinus. Nam cùm Scriptura doceat, cre- II.

S. Aug. q. 140. in Exod. tom. 4. Matt. 22. v. 40.

dendum eſſe Eccleſiæ in omnibus, eamque nec falli, nec fallere poſſe, vt infra probauimus ſequẽti controuerſia c. 7. docet conſequenter in generali hoc principio, totum, & integrum Dei Verbum; quandoquidem omne illud quod non eſt expreſſum in Scriptura, continetur expreſsè in doctrina Eccleſiæ, quam nobis vt infallibilem commendat Scriptura: ſicut loquitur, & declarat egregiè ſanctus Auguſtinus non vno in loco. Quẽadmodum enim Deus Pater totum Dei Verbum illis paucis verbis complexus eſt; *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite:* ita Chriſtus totum Dei Verbum nobis propoſuit, quando iuſsit nos Eccleſiam audire.

S. Aug. to. 7. cõ. Creſcon. Grammat. c. 33. & de vnitat. Eccl. c. 22. in fine. Mat. 17. v. 5. Mat. 18. v. 17. Luc. 10. v. 16.

III. Et in hoc ſenſu dicunt nonnunquam Patres antiqui, omnia fidei dogmata contineri in ſacris literis, nimirum vt in generali principio, quatenus illæ monent credendum eſſe Eccleſiæ. Porrò horum Patrum dicta non pauca à Martino Kemnitio Lutherano olim deprauata (quibus etiam iam Caluini ſectatores paſsim vtuntur) priſtinæ integritati reſtituit Iudocus Raueſten Tiſetanus in primo ſuo tomo defenſionis Concilij Tridentini contra Kemnitium.

IV. Alio modo continetur aliquid in Scriptura expreſsis verbis, ſicut quòd Chriſtus natus ſit, paſſus, reſurrexit, &c. & hac ratione negamus in Scripturis contineri totum Dei Verbum. Hinc facilè ſoluitur illa obiectio aduerſariorum; dicunt enim nos affirmare, Traditiones eſſe Verbum non Scriptum, & nihilominus conari illas comprobare Scripturis: non enim probamus Traditiones expreſsis verbis Scripturæ, ſed eas deducimus, & colligimus ex Scripturis.

V. Tertium eſt. Aduerſarij veritate conuicti agnoſcunt

noſcunt nō pauca fuiſſe tradita ab Apoſtolis, pręter ea quæ ſcripta ſunt. Verùm illa dicunt fuiſſe ritus dumtaxat externos, decoro vel diſciplinis Eccleſiæ ſeruientes: ſed nihil ad fidei doctrinam fuiſſe ab Apoſtolis Traditum, quod ſcriptis non mandauerint. Ita Caluinus & alij qui illum ſequuntur. Quare nobis probandum incumbit, non ritus duntaxat, ſed etiam illa quæ ſpectant ad fidei doctrinam fuiſſe ab Apoſtolis Tradita, & ſcriptis nunquam expreſsè mandata.

Calu. cōt. 4. ſeſſ. Concilij Trid. in ſuo andit. & Beza de notis Eccl. tom. 3. tract. Theol. pag. 137. edit. an. 1582.

VI. Quartum, cùm aduerſarij inficiari non poſſunt illud, quod à Catholicis obijciebatur, Scripturam varijs in locis expreſſam facere mentionem Verbi Dei Traditi, Prædicati, Euangelizati (quemadmodum ſuprà etiam ex Scripturis oſtendimus) ſolent reſpondere, olim tempore Apoſtolorum fuiſſe hoc Verbum Traditum ſeu Euangelizatum & non Scriptum, ſed Apoſtolos poſteà totum prædicatum Verbum ſaltem ad ſalutem neceſſarium, in ſcripta redegiſſe. Quæ ſolutio, licèt infirma valde ſit, cùm nullo ſolido argumento fulciatur, tamen vt pleniùs refutetur; oſtendemus plurima eaq; præcipua fidei dogmata non fuiſſe ab Apoſtolis ſcriptis expreſsè mandata. Et hæc de ſtatu quæſtionis huius.

Suprà c. 2. in fine.

CAPVT XXVIII.

Ex primis fidei principijs conuincitur eſſe Dei Verbum non Scriptum.

I. PRIMVM argumentum, quo probamus Verbum Dei non Scriptum ſeu Traditum, deſumitur ex primis quibuſdam fidei principijs: ſunt

 enim

enim tria, eaque præcipua, ac maximè neceſſaria fidei dogmata: imò totius fidei prima principia, quæ in Scripturis expreſsè non inueniuntur.

Primum eſt: Catalogum ſeu Canonem aliquẽ eſſe librorum ſacrorum tam veteris quàm noui Teſtamenti, quem omnes Chriſtiani, vt ratum & certiſsimum firma fide amplecti debent: eſtque hoc dogma omnino neceſſarium, imò ab illo pendet authoritas omnium librorum ſacræ Scripturæ; quòd hoc Canone libri ſacri ab omnibus Apocryphis diſcernantur, præſertim cùm & olim, & hoc etiam tempore tot ortæ ſint lites de libris Canonicis & Apocryphis; fuitque neceſſarius talis Canon tam in antiqua Eccleſia ante Chriſtum, quàm in noua poſt Chriſtum; Id quod aduerſarij ipſa experientia didicerunt: Nam & ipſi nouum ſuum Canonem librorum ſacræ Scripturæ collocarunt in ſua confeſsione Rupellana, & in fine quorundam Bibliorum, & nihilominus neq; tempore veteris Teſtamenti, neque tempore nouę Legis vnquam fuit iſte Canon ſcriptus in ipſis Biblijs.

Confeſſio Rupellana art. 3.

II. Scio aduerſarios, vt eludant hoc argumentum, confugere ad interiorem inſtinctum Spiritus ſancti, quo dicunt ſe agnoſcere, quis liber ſit Canonicus, quis minimè. Verùm hæc reſponſio iam ſuperiùs refutata eſt, vbi oſtendimus Spiritum ſanctum non incitare, vt credamus quippiam fide Catholica, quod non eſt Verbum Dei. Si ergo inſtigat Spiritus ſanctus, vt credant quoſdam libros eſse Canonicos, & alios non eſſe, neceſſe eſt iſtud eſſe verbum Dei. Quærimus ergo, vtrum ſit Scriptum hoc Verbum, an non Scriptum? Si ſcriptum eſt, quo libro? quo capite? ſi nuſquam ſcri-

Suprà c. 5.

Digitized by Google

ſcriptum eſt, neceſſe eſt fateantur aduerſarij, ſe etiam ex inſtinctu Spiritus ſancti credere Verbo non Scripto.

III. Secundum principiũ fidei; Neceſſe eſt vt firma fide credamus, omnes libros, quos iã recipimus, ſiue noui ſiue veteris Teſtaměti, integros & incorruptos ad nos perueniſſe per tot manus, per tot ſecula, per tot Chriſtianorum vexationes atque direptiones, alioqui peribit tota illorum authoritas & fides, atqui hoc nuſquam extat ſcriptum; neque enim vnquam ſcripſerunt Prophetæ aut Apoſtoli illorum ſcripta numquam impoſterum fore deprauanda, imò ſatis conſtat ex his, quæ diximus ſuprà, illa à Iudæis & Hæreticis fuiſſe deprauata in locis non paucis. Dicant igitur aduerſarij vbi ſcriptum ſit, iſta ſacra ſcripta quæ habemus non eſſe deprauata? *Suprà c. 9. 10. 12. & 13.*

IV. Tertium fidei principium eſt, verus literæ ſenſus: nam verum Dei Verbum in ſenſu potiùs conſiſtit, quàm in ſola litera, vt ſuprà oſtendimus. Senſus autem verus literæ (hoc eſt, qua ratione litera ſit intelligenda, propriene, an figuratè) non habetur ex ſola Scriptura, ſed etiam ex doctrina & Traditione Eccleſiæ, vt ſuprà diximus cap. 4. ex quo etiam ſequitur, Verbum Dei Scriptum minimam partem verbi Dei continere: nimirum ſolam literam: ſed verbum Euangelizatum & Traditum præcipuam verbi Dei partem conſeruare, & proponere: nimirum veram & germanam litteræ intelligentiam. *Suprà c. 3*

V. Atq; hoc ipſum eſt quod dicit S. Baſilius, illos, qui reijciunt dogmata fidei non ſcripta, imprudentes ipſis etiam principalibus Euangelij partibus damnum inferre: imò ipſam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contrahere. *S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 27.*

H 4 His

VI. His argumentis conuicti nonnulli ex aduerſarijs, qui ſyncerius nobiſcum agunt, fatentur iſta fidei fundaméta, & principia ſola Traditione haberi, ſine Verbo Scripto, vt Ioannes Brentius & Martinus Kemnitius; qui etiam addit, Traditiones, quæ non pugnant cum Verbo Scripto, eſſe recipiendas, & illas dumtaxat reijciendas, quę pugnant cum Scripturis.

Brentius contra Petrum à Soto in ſuis prolegomenis. Kemnitius contra 4 ſeſſ. Concil. Trid. cū agit de 2. genere Traditionum.

VII. Sed quidquid tandem reſponderint aduerſarij neceſſe omninò eſt, vt fateantur, hæc tria fidei principia pertinere ad ipſiſsimum Dei Verbum; Neceſſe eſt etiam vt fateantur, hæc diſertis & expreſsis verbis, neque in veteri Teſtamento, neq; in nouo extare. Ex quibus neceſſariò conficitur totum Dei Verbum non contineri expreſsè Scripturis ſacris.

CAPVT XXIX.

Probatur Verbum Dei non Scriptum ex alijs particularibus fidei dogmatibus.

I. SECVNDVM argumentum, quo probamus Traditiones Apoſtolicas, deſumitur ex alijs fidei dogmatibus particularibus, quæ aduerſarij ferè omnes nobiſcum credunt, etſi nuſquam in Scripturis expreſsè contineantur. Plurima ſunt huiuſmodi dogmata, ex quibus (exempli cauſa) nonnulla adducemus: Sed vt breuitati conſulamus, illa duntaxat, quæ manifeſtè etiam oſtendunt ex hoc aduerſariorum dogmate (*Nihil ad fidei doctrinam pertinere, quod non habetur expreſsè in Scriptura*) complures eoſque grauiſsimos errores noſtra ætate ortos eſſe.

Primum

Primum dogma eſt, *quòd in Deo ſint tres perſonæ realiter inter ſe diſtinctæ, & vna tantùm ſubſtantia*; hoc enim nullibi expreſsè extat in ſacra Scriptura. Nam in ea nihil legitur expreſsè, neque de ſubſtantia, neque de perſona, in ea ſignificatione, qua vſurpantur hæ voces, cùm de Trinitate agimus. II.

Iſtud quidem pluſquam ſatis experti ſunt Caluini ſectatores magno ſuo malo ante quadraginta annos in Tranſſyluania. Nam cùm Ioannes Hūniades (quem ſui Ioannem II. electum Regem Hungariæ appellabant) qui tum in Tranſſyluania Hungariæ Regione dominabatur, diſputationem publicam inſtituiſſet inter Caluini ſectatores & Antitrinitarios, hoc eſt, eos qui Trinitatis myſterium oppugnabant, eſſetque iuxta communem vtriuſque partis doctrinam ex ſolis Scripturis diſputandum; nunquam potuerunt Caluini ſectatores ex ſolis Scripturis probare, in Deo eſſe ſubſtantiam, vel perſonam. Sed neque ex illis poterant oſtendere, quid tandem eſſet perſona, aut quid ſubſtantia. III.

Quare is demum fuit exitus diſputationis, vt omnes penè, qui ei interſuerant, cenſerent, Antitrinitarios viciſſe, Caluini verò ſectatores ſuccubuiſſe. Vnde etiam factum eſt, vt princeps ille Tranſſyluaniæ ex ſectatore Caluini factus ſit Antitrinitarius, imò inſignis iſtorum fautor; adeò quidem, vt publica templa eripuerit Caluinianis, eaque Antitrinitarijs contulerit atque in eadem impia hæreſi miſerrimè ad mortem vſque perſeuerauerit. Obijt autem anno 1571. die 14. Martij. IV.

Quæ omnia abundè declarauit Ioannes Sommerus Pirnenſis in oratione funebri, quam ha- V.

buit in mortem illius, vbi inter cætera cauſam, cur Princeps ille à Caluino ad Antitrinitarios defecerit, hanc eſſe præcipuam adfirmat, quòd in Scripturis nihil inuenire potuerit de Trinitate, & quòd Caluini ſectatores coacti fuerint fateri, voces, quibus explicatur Trinitatis myſterium, in Scriptura non extare, & quoniam vix extat iam iſta funebris Oratio, ne quis me iſta finxiſſe exiſtimet, ipſius verba adſcribam. Poſtquam enim blaſphemo ore (vt ſolent Antitrinitarij) inuectus eſſet in Sanctiſsimam Trinitatem, quam ſubinde appellat, *Romanam Idolomaniam*, hæc addit de ſuo Principe.

VI. *Hæc Oratio funebris Ioannis Sommeri typis excuſa fuit Claudiopoli, anno Domini 1571.*

At noſter hic Princeps (inquit) *diuinitùs edoctus, & intellexit facilè, quid verum eſſet, & arripuit auidè, & cum ſumma animi voluptate deinceps quoque defendit. Cùm enim lectioni ſacrarum litterarum aſſueuiſſet à puero, ac mediocriter ſibi familiarem feciſſet Scripturam, mox deprehendit illud: quæ præter Chriſti & Apoſtolorum phraſim ſuccedentibus ſeculis impiâ curioſitate eſſent in Eccleſiam inuecta, ea in ijs nequaquam eſſe numeranda, quibus ſalutis noſtræ anchora firmari debeat; præcipuè cùm aduerſarij ipſi faterentur vocabula, quibus iſta noui dogmatis ſubtilitates explicentur, dicam, an inuoluantur magis, in ſcriptis Apoſtolicis non reperiri.*

VII. *Seruetũ intelligit Geneuæ combuſtũ anno 1553. oct. 27. vt ſcribit Beza in vita Caluini.*

Et paulò poſt: *Quare nulla habita ratione aut multitudinis contradicentium aut ſuppliciorum quæ alij pertulerant, qui priùs glaciem hanc perfringere conati eſſent, falſitatem Trinitatis illius apertè damnauit, liberè quid ſentiret profeſſus.* Et paucis interiectis: *Quid enim ille non fecit, quas ille ſynodos, quas diſputationes, tum in Hungaria, tum in Tranſſyluania non inſtituit? vt explicari rectiùs ex dictorum collatione mens Scripturæ poſſet? vbi non adeſſe modò ipſe voluit, verùm etiam*

Digitized by Google

tiam Arbitri partes ſuſtinens grauiter admodùm ſuperſtitionis abſurditatem confutauit: non ſemel admonens aduerſarios vt hominum commentis ſepoſitis verecundiùs & caſtiùs in cœleſtis doctrinæ explicatione verſari aſſueſcerent. Hactenus Sommerus de Tranſſyluaniæ Principis cura & contentione in propaganda hæreſi Antitrinitariorum.

VIII.

Porrò & illud manifeſtum eſt, quòd ex ipſo aduerſariorum dogmate: (*Nihil credendum, niſi quod quod habetur expreſſum in Scripturis*) originem primam ſuam acceperit hac noſtra ætate impia iſta hæreſis Antitrinitariorum. Nam Michael ille Seruetus, qui noſtro ſeculo primus ſcriptis editis auſus eſt myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis oppugnare, hoc ipſum non obſcurè teſtatur, cùm ſcribit ad hunc modum: *Pro ſolutione* (inquit) *omnium, quæ à Philoſophis* (ita enim appellat Catholicos) *hic adduci poſſent, iſtam regulam teneas, quæ eſt Iuriſconſulti: quòd ea quæ ſpeciali nota ſunt digna, niſi ſpecialiter notentur neglecta eſſe intelliguntur. Atqui ſi articulus iſte de Trinitate ſit ſpeciali nota dignus, ipſe diiudica, cùm ſit primum totius fidei fundamentum: à quo & Dei & Chriſti cognitio pendet. Et an ſit expreſſè notatus, ex Scripturarum lectione dignoſcitur, cùm nec vnum verbum in tota Biblia reperiatur de Trinitate, nec de ſuis perſonis, nec de eſſentia, nec de vnitate ſuppoſiti, nec de plurium rerum vna natura, nec de alijs ſimilibus.* Hæc Seruetus. Ex his ſatis ſuperque conſtat tetra iſta omnia portenta recentium Arrianorum (qui & Antitrinitarij vocantur) ex hoc vno aduerſariorum principio (*ſolis Scripturis eſſe credendum*) nata & amplificata eſſe. Sed ad alia properemus.

Seruetus l. 1. de erroribus Trinitatis fol. 32. pag. 1. edit. an. 1531. L. Item apud §. ait prætor ff. de iniurijs.

Secundum dogma fidei. *Quòd infantes ſint bap-*

tizandi

tizandi. Hoc enim nunquam ex ſacris literis oſtendent aduerſarij, nam vnicum illum locum, qui hoc conuincit (*Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei*) torquent in alium ſenſum. Volunt enim ibi, *aquam*, non ſignificare elementum aquæ, ſed Spiritum ſanctum: ita Caluinus. hinc orta, & propagata eſt noſtra ætate impia illa Anabaptiſtarum ſecta, qui aſſerunt, illicitum eſſe & profanum baptizare infantes, cùm nullum extet ſolidum huius rei argumentum in Scripturis.

Ioan. 3. v. 5.

Caluinus in c. 5. Ioan. v. 5.

X. Nam illud, in quo Caluinus & eius ſectatores totum collocant ſuum præſidium, nimirum, quòd in veteri lege circumcidebantur infantes, facilè diſſoluunt Anabaptiſtæ; tum quòd ea de re expreſſum eſſet Dei præceptum; at de baptiſmo infantium, nullum: tum etiam quòd ſimilitudo inter Circumciſionem & Baptiſmum in multis deficiat, alioqui fœminæ baptizandæ non eſſent, ſed mares dumtaxat.

Gen. 17. v. 10.

XI. Tertium dogma. *Quòd Beata virgo Maria, Dei genitrix perpetuò manſerit virgo, etiam poſt partum*: Nuſquam enim expreſsè habetur hoc in Scriptura & tamen Heluidius à totâ antiquâ Eccleſiâ damnatus eſt vt hæreticus, quòd iſtud inficiari non ſit veritus.

Hoc dogma fidei non Scriptum, cùm induxiſſet Bellarminus, vt probaret, non omnia fidei dogmata eſſe ſacris litteris conſignata, Franciſcus Iunius, vt hunc nodum diſſolueret, coactus eſt in damnatam olim Heluidij hæreſim deſcendere. Negat enim perpetuam virginitatem B. Mariæ credendam eſſe vt dogma fidei, ſed dumtaxat vt aſſenſu dignam. Cæterùm, Patres antiqui non damnaſſent Heluidium vt hæreticum, niſi dogma ali-

S. Aug. To. 6. de hæreſ. c. 84. S. Hier. contra Heluidium. Autor de Eccleſiaſticis dogmatib. c. 69. S. Amb. in ep. 7. ad Syricium Papam. Epiph. hæreſ. 78.

ma aliquod fidei negaſſet. Verùm in hunc modum coguntur aduerſarij varias hæreſes olim damnatas renouare, vt falſum ſuum illud dogma, *de ſolis Scripturis credendis*, tueantur. XII. *Iunius contra Bellar. controu. 1. lib. 4. c 9 nota 5.*

CAPVT XXX.

Alia fidei dogmata afferuntur, quæ nuſquam ſunt Scripta in Biblijs.

QVARTVM dogma, quod aduerſarij etiam credunt, ſed ſine expreſſa Scriptura, eſt: *Chriſtianis non licere plures ſimul habere vxores.* Rectè enim definiuit Concilium Tridentinum hoc certa fide tenendum eſſe, contra hæreſim hac noſtra ætate excitatam, de qua mox dicemus: Attamen aduerſarij id nunquam poterunt probare ex ſola Scriptura, ſemota Eccleſiæ authoritate, quamquam & illi hoc ipſum nobiſcum credant. Imò Scripturæ exempla potiùs contrarium ſuadent. Nam viri ſanctiſsimi Abraham, Iacob, Dauid, & alij multi duxerunt plures vxores: nec iſtud vnquam in illis reprehẽdit Deus, quanquam illos frequentiſsimè alloqueretur. I. *Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 2.*

Hoc cùm aduerteret Bernardinus Ochinus, vnus ex Caluini diſcipulis, non veritus eſt & verbo, & ſcriptis editis, hominibus perſuadere polygamiam adhuc licitam eſſe. De quo eiuſque ſcelerata vita ac morte, ſcribit ipſe Beza. II. *Beza epi 1. ad Andream Dudiſium.*

Porrò hanc hæreſim non aliunde hauſit Ochinus, quàm ex illo principio aduerſariorum, *Nihil credendum, quod non habetur expreßè in Scriptura.* Vnde & ipſe Beza in libro, quem contra eundem Ochinum ſcripſit, teſtatur illum vſum eſſe hoc argumento. Vbi etiam non obſcurè agnoſcit

Beza

Beza in lib. de Polygamia: extat in initio volu. 2. ſuarum Tract. Theol.

Beza polygamiam in Scripturis non prohiberi expreſſa vlla lege: *Alterum* (inquit Beza) *Ochini argumentum eſt, quòd nullâ expreſſâ lege Polygamia probibeatur. Ego verò reſpondeo: non eſſe ſcriptas leges de rebus omnibus.* Ita Beza.

III. Conatur quidem poſtea Beza probare, Polygamiam eſſe contra legem naturæ: ſed eadem ſemper remanet difficultas. Nam ſecundum doctrinam aduerſariorum, omnia ad ſalutem neceſſaria ſunt expreſſa in Scriptura, atqui obſeruatio omnium, quæ ſunt legis naturalis, eſt omnino neceſſaria ad ſalutem: erit ergo obſeruatio horum omnium in Scripturis expreſſa, vel certè plurima ad ſalutem neceſsaria quærenda erunt extra Scripturam. Deinde illicitam eſse Polygamiam, dogma eſt fidei, atqui iſtud expreſsè non continetur in Scriptura, vt agnoſcit Beza; non continentur ergo expreſsè in Scriptura omnia fidei dogmata.

IV. Quintum dogma. *Quòd Sacramentum Baptiſmi darì non poſsit niſi ſola aqua.* Hoc enim dogma Eccleſiæ etiam valdè neceſsarium eſt, ne profanetur tantum Sacramentum contra Chriſti inſtitutionem, & tamen hoc nunquam ex ſola Scriptura probabunt aduerſarij, qui negant illud Ioan. 3. v. 5. intelligendum eſse de vera aqua, vt ſuprà diximus in 2. dogmate. Nam exempla Scripturæ probant quidem, aquam eſse aptam materiam Baptiſmi, ſed nullam prætereà aliam eſse materiam, non probant.

§. 9. c. praced.

V. Hoc cùm planè videret Beza, ne ſuum illud principium (*nihil credendum eſſe præter Scripturam*) videretur in dubium reuocare, non eſt veritus ſcribere, Baptiſmum poſſe conferri in quouis liquore, atque hac ratione Baptiſmus erit verus & legitimus in lacte, in vino, immò in atramento, aut

Beza Ep. 2. ad Thomã Tilium fratrem & Symmiſtam ſuum.

aut alio quouis fœtidiſsimo liquore. Ita coguntur aduerſarij tam abſurda admittere, ne recedant à ſuo illo principio, *de ſola Scriptura credenda.*

VI. *Beza eadem ep. 2.*

Porrò, Beza vt ſuum hoc inauditum paradoxum imperitis facilius perſuadeat, addit ſtatim inſignem calumniam in Doctores Catholicos: *Deſit aqua* (inquit Beza) *& tamen Baptiſmus alicuius differri cum ædificatione non poßit, nec debeat: ego certè quouis alio liquore, non minùs ritè quàm aqua baptizârim. Nec aliter de his rebus ipſi etiam ſuperſtitioſißimi ſcholaſtici ſcriptores cenſuerunt.* Hactenus Beza. Verùm quæ ſcribit, à veritate ſunt alieniſſima. Nemo enim eſt Catholicus, ne dum Scholaſticus Doctor, qui ita cenſuerit aut ſcripſerit; imò contrarium planè definitum eſt vt dogma fidei à Catholica Eccleſia.

Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo

VII.

Sextum dogma. *Panem & vinum eſſe duntaxat materiam neceſſariam ad conficiendum Sacramentum Euchariſtiæ.* Eſt & hoc dogma fidei admodùm neceſſarium Eccleſię, ne tantum Sacramentum profanetur. Id tamen nunquam probabunt aduerſarij efficaciter ex ſola Scriptura. Panis enim nomine frequenter in Scriptura ſignificatur quiuis cibus. De vino id longè eſt incertius. Nam Scriptura ſolius calicis mentionem facit non liquoris, qui fuit in calice. Illud enim, *de generatione vitis*, dictum eſſe ante inſtitutionem ſacramenti agnoſcit ipſe Caluinus.

Lu. 22. v. 18. Caluin ibidem in ſua harmonia.

VIII. *Beza ep. 2. citata.*

Quod cùm facilè intelligeret Beza, & hic quoque alium conatur introducere errorem: ne videlicet deſerat ſuum illud Principiū de ſola Scriptura recipienda. Nam non eſt veritus ſcribere illum à Chriſti ſententia nihil aberrare, qui in confectione Sacramenti Euchariſtiæ pro pane alium

alium quemuis cibum vſitatum, & pro vino alium quemuis vſitatum potum ſubſtituit: atq; hac ratione in caſeo, carne, piſcibus, ouis: item in lacte, aqua, ceruiſia, ſicera &c. poterit cōfici Euchariſtia; quod hactenus in Eccleſia inauditum eſt. Et nihilominus non erubeſcit Beza hunc etiam tam abſurdum errorem tribuere vniuerſis Doctoribus Scholaſticis. De vtroque enim errore agit in verbis citatis, quia cùm ait, nec aliter de his rebus ſenſiſſe Scholaſticos, tam de materia Euchariſtiæ, quàm de Baptiſmi materia loquitur. In hunc modum tot tantoſq; errores conficiunt aduerſarij ex illo ſuo dogmate de ſolis Scripturis recipiendis. Plura adduci poſſent, quæ omittimus breuitati conſulentes.

IX. Vnum tamen eſt, quod omitti non debet, quippe quo conuincimus Traditionem Eccleſiæ non tantùm continere dogmata fidei non ſcripta, ſed (quod amplius eſt) etiam ea quæ expreſsè in Scripturis præcipiuntur, mutare & abolere, & quidē ipſorum aduerſariorum Iudicio. Nam in ipſo decalogo (qui ipſius Dei manu exaratus dicitur) multis verbis & apertis præcipitur obſeruantia diei Sabbati. Quam tamen nunc Eccleſiaſticâ ſolâ Traditione, ſine vllo Scripturæ expreſſo teſtimonio abrogatā eſſe fatētur omnes, paucis Anabaptiſtis exceptis; qui & ipſi cōmuni illo aduerſariorū Principio de Scriptura ſola ſequēda decepti, Sabbathi obſeruationem reuocare conati ſunt: Atq; ob hanc cauſam Sabbatharij ſunt appellati. Verùm iſtorum non tam hæreſis, quàm amentia ab omnibus improbatur: Et nominatim à Luthero in lib. contra Sabbatharios tomo 7.

Exod. 34. v. 1. Exod. 20. v. 8. 9. 10. 11.

Vide Prateolum v. Sabbatharij.

CAPVT

CAPVT XXXI.

Traditiones probantur teſtimonio antiquorum Patrum.

TErtium argumentum, quo probamus non omnia fidei dogmata eſſe ſcriptis mandata I,
ab Apoſtolis, eſt authoritas Patrum antiquorum, qui pluribus in locis hoc docent. Loca Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum collegit diligentiſsimè Iodocus Coccius in ſuo theſauro Catholico: Collegit eadem & ante illum Bellarminus. Porrò ne prolixiores hic ſimus, quàm exigit Epitomes ratio in re præſertim tam manifeſta, ſatis nobis erit vnum præcipuum Doctorem Græcę Eccleſiæ, & alterum Latinæ adducere.

Coccius tom. 1. l. 6. art. ult. Bellarminus tom. 1. l. 4. de verbo Dei c. 7.

Inter Græcos eximius eſt S. Chryſoſt. qui non II.
tantùm id aſſerit, ſed etiam probat ex ſacra Scriptura. Cùm enim interpretatur illa verba poſterioris Epiſt. ad Theſſalonicenſes: *Itaq; fratres ſtate & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Ita ſcribit: *Hinc patet* (inquit S. Chryſoſt.) *quòd non omnia per epiſtolam tradiderit, ſed multa etiam ſine literis. Eadem verò fide digna ſunt tam illa quàm iſta. Itaque traditionem quoque Eccleſiæ fide dignam putamus, Traditio eſt nihil quæras amplius.* Hæc S. Chryſoſt. Apoſtolum verò, & conſequenter S. Chryſoſt. qui illum interpretatur, loqui non tantùm de ritibus, ſed etiam de dogmatibus fidei, extra controuerſiam eſt.

2. ad Theſſal. c. 2. v. 14.

S. Chryſoſt. Hom. 4. in 2 ad Theſſal.

S. Auguſtinus (quem optimum & fideliſsimum III.
teſtem antiquitatis agnoſcit Caluinus) hunc in modum ſcribit: *Multa non inueniuntur in literis Apo-*

Caluinus l 4. Inſt.

c. 14. ſect. vlt. S. Aug. tom. 7. de Baptiſmo cõtra Donatiſtas l. 2. c. 7.

ſtrorum, neque in concilijs poſterorum: Et tamen, quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur. Hæc S. Auguſt. Neque dici poteſt, quòd S. Auguſtinus loquatur de ritibus, & non de dogmatibus fidei; Nam eo loco probat contra Donatiſtas, baptizatos ab Hæreticis conſueta forma & materia, non eſſe rebaptizandos: hoc autem dogma eſſe fidei, nemo negabit, niſi Anabaptiſta.

CAPVT XXXII.

Traditiones probantur ex ipſa doctrina Aduerſariorum.

I. QVartum argumentum, quo probamus Verbum Dei non Scriptum, deſumitur ex doctrina ipſorum aduerſariorum. Nam omnia, quæ aduerſarij aſſerunt vt dogmata fidei cõtra Catholicam doctrinam, illa ſine vlla expreſſa Scriptura docent & credunt. Nuſquam enim habetur expreſsè in Scriptura, quòd ſola fides iuſtificet; quòd duo duntaxat ſint Sacramenta nouæ Legis, quòd Sancti non ſint inuocandi, quòd non ſit orandum pro mortuis, &c. Hæc enim omnia, & alia multa, quæ contra nos docent, colligunt illi tantummodò ex Scripturis, idque infirmis quibuſdam conſequutionibus: Sed nuſquam expreſsè ſcriptum eſt: Sola fides iuſtificat: Duo ſunt duntaxat Sacramenta: Sancti non ſunt inuocandi: Non eſt orandum pro mortuis.

II. Præterea, nemo eſt Catholicus, qui non recipiat, & certa fide credat totum textum authenticum totius Scripturæ: cur ergo nos damnant, cùm nihil præter textum Scripturæ credendum eſſe aſſirment?

firment? Verùm enimuerò tota controuerſia inter nos & illos eſt de dogmatibus non ſcriptis, quæ ipſi aſſerunt, nos negamus.

Aduerſarij hoc argumento conuicti fatentur iam tandem recipiendum eſſe vt purum Dei Verbum, non illud duntaxat, quod expreſsè ſcribitur in Sacris literis, ſed etiam id omne quod inde colligitur neceſſaria conſequentia. III. *Beza de Eccleſiæ notis p. 137. volum. 2. Theolog. tract. edit Gen. anni 1532.*

Verùm, cùm ita reſpondent, coguntur recedere à primo illo ſuo principio, quo aſſerebant, omnia fidei dogmata in Scripturis expreſsè contineri, & litteris ac libris ab Apoſtolis mandata eſſe. IV.

Deinde imprudentes in noſtram ſententiam deueniunt, adeò quidem, vt oporteat eos fateri, Traditiones Eccleſiæ omninò neceſſarias eſſe. Nã quę ex Scripturis colliguntur, ad Traditiones pertinent potiùs, quàm ad expreſſam Scripturam. Quod enim conſequenter duntaxat & per argumentationem colligitur ex Scriptura, etiamſi neceſſariò, & rectè colligatur, non habetur expreſsè in Scriptura; ſed ſolummodò latenter, tacitè, & implicitè: Nemo enim verè dixerit concluſionem, quæ ex præmiſsis infertur, expreſsè contineri in præmiſsis: alioqui fruſtra inſtitueretur ratiocinatio: Enimuerò hæc idcirco inſtituitur, vt quod in præmiſsis latebat virtute ſeu implicitè, in concluſione expreſsè manifeſtetur. V.

Et vt ex ipſis Scripturis exemplum afferamus, cùm dixit Deus Pater; *Hic eſt filius meus dilectus*, &c. *ipſum audite*. Ex illis verbis optimè colligimus, & conſequentia neceſſaria; totam Chriſti Domini noſtri doctrinam audiendam eſſe, & recipiendam: nemo tamen dicet, totam Chriſti doctrinam illis paucis verbis expreſsè contineri. VI. *Matt. 17. v. 5.*

Et ſanè adeò fœcunda eſt diuina Scriptu-

ra, vt plurima adhuc in ea lateant dogmata, quæ hactenus à nemine collecta ſunt; ſed iſta implicitè & non expreſsè in ea continentur.

VII. Deinde poſt tot lites & contentiones, poſt tot editos contra nos libros, poſt tot calumnias, quibus nos onerârunt aduerſarij, quaſi doceremus Scripturas eſſe imperfectas: ipſimet tandem reuertuntur ad noſtram ſententiam. Neque enim negamus, imò libenter agnoſcimus, illa omnia quæ rectè & ſine vllo errore deducuntur, & colliguntur ex verbis expreſsis Scripturæ, pertinere ad Verbum Dei Scriptum: atque in Scriptura ſacra contineri, ſed tacitè, non expreſsè, implicitè, non explicitè: eo ipſo namque quòd Deus aliquid reuelat expreſsis verbis, conſequenter & mediatè reuelat omnia, quæ indè neceſſariò, & ſine errore colligi poſſunt.

VIII. Concedimus etiam Scripturam, conſequenter, mediatè, & implicitè vt in generali principio, omnia ad ſalutem neceſſaria continere: Imò vnicum illum Symboli articulum: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*. Item illa pauca Chriſti verba: *Qui vos audit, me audit*, ſi collectio rectè inſtituatur; vt ſuprà etiam diximus, cap. 25. Verùm cùm colliguntur iſta, quæ non habentur expreſsè in Scriptura, vix quicquam eſt, quod non ſit incertum & dubium, niſi acceſſerit authoritas ſeu Traditio Eccleſiæ. Quare hæ collectiones apertè conuincunt neceſsitatem & authoritatem Verbi Dei non Scripti.

Lu. 10. *v.* 16.

IX. Quòd enim collectiones iſtæ incertæ ſint, & fallaces: tàm experientia docet, quàm ratio. Experientia quidem, quia omnes ferè hæreſes originem ſuam traxerunt, non ex ipſa ſola Scriptura, ſed ex his collectionibus malè inſtitutis: neque enim

enim eſt vlla ferè hæreſis, quæ nitatur expreſsis verbis Scripturæ ſine vlla collectione. Quandoquidem omnes ferè Hæretici, & olim nitebantur, & etiam nunc nituntur colligere ſuas hæreſes ex Scriptura per fallaces quaſdam & Sophiſticas argumentationes. Arrius (verbi gratia) ex illis Chriſti verbis; *Pater maior me eſt*, colligebat, ſed malè
Chriſtum etiam ſecundum diuinam naturam minorem eſſe Patre. Noui Arriani ex illis verbis Decalogi; *Non habebis Deos alienos coram me*: colligũt, ſed ineptè filium non eſſe Deum: Spiritum ſanctũ non eſſe Deum. Sic ipſe Diabolus contra Chriſtũ hac vſus eſt collectione; Scriptum eſt; *Deus Angelis ſuis mandauit de te*, Ergò *mitte te deorſũ*. Deniq; omnia planè argumenta, quæ aduerſarij adferunt ex Scripturis contra nos hoc tempore, omneſq; errores, quos ipſi hac noſtra ætate excitârunt, ex nouis ipſorum collectionibus & illationibus originem & robur ſumunt, non autem ex nudis, & apertis verbis Scripturæ; vti infrà in ſingulis controuerſijs manifeſtum euadet.

Ioan. 14. v. 28. *Exod. 20. v. 3.* *Matt 4. v. 6.*

X.
Ratio eſt etiam manifeſta, cur incertæ & dubiæ ſint huiuſmodi collectiones: Nam in nulla re faciliùs, aut frequentiùs erratur, quàm in illationibus iſtis: Id quod ex varijs capitibus oriri poteſt, vel quia collectio ipſa eſt mala aut Sophiſtica: vel quia locus ille Scripturæ, ex quo colligitur, falſa interpretatione deprauatur: vel quia propoſitio, quæ aſſumitur & adiungitur verbis Scripturæ, eſt falſa aut ambigua: vel quia vox vna, aut plures in illa collectione ambiguè vſurpantur, hoc eſt, vno modo in præmiſsis, & alio in concluſione: vel denique, quia intercedit aliud quoduis vitium, quod argumentationem efficit Sophiſticam, vitioſam, vel certè infirmam.

Digitized by Google

XI. Præterea cùm diuerſorum hominum ſint tot diuerſæ, imò contrariæ collectiones, neceſſaria eſt authoritas planè diuina in rebus diuinis, vt certa, & indubitata fides ex his naſcatur; Cuiuſmodi eſt Verbum non Scriptum, doctrina nimirum, & Traditio vniuerſalis Eccleſiæ.

XII. Enimuerò cùm quis fidem Catholicam adhibet huiuſmodi collectioni, duo neceſſe eſt certiſsimè cognoſcat. Alterum, expreſſum Scripturæ locum, ex quo concluſio deducitur, rectè intelligi ab eo qui argumentatur. Alterum, illum qui deducit, in ſua deductione, & collectione falli aut fallere non poſſe: Atqui neutrum iſtorum cognoſcere poteſt vllus, niſi accedat Verbum Eccleſiæ non Scriptum: cùm alioqui nemo ſit, qui falli non poſsit. Collectiones igitur omnes, quæ certæ ſunt, & fidem diuinam generant, apertiſsimè comprobant authoritatem & neceſsitatem Verbi Dei non Scripti.

CAPVT XXXIII.

Ex abſurdis conuincitur Verbum Dei non Scriptum.

I. QVINTVM argumentum, quo probamus multa eſſe credenda, quæ non habentur in ſacris literis, deſumitur ex abſurdis, quæ conſequuntur contrariam doctrinam. Nam poſito ſemel hoc fundamento: Nihil eſſe credendum, quod non habetur in Scriptura: renouantur omnes hæreſes antiquæ, introducitur maxima incertitudo & confuſio omnium rerum in Dei Eccleſia imò ſternitur aperta via ad Atheiſmũ. Quandoquidẽ reiecta & ſpreta Eccleſię Traditione omnia fidei

fidei dogmata à tẽpore Apoſtolorũ huc vſq; explicata & probata à Patribus antiquis cõtra Hęreticos omnia etiã, quæ olim decreta ſunt cõtra eoſdem in generalibus Concilijs (quæ tamen ipſi aduerſarij confitentur ſe recipere) præcipuum ſuum robur & firmamentum amittent.

Neq; enim ſcimus fide Catholica, an vnquam fuerint Patres aut Concilia, niſi per Traditionem Eccleſiæ. Sed neque alia via ſcimus per fidem, an à temporibus Apoſtolorum huc vſque fuerit vllus Catholicus: quoniam de his quæ facta ſunt à tẽpore & morte Apoſtolorum nihil eſt ſcriptum in libris ſacrę Scripturæ; cùm hi omnes ante mortem Apoſtolorum ſint conſcripti. Quæ poſtea verò geſta ſunt, huc vſque non habentur niſi per Traditionem Eccleſiæ. II.

Porrò non ſatis eſt dicere, quòd iſta cognoſcamus ex hiſtorijs Eccleſiaſticis: Nam fides, quæ ex hiſtorijs oritur, niſi accedat authoritas aut Traditio vniuerſalis Eccleſiæ, eſt humana duntaxat fides, quæ ſæpe fallit & fallitur: proinde huiuſmodi Hiſtoriæ fidem diuinam generare non poſſunt. Hoc planè edocet ipſa experientia, nam aduerſarij nunc reuocant in dubium, an S. Petrus vnquam fuerit Romæ, quia videlicet iſtud non legitur expreſsè in Scriptura: cùm tamen hoc ipſum tam multis antiquorum Hiſtoriographorum & SS. Patrum ſcriptis ſit conteſtatum. Cur igitur non licebit eodem iure cętera omnia antiquorum ſcriptis conſignata in dubium vocare? Itaque aduerſarij omnia planè dubia & incerta efficiunt, dum ſolam Scripturam recipiendam volunt. Reſtat vt reſpondeamus ad argumenta aduerſariorum. III.

Digitized by Google

CAPVT XXXIV.

Refutantur aduerſariorum argumenta deſumpta ex veteri Teſtamento.

I. PRIMVM argumentum, quo aduerſarij oppugnant Verbum Dei nõ Scriptum, & quo frequentiſsimè vtuntur, quodque vt inuictum adiecerunt ſuę fidei cõfeſsioni; deſumũt ex illis verbis Deuteronomij: *Nõ addetis ad Verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo.* Et rurſus: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nec addas quicquam, nec minuas.* Ex his Scripturæ locis inferunt aduerſarij, nihil eſſe recipiendum vt fidei dogma, quod non habetur expreſsè in Scriptura.

Rupell. Confeſſio art. 5. Deuter. 4. 2. Deut. 12. v. vlt.

II. Verùm hoc argumentum vitioſum eſſe, & nullius roboris ex multis capitibus oſtendi poteſt. Primò, quia in illis verbis nulla omninò fit mentio Scripturæ, aut verbi Dei Scripti, ſed duntaxat verbi Prædicati, aut Traditi viua voce: *Non addetis* (inquit Scriptura) *ad Verbum quod vobis loquor*, non ait, quod vobis ſcribo. Item; *Hoc tantùm facito* (inquit) *quod præcipio tibi*: Non ait, quod ſcribo tibi.

III. Deinde in iſtis verbis non agitur duntaxat de fidei dogmatibus credendis, ſed etiam de ritibus faciendis & obſeruandis: Atqui ipſimet aduerſarij fatentur hos ritus addi poſſe Eccleſiaſtica poteſtate: Imò ipſimet nouos ritus inſtituerunt non paucos, quos adhuc quotidie mutant cùm volunt. Fatetur etiam Caluinus, ritus aliquos non ſcriptos ab ipſis Apoſtolis traditos eſſe.

Caluinus contra 4. ſeſſ. Concilij Trident.

IV. Præterea illud dicitur ſecũdùm phraſim Scripturæ

pturæ addi ad verbum Dei; quod eſt contra Verbum Dei, & illi aduerſatur. Neque enim tranſgreſſus eſt Ioſue hoc præceptum Deuteronomij, quando ad libros Moyſi addidit ſuum librum: aut tranſgreſsi ſunt illud alij, qui adiecerunt libros Iudicum, Ruth, Regum, &c. in quibus ſunt plurima, quæ non fuerunt ſcripta à Moyſe, quæque fide credenda ſunt: Verùm in his nihil eſt contra ea quæ Moyſes ſcripſit. Et huic reſponſioni valdè fauet textus Hebraicus, quia in vtroque loco Deuteronomij ponitur vox עַל, quod ſæpè ſignificat *contra*: vel *aduerſus*: vt ſenſus ſit: *Non addas quicquam contra verbum quod præcipio*: Et: *Non addetis quicquam contra verbum quod loquor vobis.* Ita enim ſumitur particula עַל Pſalmo 40. (vel iuxta Hebræos 41.) verſu 10. Item Pſalmo 2. verſ. 2. Et Numerorum 14. v. 2. & alibi ſæpè. Quemadmodum & in nouo Teſtamento ὑπὲρ, quod reſpondet Hebræo עַל ſignificat etiam *contra*; cùm ſcribit Apoſtolus ad Corinthios: *Ne ſupra id quod ſcriptum eſt vnus aduerſus alterum infletur*: Hoc eſt contra Scripturam, quæ dicit non eſſe ſuperbiendum, vt notat ibidem S. Chryſoſtomus, & poſt illum Theophylactus, & alij. Quem locum non rectè adferunt aliqui contra Traditiones, cùm ibi non loquatur Apoſtolus de toto Dei Verbo, ſed de hoc vno dogmate, Non eſſe ſuperbiendum: vt agnoſcit etiam ipſe Caluinus.

1. ad Cor. 4. v. 6.

Calui. in illa verba. 1. ad Cor. 4. v. 6.

V. Verùm, vt hæc omnia omittamus, quæ de ſenſu germano horum verborum eruditè, & rectè contra aduerſarios diſſerunt alij Catholici Doctores: Imò etiam concedamus aduerſarijs illum eſſe verum ſenſum, quem illi afferunt: Certè multum in eo errant, quòd putent hæc verba Moyſi ad nos pertinere, & ea nos iam non minus

ligare, quàm olim obligabant Iudæos. Neque enim magis ad nos pertinent iſta verba, quàm illa alia eiuſdẽ Deuteronomij: *Maledictus omnis qui non*
Deut. 27. v. vlt. *permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, vt faciat ea.* A quibus verbis nos liberatos eſſe per Chriſti gratiam docet manifeſtè S. Paulus. Enim-
Ad Gal. 3. v. 10. & 11. uerò cùm iſtis verbis, quæ citant aduerſarij iubeat Moyſes, vt filij Iſraël cuſtodiant omne verbum, quod præceperat illis (ita enim expreſsè habetur Deuteron. 12. verſu vltimo, in Hebræo: & in omnibus Biblijs aduerſariorum.) Et ſtatim addat, Nihil his omnibus addendum, aut detrahendum eſſe; manifeſtè præcipit obſeruationem totius Legis Moſaicæ, omniumque Sacramentorum, ſacrificiorum, & ceremoniarum veteris Teſtamenti. Neque enim præcipit duntaxat, nihil addendum eſſe, ſed etiam monet nihil minuendum eſſe ex his omnibus. Quare ſi aduerſarij nobis obijciunt, quòd addamus contra hoc præceptũ; iuſtiùs multò illis obijcere poſſumus, quòd illi longè plura minuant, quàm nos addamus: Quandoquidem neque ſeruant Circumciſionem, neq; ſacrificia legalia, nec vllas ceremonias, quę in Deuteronomio toties, & tot verbis præcipiuntur. Certè negari non poteſt, quin hoc ſit minuere ea, quæ Moyſes præcepit. Proinde neceſſe eſt, vt fateantur aduerſarij, hæc verba eſſe legalia, & ad nos minimè pertinere. Ex his omnibus ſequitur, aduerſarios ſatis inconſideratè in illis verbis Moyſi tantopere gloriari: Nam & in explicatione horum verborum longè aberrant à veritate, & longiùs in applicatione, cùm contendunt, ea nos etiam nunc obligatos tenere.

VI. Secundum argumentum deſumunt aduerſarij ex

Digitized by Google

rij ex illis verbis Prouerbiorũ Salomonis: *Omnis* *Prou* 30.
ſermo Dei ignitus: Clypeus eſt ſperantibus in ſe: ne addas *v.* 5. *&* 6.
quicquam verbis illius , & arguaris, inueniariſquè
mendax. Reſpondeo: Locus iſte nihil facit contra nos: neque enim agitur ibi de ſola Scriptura, ſed de omni Verbo Dei: Et veriſsimum eſt, quòd nihil addendum ſit omni Verbo Dei, tanquam verum Dei Verbum, & fide Catholica credendum: Nam vt ſuprà diximus, Fides ſoli Verbo Dei innititur: Verùm ſola Scriptura, non eſt omne Verbum Dei: quia & Traditiones omnes, quæ continent Dogmata fidei, pertinent ad Verbum Dei, vt iam ſatis probatum eſt. Illi autem addunt Verbo Dei, & ſunt mendaces, qui aſſerunt, Deum aliquid dixiſſe, quod verè non dixit: quales ſunt falſi Prophetæ: de quibus conqueritur Dominus apud Hieremiam Prophetam: *Viſionem* (inquit) *cordis ſui loquuntur non de ore Domini*: Et rurſus: *Non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant*. Poteſt & iſte locus rectè intelligi de his qui addunt aliquid contra Verbum Dei: Nam in Hebræo etiam hic ponitur particula illa עַל, quæ ſæpè ſignificat contra, vt oſtendimus in reſponſione ad primum argumentum.

Suprà c. 2.

Hier. 23. *v* 16. *&* 21.

CAPVT XXXV.

Examinatur locus Epiſtolæ ad Galatas, quem obijciunt aduerſarij contra Traditiones

I.
TERTIVM argumentum deſumunt aduerſarij ex capite 1. ad Galatas, quod etiam adiecerunt confeſsioni ſuæ fidei vt planè inui- *Confeſ. Rupell. art.* 5.
ctum:

Galat. 1. v. 8. & 9.

ctum:(Nam ſecundum argumentum vt minùs firmum omiſerunt.) Eſt autem huiuſmodi. Apoſtolus bis dicit anathema his, qui docent quidpiam, præter id quod ipſe docuit: Igitur nihil recipiendũ eſt præter Scripturam. Hunc locum Apoſtoli frequenter habent aduerſarij in ore, quare is paulò exactiùs diſcutiendus erit. Reſpõdemus ergo, aduerſarios hîc bis errare. Primò, quia de Verbo Scripto eſt tota noſtra controuerſia, atqui in his verbis nulla eſt mentio Verbi Scripti aut Scripturæ, ſed tantùm Verbi Euangelizati, Prædicati, & viua voce Traditi Galatis à S. Paulo. Atque hinc eſt, quòd S. Auguſt. (longè aliter quàm aduerſarij) dum agit contra Donatiſtas, ex his verbis Apoſtoli probat credendã eſſe Traditionẽ Eccleſiæ non Scriptam, v. g. Non rebaptizandos eſſe illos, qui ritè ab Hæreticis baptizantur. Et rectè quidẽ; nam quod Euangelizatur, quod viua voce traditur, Traditio eſt, non Scriptura. Prætereà, ſi ſola Scriptura omnia fidei Dogmata expreſsè contineret, Scripturam potiùs propoſuiſſet Apoſtolus, vt regulam fidei, quàm ſuam prædicationem: cùm illa omnibus Chriſtianis nota eſſet, prædicatio autem eius ſolis Galatis. Sed dicunt aduerſarij, omne illud, quod prædicauit, aut tradidit Apoſtolus Galatis, fuiſſe ſcriptum vel ante illud tempus, vel poſteà à S. Paulo & alijs Apoſtolis. Verùm, hoc dicunt illi, ſed non probant: Neque enim eſt iſtud vllibi ſcriptum in ſacris literis: atque ita dum volunt nobis perſuadere omnia fidei dogmata eſſe ſcripta, ipſimet nouum fidei dogma excudunt, quod nuſquam eſt ſcriptum: nimirum, Omnia eſſe ſcripta quæcunque S. Paulus docuerat Galatas viua voce. At verò ex his verbis longè meliùs (S. Auguſtinum ſequuti)

S. Aug. tom. 7. de vnitate Eccleſia c. 24.

S. Aug. tom. 9. tract. 96.

quuti) ita cõtrà illos colligimus: Si nihil credendum eſt præter id quod S. Paulus prædicauit Galatis, & quænam ſint iſta omnia, quæ ille prædicauit, ſcire certò nemo poſſit, niſi ex Traditione & doctrina Eccleſię: ſequitur, quòd præter Scripturam credendum ſit Traditioni & doctrinæ Eccleſiæ: cùm alioqui certò & ſine vllo errore conſtare nobis non poſſit, quænam ſint omnia illa quæ Apoſtolus docuit Galatas. *in Ioan. Et tom. 7. de vnitate Eccleſiæ c. 22. in fine.*

II. Secundò: in eo errant aduerſarij, quòd vocem illam (*præter*) in verbis S. Pauli non rectè interpretentur, ſed prorſus contra mentem Apoſtoli. Nam dictio Latina (*præter*) vt & Græca παρὰ, & Hebraica על duplicem habet acceptionem; priori, ſignificat id omne, quod non eſt illud ipſum de quo habetur ſermo. Poſteriori, ſignificat illud duntaxat quod eſt contrarium illi, de quo ſermo habetur: in qua acceptione *præter* idem ſignificat quod *contra*. De priori acceptione ſatis conſtat. Poſterior probatur his Scripturæ locis. Actorum 18. v. 13. vbi Gręcè eſt παρὰ τὸν νόμον, omnes vertunt *contra legem*: ita non tantùm vulgata editio, ſed & Caluinus & Beza & omnia Gallica Biblia Geneuẽſia. Similiter ad Rom. 1. v. 26. παρὰ φύσιν ſignificat *cõtra naturã*: ita vulgata editio, & omnia Biblia Gallica Geneuenſia. Imò Ciceronem ita ex Græco interpretatum eſſe hanc phraſim teſtatur Henricus Stephanus. Rurſus ad Romanos 4. v. 18. παρὰ ſignificat, *contra*, vt habet vulgata editio, & etiam Beza in omnibus ſuis editionibus. Prætereà ad Rom. 11. v. 24. παρὰ *eſt contra.* ſicut habet vulgata editio & omnia Biblia Gallica Geneuẽſia. Denique ad Rom. vltimo. v. 17. tam Gręca vox παρὰ, quàm Latina vox (*præter*) apud noſtrum interpretẽ ſignificat idem quod *contra*, vt manife-

Caluinus ſuper acta Apoſt. anno 1560. Beza editione anni 1560. 1565. & 1598.

Henricus Stephanus in Theſauro linguæ Græcæ tom 2. in dictione παρὰ.

manifeſtè conſtat ex præcedentibus verbis. Nam diſſenſiones & offendicula ſunt contra doctrinam Chriſti,& non duntaxat vltra eius doctrinam. Quare Caluinus in ſuis commentarijs editis anno 1557. in Epiſt. ad Rom. & ipſe Sebaſtianus Caſtalio, atque omnia Biblia Gallica Geneuenſia,habent (*contra doctrinam*) & quamuis Beza aliquando verterit (*præter doctrinam*) tamen in vltima ſua editione anni 1598. vertit (*contra doctrinam*) & in annotationibus monet ita potiùs eſſe vertendum. Non eſt ergo abſurdum aut nouum, vocem Græcam παρὰ, & Latinam, *præter*, idem ſignificare, quod, *contra*.

III. Iam verò quòd non tantùm poſſit hæc vox ita vſurpari, ſed quòd ita neceſſariò accipi debeat hoc in loco; oſtendimus ex varijs abſurdis, quæ alioqui ſequerentur. Primum eſt, quòd S. Paulus anathema dixiſſet S. Ioanni Euangeliſtę, qui multis annis poſt prædicationem S. Pauli apud Galatas, immò poſt mortem S. Pauli, ſcripſit Apocalypſim, in qua multæ ſunt nouæ reuelationes, quas Galatis non prædicauerat S. Paulus, quippè quæ nondum fuerint à Deo reuelatæ.

IV. Secundum abſurdum eſt, quòd S. Paulus pronunciaſſet anathema in omnes illos, qui ſuo tempore Spiritu Prophetico, multa noua quotidie annunciabant: ætate enim Apoſtolorum quamplures fuiſſe tales conſtat ex priori Epiſtola ad Corinthios: Neque enim poterat S. Paulus Galatis prædicare, quæ Deus nondum reuelauerat.

V. Tertium abſurdum, Anathema pronunciaſſet Apoſtolus, ob eandem rationem, contra S. Lucam, qui in Actibus Apoſtolorum multa narrat, quæ contigerunt diu poſteaquam S. Paulus reliquiſſet Galatiam.

Quar-

Quartum abſurdum; Apoſtolus ſeipſum etiam anathemate condemnaſſet eadem de cauſa. Nam multas conſcripſit Epiſtolas, poſtquam reliquerat Galatiam, in quibus pleraque narrat, quæ ſibi poſteà Romæ aut alibi contigerunt. VI.

Denique abſurdum eſt exiſtimare aut Deum poſt illa verba S. Pauli ad Galatas nihil potuiſſe ampliùs hominibus reuelare Angelo de cœlo miſſo: aut Angelum illum qui iuſſu Dei aliquid noui, ſed non contrarium fidei, reuelaret, ab Apoſtolo anathemate damnari: cùm id eſſet anathema torquere in ipſum etiam Deum, qui illud Angelo mandaſſet. Non poteſt igitur iſte locus intelligi de quibuſuis diuerſis, aut alijs ab his, quę S. Paulus docuerat Galatas, ſed de contrarijs duntaxat & pugnantibus. Enimuerò iuxtà hanc acceptionem particulę, *præter*, ceſſant omnia illa abſurda: Neque enim docuit aut ſcripſit S. Ioannes in Apocalypſi, aut S. Lucas in Actibus, aut vllus, qui Prophetabat, aut ipſe S. Paulus quicquam contrarium illis, quæ docuerat Galatas: ſed neque poteſt ipſe Deus per Angelum contrarium reuelare, quia iuxtà Apoſtolum: *Impoſſibile eſt mentiri Deum.* VII. *Ad Hebraos 6. v. 18.*

Neque ſatis eſt, ſi dixerit quiſpiam hæc quæ poſtea reuelata ſunt, aut ſcripta non eſſe dogmata ad ſalutem neceſſaria. Nam non dixit S. Paulus: *Si quis Euangelizauerit dogma ad ſalutem neceſſarium:* ſed abſolutè, *ſi quis Euangelizauerit quidpiam præter id quod accepiſtis.* Deinde omnia hæc quę poſteà fuerunt litteris ſacris mandata, ſunt vera fidei dogmata, quæ quiuis Chriſtianus tenetur neceſſariò credere, ſi non expreſsè, ſaltem implicitè, & generatim: quilibet enim tenetur certa fide credere omnia, quæ ſunt in ſacris litteris, eſſe veriſsima. VIII.

Denique

IX. Denique hoc ipſum conuincit aduerſariorum confeſsio: agnoſcunt enim iam tandem ea omnia, quæ neceſſaria conſequentia deducuntur ex Scripturis, ad Verbum Dei, & fidem pertinere: poſſeque proinde rectè Euangelizari populo Chriſtiano, vt ſuprà diximus: Atqui iſta omnia ſunt alia ab his quæ ſcripta ſunt expreſsè in ſacris literis. Antecedens enim ex quo aliquid infertur, aliud eſt & diuerſum ab eo quod inde infertur: Ridicula namq; eſſet illatio, ſi idem colligeretur ex ſeipſo. Verùm id quod infertur in bona collectione, nunquam eſt contrarium antecedenti: De contraria igitur doctrina à ſua loquitur Apoſtolus non abſolutè de quauis diuerſa.

Suprà c. 32.

X. Atque in hoc ſenſu dicunt nonnunquam Patres S. Paulum hic affirmare nihil docendum eſſe præter illud, quod eſt in Scriptura. Ita loquitur S. Auguſtinus alicubi: ſed alibi clarè explicat ſe per vocem (*præter*) intelligere (*contra*) quia nihil prædicandum eſt contra ſacram Scripturam. Hunc eſſe verum S. Auguſtini ſenſum ex ipſis verbis eiuſdem S. Auguſtini perſpicuum eſt, quibus etiam probat vocem (*præter*) in his verbis Apoſtoli denotare contraria, non diuerſa. In hunc enim modum ſcribit, cùm admonet ſuos, vt caueant à dogmatibus Manichæorum, & aliorum Hæreticorum, quòd iſta non ſint duntaxat alia, ſed etiam contraria his, quæ docuerunt Apoſtoli. *Admonitio* (inquit) *Beatiſsimi Apoſtoli de veſtris cordibus non recedat. Si quis vobis Euangelizauerit præterquàm quod accepiſtis, anathema ſit. Non ait pluſquam accepiſtis, ſed præterquàm quod accepiſtis. Nam ſi illud diceret, ſibi ipſi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicẽſes, vt ſuppleret quæ eorum fidei defuerunt. Sed qui ſupplet, quod minus erat, addit: non quod inerat, tollit.*

S. Aug. tom. 7. Contra literas Petiliani Donatiſta lib. 3. c. 5. 6.

S. Aug. tomo 9. tract. 98. in Euãg Ioan. ſub finem.

Ad Gal. 3. v. 9.

1. ad Theſſ. v. 10.

Qui

Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, ſed recedit de via. Quod itaque ait Dominus: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: adijcienda illis fuerunt quæ neſciebant, non quæ didicerant, euertenda. Hactenus ſanctus Auguſtinus. *Ioan. 16. 12.*

CAPVT XXXVI.

Diluuntur aliæ aduerſariorum obiectiones contra Traditiones.

QVARTVM argumentum deſumunt aduerſarij ex illis verbis Apocalypſeos, quæ etiam citant in ſua fidei Confeſsione: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Sed nemo non videt S. Ioannem ibi expreſsè loqui de libro Apocalypſeos duntaxat, & non de tota Scriptura: *Conteſtor* (inquit) *omni audienti verba Prophetiæ libri huius, ſi quis appoſuerit ad hæc.* Et verſu 19. ſequente: *Si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius* &c. Loquitur ergo dũtaxat de verbis Propheticis Apocalypſeos. Nã alioqui conſtat ex hiſtorijs Eccleſiaſticis S. Ioannem ſcripſiſſe ſuum Euangelium poſt Apocalypſim; & ita multa addidiſſe Apocalypſi. Sed viderint aduerſarij ne ipſi incurrant pœnas, quas S. Ioannes minatur his, qui addunt, vel minuunt aliquid ex Apocalypſi: Cùm illi tam audacter & tam frequenter detorqueant prophetias Apocalypſeos ad alienos ſenſus, contra ſummum Pontificem & Catholicam Eccleſiam. I. *Apo. vlt. v. 18.* *Confeſſ. Rupellana art. 5.* *S. Hier. de Scriptoribus Eccleſ. in Ioan. Apoſt.*

Addunt aduerſarij & alia pleraque, ſed leuiora argumenta, ex illis Scripturæ locis deſumpta, quæ nobis commendant præſtantiam ſacrarum II. *Suprà c. 35.*

K litera-

litterarum. Verùm hæc omnia facillimè diluun-tur ex vnico illo fundamento, quod ipſos iam admittere anteà oſtendimus, nimirum vt Scriptura perfecta ſit,& ſufficiens ad ſalutem, opus non eſſe,vt omnia fidei dogmata expreſsè contineat,ſed ſat eſſe quòd huiuſmodi dogmata poſſint ex ea colligi bona conſequentia. Atqui omnes Traditiones Eccleſiæ,quæ ad fidem ſpectant, colligi poſſunt ex Scriptura,vt modò diximus, & infrà etiam in ſingulis controuerſijs pleniùs comprobabimus. Non eſt ergo cur toties iactitent aduerſarij, nos docere Scripturam eſſe imperfectam,mancam,inſufficientem: Quod enim attinet ad perfectionem & ſufficientiam hanc Scripturæ, coguntur tandem noſtræ ſententiæ ſubſcribere. Iſta verò eorum argumenta (quæ illi præcipua exiſtimant) idcirco adduximus, vt omnes cognoſcāt, quàm malè illi interpretentur ſacras litteras;& quàm leuibus perſuaſi rationibus, à fide Catholica defecerint..

Suprà c. 35. *Suprà c. 25.*

III. Quin etiam hanc ipſam, quam prætendunt Scriptutæ ſufficientiam,valdè ineptè probant, ex eo quòd Apoſtolus doceat Scripturam eſſe vtilem: quaſi omne id quod eſt vtile ad finem aliquem conſequendum, ſit etiam ſufficiens: quo nihil eſt abſurdius. Certè caput non tantùm vtile eſt,ſed etiam neceſſarium,vt homo viuat; at quis quæſo dicet ſolum caput ſine reliquo corpore ſufficere ad vitam hominis? Verùm recentiores At hanc tam infirmam ratiocinationem aliquantum confirment, dicunt in humanis rebus non omne vtile eſſe ſufficiens, ſed quod diuinitùs eſt vtile, eſſe etiam ſufficiens. Addit Iunius, idque ſatis iuueniliter, *hoc* (inquit) *nulla ſophiſticè poteſt euertere.* Sed quis non videt Euchariſtiam diuini-

2. ad Tim. 3. v. pen.

Iunius contra Bellar. contro-uerſ. 1.

diuinitùs vtilem eſſe ad ſalutem conſequendam, ſolam tamen non ſufficere ſine Baptiſmo, ſine fide, ſine pœnitentia? Idem de Baptiſmo, idem de quouis libro Scripturæ dici poteſt. Imò Apoſtolus non de tota Scriptura loquitur (vt putant aduerſarij) cùm dicit omnem Scripturam vtilem eſſe; ſed de quauis parte Scripturæ: Quomodo enim loqueretur de re, quæ nondum extabat? atqui nondum erat conſcriptum Euangelium S. Ioannis, neque Apocalypſis: Hæc enim poſt mortem S. Pauli ſcripta ſunt à B. Ioanne. Hinc eſt, quod Apoſtolus Paulus non dicat; tota Scriptura; ſed, *omnis Scriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt*: Nulla enim eſt pars Scripturæ, quæ non ſit vtilis nobis, ſi rectè intelligatur: Non eſt tamen quæuis Scripturæ pars, ſine omni alia parte Scripturæ, ſufficiens: vt omnibus notiſsimum eſt.

l. 4. c. 10. nota 44.

S. Hier. de Scrip. Eccleſ. in Ioanne Apoſt.

2. ad Tim. 3. v. pen.

IV. Denique & hoc obſeruatione dignum eſt, quòd loca illa omnia, quibus commendatur nobis integritas, perfectio, & vtilitas Scripturæ, neceſſariò intelligi debent, non de nuda littera, ſed de littera benè intellecta, vt ſuprà oſtendimus: atqui vera iſta litteræ intelligentia non aliunde haberi poteſt, quàm ex Traditione & doctrina non ſcripta ipſius Eccleſiæ, vt ſuprà etiam probauimus. Quare omnia loca quę commendant Scripturam, commendant nobis conſequenter Traditiones Eccleſiæ, & Verbum Dei nō Srciptum, cùm in hoc verbo non ſcripto conſiſtat præcipua pars ſanctæ Scripturæ, verus nimirum litteræ ſenſus.

Suprà c. 3.

Suprà c. 4.

CAPVT XXXVII.

Quonam modo dignoſci poſſint Traditiones Apoſtolicæ.

I. INTER cætera argumenta aduerſariorum, hoc vnum eſt: Nos non poſſe certò ſcire quænam ſint Traditiones Apoſtolorum: cùm olim non pauci Hæretici prætenderint ſuas hæreſes fuiſſe ex Apoſtolorum Traditione. Prætereà obijciunt, Traditiones non ſcriptas facilè mutari & deprauari poſſe: ob id enim inſtitutam eſſe Scripturam, vt doctrina viuæ vocis diutiùs incorrupta perſeueret. Verùm huic argumentationi ad hunc modum ſatisfacimus. Antiqui Hæretici etiam ex ſuppoſititijs Scripturis, quas Apoſtolis falsò adſcribebant, probabant ſuas hæreſes. *Multa* (inquit S. Auguſtinus) *ſub nominibus Prophetarum, & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum ab Hæreticis proferuntur*. At non propterea cenſendæ ſunt Canonicæ Scripturæ incertæ.

S. Aug. tom. 5. de Ciuit. Dei lib. 15. c. 23. ſub fine.

II. Porrò tam certò & tam facilè dignoſcuntur Traditiones Apoſtolicæ à ſuppoſititijs, quàm facilè & certò dignoſcuntur Canonicæ Scripturæ ab Apocryphis: eadem enim via & authoritate dignoſcuntur vtræque: nimirum, per authoritatem, doctrinam, ac teſtimonium Catholicæ Eccleſiæ, quæ neminem decipit, aut decipere poteſt.

III. Et quamuis in humanis rebus Scriptura ſit certior, quàm ſola Traditio; ſecùs tamen eſt in diuinis: quia in his intercedit Diuina authoritas, & perpetua Spiritus ſancti tuitio, quæ non ſinit Eccleſiam errare. Atque hinc eſt, quòd ſola Traditio Eccle-

Eccleſiæ (quæ non tam in chartis, quàm in cordibus fidelium ſcribitur) certiſsimus & fideliſsimus cuſtos ſit Diuinorum omnium dogmatum. 2. Corin. 3. v. 3.

IV. Imò etiam ſi Chriſtus Dominus noſter propria manu omnia fidei dogmata in ære inſculpſiſſet, non fuiſſet tamen tanta illorum certitudo, quanta iam eſt Traditionum Eccleſiaſticarum (niſi idem prætereà acceſsiſſet Diuinorum dogmatum cuſtos.) Nam quod in ære imprimitur, abradi aut deleri poteſt: poteſt & æs ipſum igne conſumi: at verò, illa quæ in cordibus fidelium à Spiritu ſancto imprimuntur & impreſſa cuſtodiuntur, nunquam poterunt perire aut vlla ex parte mutari.

V. Et hæc quæ diximus de dignoſcendis Apoſtolicis Traditionibus per authoritatem Eccleſiæ, intelligendum eſt, ſiue Eccleſia in generali Concilio congregata ita declaret: ſiue id conſtiterit per obſeruationem perpetuam & vniuerſalem totius Eccleſiæ: Item ſiue quæſtio ſit de Traditione ad fidem ſpectante, ſiue ſpectante ad ritus & ceremonias duntaxat. Nã de fidei dogmate (nimirũ de nõ rebaptizãdo baptizato ab hęretico) sũt iſta S. Aug. verba: *Quamuis huius rei certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuerſa iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat authoritas, vt quoniam ſacra Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate Sancta Scriptura demonſtrat.* Hactenus S. Auguſtinus. Et alibi de Baptiſmo infantium contra Donatiſtas diſputans: *Quod vniuerſa* (inquit) *tenet* S. Aug. tom. 7. contra Creſc. Gramm. l. 1. c. pen. S. Aug. tom. 7. de Bapt. contra Donat. l. 4 c. 24.

Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſsimè creditur.

VI. S. Aug. tom. 2. Epiſt. 118. ad Ian. cap. 5. Caluin. lib. 4. Inſt. cap. 14. Sect. vlt. ſub finem. Et lib. 3. c. 3. Sect. 10. in medio.

De ritibus verò & Cæremonijs Eccleſiaſticis in hunc modum loquitur idem S. Auguſtinus: *Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſsima inſania eſt.* Ex quibus verbis S. Auguſtini facilè eſt intelligere, quiſnam fuerit de hac re tota totius antiquæ Eccleſiæ ſenſus, & conſenſus. Nam aduerſarij ipſi ſcribunt S. Auguſtinum fideliſsimum eſſe teſtem antiquitatis: ex quo ſumant Lectores, ſi quid de ſenſu antiquitatis habere certi volent.

SECVN-

Digitized by Google

SECVNDA CONTROVERSIA,

DE ECCLESIA, SVMMO PONTIFICE ROMANO, CONCILIIS, & Patribus antiquis.

Ad diſputationem de Eccleſia ſpectat etiam diſputatio de Concilijs generalibus, ſummo Pontifice, & Patribus. Nam Concilium generale eſt viſibile corpus Eccleſiæ militantis; Summus verò Pontifex eſt caput viſibile eiuſdem Eccleſiæ: Ex Patribus verò conſtant Concilia: Quare de his quatuor in hac ſecunda Controuerſia diſſerendum nobis erit.

CAPVT I.

De proprietatibus, & officijs veræ Chriſti Eccleſiæ.

IN diſputatione de Eccleſia illud inprimis obſeruandum eſt, quòd cùm aduerſarij multos errores hîc introduxerint, omnes illi procedant ex ignorantia veræ notionis, & naturæ ipſius ECCLESIAE. Veriſſimum enim eſt quod dicit APOSTOLVS, illos qui I.

1. ad Timot. 1. v. 6. & 7. aberrant à fide, conuerti in vaniloquium: & dum volunt eſſe legis Doctores, non intelligere, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Si enim probè intelligerent aduerſarij, quid ſibi velit nomen & ratio Eccleſiæ, nequaquam affirmarent tam abſurda de Chriſti Eccleſia. Quare omnium primò explicandum nobis erit, quid propriè intelligi debeat nomine Eccleſiæ.

II. Porrò iſtud optimè declaratur per proprietates Eccleſiæ Chriſti, & officia, quæ in ipſa ſacra Scriptura nobis commendantur. Proprietates autem vocamus illas, quæ Eccleſiæ conueniunt ex ordine quem habet ad Chriſtum ſupremú ſuum caput. Officia verò illa appellamus, quæ Eccleſia exercet erga ſuos filios. Sunt quidem variæ proprietates Eccleſiæ, quas proponit Scriptura: ſed ſatis erit hîc annotaſſe quinque.

III. Prima Eccleſia eſt ſponſa Chriſti: *Sponſabo te* (inquit Propheta Oſee) *mihi in æternum*; Et rurſus: *Sponſabo te mihi in fide.* Et Iſaias: *Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam & gaudebit ſuper te* (Eccleſiam alloquitur) *Deus tuus.* Item Chriſtus apud Salomonem: *Veni de Libano ſponſa mea.* Similiter in nouo Teſtamento appellatur Eccleſia ſponſa Chriſti: *Qui habet ſponſam* (ait S. Ioannes Baptiſta) *ſponſus eſt.* Et Apoſtolus: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Denique: *Sponſus & ſponſa dicunt, veni:* inquit S. Ioan. Euangeliſta in ſua reuelatione.

Oſee 2. v. 19. & 20. Iſaia 62. v. 5. Can. 4. v. 8. Ioan. 3. v. 29. 2. ad Cor. 11. v. 2. Apo. vlt. v. 17.

IV. Secunda proprietas; Eccleſia eſt Corpus Chriſti myſticum: *Multi* (inquit Apoſtolus) *vnum Corpus ſumus in Chriſto.* Et rurſus: *Vos eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro.* Et alibi: *Ipſum* (Chriſtum nimirum) *dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt Corpus ipſius.*

Ad Ro. 12. v. 5. 1. ad Cor. 12. v. 27. 1. ad Eph. 1 v. 22. & 23.

Tertia

Tertia proprietas, Eccleſia eſt regnum Chriſti: *Regnabit Dominus* (inquit Michæas Propheta) *ſuper eos in monte Sion ex hoc nunc, & vſque in æternum.* Et Angelus apud ſanctum Lucam, ita de Chriſto loquitur: *Regnabit in domo Iacob in æternum.* Denique Chriſtus ipſe ad diſcipulos: *Regnum Dei intra vos eſt.* V. *Mich.* 4. *v.* 7. *Luc.* 1. *v.* 33. *Luc.* 17. *v.* 21.

Quarta proprietas: Eccleſia eſt hęreditas Chriſti: *Poſtula à me* (loquitur Deus Pater ad filium) *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Et rurſus Propheta Dauid: *Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.* Denique: *Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem ſibi.* VI. *Pſal.* 2. *v.* 8. *Pſal* 27. (*vel* 28.) *v. vlt.* *Pſal.* 32. (*vel* 33.) *v.* 12.

Quinta proprietas: Eccleſia eſt ciuitas Dei, & Chriſti: *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*, inquit Regius Propheta. Et iterum: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Et Chriſtus ipſe: *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Atque hinc eſt, quòd Eccleſia vocetur Cœleſtis Ieruſalem & Sion, præterea Templum & domus Dei. *Acceſſiſtis* (inquit Apoſtolus) *ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cœleſtem.* Et alibi: *Vos eſtis templum Dei viui.* Denique, *vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui.* VII. *Pſal.* 86. (*vel* 87.) *v.* 3. *Pſal.* 45. *vel* 46. *v.* 5. *Mat.* 5. *v.* 14. *Ad Heb.* 12. *v.* 22. 2. *ad Cor.* 6. *v.* 16. 1. *Tim.* 3. *v.* 15.

Officia verò Eccleſiæ multa ſunt, ſed ad quinque capita rediguntur. Eſt enim Eccleſia Mater noſtra teſte Apoſtolo. Matris autem erga filios quinque ſunt officia: Primò concipere, Secundò parere, Tertiò nutrire, Quartò regere, Quintò defendere ſeu cuſtodire filios à periculis, donec peruenerint ad perfectam ætatem. Omnia hæc præſtat nobis Eccleſia, donec occurramus omnes Chriſto ſponſo Eccleſiæ & Patri noſtro, in vni- VIII. *Ad Gal.* 4. *v.* 26.

tatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfe-
Ad E- ctum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti,
pheſ. 4. vt loquitur Apoſtolus.
v. 13.

Primum igitur officium Eccleſiæ eſt, propo-
nere omnibus Verbum Dei: idque plenè (quan-
tum ad illa quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria) ſince-
rè, clarè, ac ſine vllo errore. Eſt enim verbum Dei
ſemen illud incorruptibile, quo concipimur, &
Luc. 8. v. renaſcimur, vt Chriſtus & Apoſtoli teſtantur.
11. & 1 Hoc autem præſtat Eccleſia tum ſcriptis, tum vi-
Petri 1. v. ua voce, dum ab infidelitate conuertit Gentiles,
23. & 1. Mahumetanos, Hæreticos, Atheos, & officium
ad Cor. 4. hoc iniunxit Chriſtus Eccleſiæ illis verbis; *Præ-*
v. 15.
Marc. vl. *dicate Euangelium omni creaturæ.*

v. 15. Secundum officium Eccleſiæ eſt, legitimè ad-
X. miniſtrare Sacramenta: nam & his quoque rege-
Ad Tit. neramur & nutrimur & corroboramur & guber-
vlt. v. 5. namur & protegimur. Hoc quoque officium in-
& Ioan. iunxit Chriſtus Eccleſiæ, cùm iuſsit eam bapti-
6. v. 57.
58. Matt. zare, & reliqua Sacramenta adminiſtrare.

vlt. v. 19. Tertium Eccleſiæ officium eſt, paſcere eos quos
Marc. vl. iam genuit Chriſto non tantùm Sacramentis, ſed
v. 16. Lu- & Verbo Dei, *Paſcite* (inquit ſanctus Petrus) *qui*
ca 22. v. *in vobis eſt gregem Dei*. Sed rudiores lacte paſcit Ec-
19.
XI. cleſia, non eſca, aut ſolido cibo: Hinc Eccleſiaſti-
1. Petri cæ Catecheſes: perfectiores verò alit ſolido cibo,
vlt. v. 2. non tantùm lacte: vt monet Apoſtolus.

1. ad Cor. Quartum officium Eccleſiæ eſt regere: iuxta
3. v. 2. & illa verba S. Pauli: *Attendite vobis & vniuerſo gregi*
ad Heb.
5. v. 12. *in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam*
& 14. *Dei.* Hinc conuocantur Synodi & Concilia, vt hæ-
XII. reſes damnentur, mores reformentur, & ordo Ec-
Act. 20. cleſiaſticus rectè in omnibus conſtituatur. Item
v. 28. huius officij eliguntur Prædicatores Paſtores,
Adminiſtratores Sacramentorum: & cætera om-
nia

Digitized by Google

nia ordinantur, quæ ſpectant ad rectam Eccleſiæ gubernationem.

XIII. Quintum officium Eccleſiæ eſt defendere ſuos filios. Hinc opponit ſe aduerſarijs Chriſti. Profitetur apertè fidem: Pugnat perpetuo cum ſerpente & ſemine eius: patitur multa, ſemper tamen triumphat: *Omne vas* (inquit Propheta Iſaias) *quod fictum eſt contra te non dirigetur.* Et Chriſtus: *Super Petram ædificabo Eccleſiam meam & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Item: *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidete, ego vici mundum.* Ex his proprietatibus & officijs Eccleſiæ, ſi benè conſiderentur, facilè refutantur omnes errores aduerſariorum; vt ex ſequentibus manifeſtum erit.

Matt. 10. v. 32. & 33. Gen. 5. v. 15. Iſa- ia 54. v. vlt. Matt. 16. v. 18.

CAPVT II.

Extra veram Eccleſiam Chriſti non eſſe ſalutem.

PRimus error ſectariorum huius temporis eſt quorundam qui promittunt hominibus ſalutem extra Eccleſiam; ſed is facilè refutatur ex Scripturis. Clarum enim eſt quod ait Iſaias, dum Dei nomine alloquitur Eccleſiam: *Gens & regnum quod non ſeruierit tibi peribit.* I.

Iſa. 60. v. 12.

Idem error conuincitur ex proprietatibus & officijs Eccleſiæ iam poſitis. Primò Chriſtus vnã habet ſponſam, aliam non nouit: *Erunt duo in carne vna, ego autem* (inquit Apoſtolus) *dico in Chriſto & Eccleſia.* Ita etiã alloquitur Chriſtus Eccleſiã: *Vna eſt colũba mea, perfecta mea.* Nõ eſt adulter Chriſtus, nec filios generat ex adultera. Hinc illud S. Cypriani: *Adulterari nõ poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica.* Et paulò poſt: *Quiſquis ab* II.

Ad Epheſ. 5. v. 3. 32. Cant. 6. v. 8. S. Cyprian. in tract. de vnit. Eccleſia.

Eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, à promiſsis Eccleſiæ ſeparatur: Nec perueniet ad Christi præmia, qui relinquit Eccleſiam Christi. Alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt: habere iam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Hæc ille. Poſtrema verò hæc verba repetit ex illo ſanctus Auguſtinus.

S. Aug. to. 9. de Symb. ad Catech. l. 4. c. vlt.

III. Secundò, qui eſt extra Corpus Chriſti, non poteſt recipere ſpiritum Chriſti, nec eſſe particeps vitæ aut meritorum Chriſti: atqui *ſi quis Spiritum Christi non habet, hic non eſt eius*, teſte Apoſtolo. Pulchrè hoc declarat ſanctus Auguſtinus exemplo corporis humani, cuius membra viuere non poſſunt, niſi ſint vnita corpori. Aliud etiam habet argumentum ſanctus Auguſtinus ex hac eadem proprietate Eccleſiæ deſumptum: *Ad ipſam ſalutem* (inquit) *& vitam æternam nemo peruenit, niſi qui habet caput Chriſtum: Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in eius corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.* Ita ſanctus Auguſtinus.

Ad Rom. 8. v. 9. S. Aug. tom. 9. tract. 26. in Ioan.

S. Aug. to. 7. de vnit. Eccleſ. c. 19.

IV. Tertiò ipſum ſolum nomen matris ſatis hoc probat: Nam concipi nemo poteſt, neque naſci ſine matre: & infans iam natus, qui vbera matris ſugere recuſat, fame peribit. Quo etiam argumẽto conuincũtur illi, qui inter aduerſarios ſunt ſolertiores: Nam & Caluinus & Beza fatentur ſolum hoc elogium matris iſtud conuincere: imò Scripturam ſæpè teſtari extra gremium Eccleſiæ nullam eſſe ſperandam remiſsionem peccatorum, nullam ſalutem: ſemperque exitialem eſſe ab Eccleſia diſceſsionem. Atque hinc eſt quod in Symbolo Apoſtolorum 1. credamus ſanctam Eccleſiam CATHOLICAM, deinde remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Quia ſcilicet

Caluin. l. 4. Inſt. c. 1. ſect. 4. & Beza c. 5. ſua conf. art. 1.

licet extra hanc Eccleſiam, neque poteſt obtineri peccatorum remiſsio, neque vita æterna.

CAPVT III.

Eccleſiam Chriſti perpetuò durare.

SEcundus error aduerſatiorum eſt, quòd nonnulli ex illis affirment, Eccleſiam Chriſti non perpetuò duraſſe, ſed aliquando defeciſſe. Hic error ex proprietatibus & officijs Eccleſiæ iam poſitis facilè etiam refutatur. Primò Eccleſia eſt ſponſa Chriſti, de qua dicit ipſe per Prophetam: *Sponſabo te mihi in ſempiternum:* nō igitur ad paucos dumtaxat annos deſpondit ſibi Chriſtus Eccleſiam. I. *Oſe. 2. v. 19.*

Secundò, Eccleſia eſt corpus Chriſti: Chriſtus autem non poteſt eſſe ſine ſuo corpore, & ſane monſtroſum eſſet videre caput viuum ſine corpore. II. *Ad Rom. 12. v. 5.*

Tertiò, Eccleſia eſt regnum Chriſti, ſed iſtud regnum Chriſti in æternum duraturum eſſe multis in locis docent Scripturæ: Micheæ. 4. v. 7. Danielis 2. v. 44. Ieremiæ 33. v. 20. & 21. Luc. 1. v. 32. & 33. Denique iurat Deus in ſancto ſuo (id eſt, per ſanctitatem ſuam) quòd durabit regnum Chriſti in æternum. Quare periurum conantur efficere DEVM ipſum, qui affirmauit regnum Chriſti aliquando perijſſe. III. *Pſal. 88. vel 89. v. 36.*

Quartò, Eccleſia eſt domus Chriſti, quam ille ædificauit ſupra petram, aduerſus quam portæ inferi nunquam præualebunt. IV. *Matt. 17. v. 18.*

Quintò, ex officijs Eccleſiæ hoc ipſum probatur: Eccleſia mortem Domini annunciabit, donec veniat ipſe: Poſuit etiam Deus Paſtores & Docto- V. *1. ad Corinth. 11. v. 26.*

res

res qui docerent & regerent Eccleſiam donec occurramus omnes Chriſto in fine mundi. Itē quando miſit Chriſtus Diſcipulos, vt docerent omnes gentes, & adminiſtrarent Sacramenta, addidit hanc promiſsionem: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Quibus verbis (vt benè notat S. Hieronymus) & illos oſtendit ſemper eſſe victuros, & ſe nunquam à credentibus receſſurum.

Matt. vl. v. vlt.

VI. Denique ipſimet aduerſarij, rei veritate conuicti agnoſcunt Scripturas hoc varijs in locis apertè teſtari. Id enim agnoſcūt & probant in Scripturis Caluinus & Beza, vt alios omittamus. *Cùm perpetuum ſit Ieſu Chriſti regnum* (inquit Beza) *neceſſe eſt aliquos ſemper exiſtere, qui eum pro Rege agnoſcant.*

Caluin. li. 4. Inſt. c. 1. ſect. 17. in fin. Beza c. 5. ſua confeſſ. art 1.

CAPVT IV.

Eccleſiam hanc quæ perpetuò durat ſemper eſſe viſibilem.

I. TErtius error aduerſariorum eſt, quòd negent Eccleſiam Chriſti ſemper eſſe viſibilem. Nam cùm non poſsint negare, quin Eccleſia Chriſti ſemper duret, vt ſuperiori capite oſtendimus: & nos ab illis petimus, vbinam fuerit illorum Eccleſia his mille & amplius annis elapſis, confugiunt ad inuiſibilem quamdam Eccleſiam, quam dicunt multis annis latuiſſe. Verùm iſte error facilè etiam refutatur ex proprietatibus & officijs veræ Eccleſiæ iam allatis.

II. Primò, Eccleſia eſt corpus Chriſti; corpus autem hoc Chriſti eſt viſibile, viſibiles enim homines alloquebatur Apoſtolus, cùm dicebat: *Vos*

eſtis

eſtis corpus Chriſti. Pręterea efficimur corpus Chriſti per Baptiſmum, & per ſumptionem Euchariſtiæ, teſte Apoſtolo: Sacramenta autem iſta ſunt viſibilia: Item in corpore hoc Chriſti ſunt Doctores & Paſtores vſque ad conſummationem Sanctorum, donec occurramus Chriſto: Tales autem ſunt viſibiles; Viſibilis eſt etiam ædificatio Eccleſię, viſibilis & conſummatio iſta Sanctorum, viſibile opus illud miniſterij, quod duraturum dicit Apoſtolus vſque ad aduentum Chriſti. *1. ad Cor. 12. v. 27. 1. ad Cor. 10. v. 17. & 1. ad Cor. 12. v. 13. Ad Ephes. 4. v. 11. 12.*

III. Secundò Eccleſia eſt regnum Chriſti: atqui omne regnum complectitur viſibilem multitudinem hominum, qui ſuum Regem agnoſcunt. Hinc eſt quòd Deus apud Prophetam Ieremiam, dum deſcribit hoc regnum Chriſti ita loquatur de multitudine hominum, qui futuri ſunt in regno Chriſti: *Sicuti enumerari* (inquit Dominus) *non poſſunt ſtellæ cœli, & metiri arena maris, ſic multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei, & Leuitas miniſtros meos.* Talis autem & tanta hominum multitudo non poteſt eſſe inuiſibilis. *Ier. 33. v. 32.*

IV. Similiter apud Prophetam Iſaiam dum deſcribitur idem regnum Chriſti, & fœdus Dei cum illo, ita dicitur: *Fœdus perpetuum feriam eis, & ſcient* (id eſt *ſcietur* Hebraica phraſi) *in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum; Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* Vbi apertè dicitur, quòd omnes etiam gentes infideles, cùm primùm aſpicient Eccleſiam, cognoſcent illam facillimè ex beneficijs ipſi à Deo collatis Caluinus ipſe agnoſcit hoc dici de Eccleſia; & addit neque ſemel tantùm hoc impletum eſſe, ſed quotidie impleri. *Iſa. 61. v. 8. & 9. Calu. in hæc verba Iſaiæ.*

Deni-

res qui docerent & regerent Eccleſiam donec occurramus omnes Chriſto in fine mundi: Itē quando miſit Chriſtus Diſcipulos, vt docerent omnes gentes, & adminiſtrarent Sacramenta, addidit

Matt. vl. v. vlt. hanc promiſsionem: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Quibus verbis (vt benè notat S. Hieronymus) & illos oſtendit ſemper eſſe victuros, & ſe nunquam à credentibus receſſurum.

VI. *Caluin. li. 4. Inſt. c. 1. ſect. 17. in fin. Beza c. 5. ſuæ confeſſ. art 1.* Denique ipſimet aduerſarij, rei veritate conuicti agnoſcunt Scripturas hoc varijs in locis apertè teſtari. Id enim agnoſcũt & probant in Scripturis Caluinus & Beza, vt alios omittamus: *Cùm perpetuum ſit Ieſu Chriſti regnum* (inquit Beza) *neceſſe eſt aliquos ſemper exiſtere, qui eum pro Rege agnoſcant.*

CAPVT IV.

Eccleſiam hanc quæ perpetuò durat ſemper eſſe viſibilem.

I. TErtius error aduerſariorum eſt, quòd negent Eccleſiam Chriſti ſemper eſſe viſibilem. Nam cùm non poſsint negare, quin Eccleſia Chriſti ſemper duret, vt ſuperiori capite oſtendimus: & nos ab illis petimus, vbinam fuerit illorum Eccleſia his mille & amplius annis elapſis, confugiunt ad inuiſibilem quamdam Eccleſiam, quam dicunt multis annis latuiſſe. Verùm iſte error facilè etiam refutatur ex proprietatibus & officijs veræ Eccleſiæ iam allatis.

II. Primò, Eccleſia eſt corpus Chriſti; corpus autem hoc Chriſti eſt viſibile, viſibiles enim homines alloquebatur Apoſtolus, cùm dicebat: *Vos*

eſtis

Digitized by Google

eſtis corpus Chriſti. Prçterea efficimur corpus Chri- 1. *ad Cor.*
ſti per Baptiſmum, & per ſumptionem Eucha- 12. *v.* 27.
riſtiæ, teſte Apoſtolo: Sacramenta autem iſta ſunt 1. *ad Cor.*
viſibilia: Item in corpore hoc Chriſti ſunt Do- 10. *v.* 17.
ctores & Paſtores vſque ad conſummationem & 1. *ad*
Sanctorum, donec occurramus Chriſto: Tales *Cor.* 12.
autem ſunt viſibiles; Viſibilis eſt etiam ædificatio *v.* 13.
Eccleſię, viſibilis & conſummatio iſta Sanctorum, *Ad E-*
viſibile opus illud miniſterij, quod duraturum *pheſ.* 4. *v.*
dicit Apoſtolus vſque ad aduentum Chriſti. 11. 12.

Secundò Eccleſia eſt regnum Chriſti: atqui III.
omne regnum complectitur viſibilem multitudinem hominum, qui ſuum Regem agnoſcunt. Hinc eſt quòd Deus apud Prophetam Ieremiam,
dum deſcribit hoc regnum Chriſti ita loquatur *Ier.* 33. *v.*
de multitudine hominum, qui futuri ſunt in re- 32.
gno Chriſti: *Sicuti enumerari* (inquit Dominus) *non poſſunt ſtellæ cœli, & metiri arena maris, ſic multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei, & Leuitas miniſtros meos.* Talis autem & tanta hominum multitudo non poteſt eſſe inuiſibilis.

Similiter apud Prophetam Iſaiam dum deſcri- IV.
bitur idem regnum Chriſti, & fœdus Dei cum *Iſa.* 61. *v.*
illo, ita dicitur: *Fœdus perpetuum feriam eis, & ſci-* 8. & 9.
ens (id eſt *ſcietur* Hebraica phraſi) *in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum; Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* Vbi apertè dicitur, quòd omnes etiam gentes infideles, cùm primùm aſpicient Eccleſiam, cognoſcent illam facillimè ex be- *Calu. in*
neficijs ipſi à Deo collatis Caluinus ipſe agnoſ- *hæc verba*
cit hoc dici de Eccleſia; & addit neque ſemel tan- *Iſaiæ.*
tùm hoc impletum eſſe, ſed quotidie impleri.

Deni-

V. Denique ſi regnum hoc Chriſti eſſet aliquando inuiſibile, Deus ipſemet (quod abſit) eſſet periurus, qui iurat quòd Thronus (id eſt, regnum Chriſti) ſit futurus tanquam Sol, & ſicut Luna perfecta, idque in æternum: ſed Sol & Luna perfecta ſeu plena ſunt aſtra valde viſibilia & conſpicua omnibus, non autem inuiſibilia.

Pſal. 88. vel 89. v. 36.

VI. Tertiò, Eccleſia eſt ciuitas illa Dei, fundata ſupra altiſsimum montem, imò ſupra montem, qui eſt poſitus in verticæ montium: Quam in æternum firmabit DEVS, de qua dicit ipſemet Chriſtus: *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Et rurſus: *Vos eſtis lux mundi, neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Non igitur conſtituit Chriſtus ſuam Eccleſiam, vt eam occultaret, ſed vt perſpicua eſſet, & omnibus luceret. Hinc illud S. Auguſtini: *Quid amplius dicturus ſum* (inquit) *quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident? qui contra lucernam in candelabro poſitam oculos claudunt?* Et alibi dicit: *Eos qui non vident Eccleſiam, malle clauſis oculis offendere in hunc montem, quàm in eum aſcendere.*

Iſaiæ 2. v. 2. Mich. 4. v. 1. Pſal. 47. vel 48. v. 9. Dan. 2. v. 35. Matth. 5. v. 14. & 15. S. Aug. to. 9. in 1. epiſt. S. Ioan. tract. 2. S. Aug. to. 7. de vnit. Eccleſ. c. 16.

VII. Quartò ex officijs Eccleſiæ idem probatur, debet enim illa Eccleſia neceſſariò eſſe viſibilis, quæ concipit & parit infideles Chriſto per prædicationem Euangelij: Neque enim inuiſibiles, ſed viſibiles ſunt qui concionantur: prædicatio etiam ipſa viſibilis eſt, non inuiſibilis: Viſibilis eſt etiam Eccleſia illa, quæ nutrit fideles publicis concionibus, inſtructionibus, adminiſtratione Sacramentorum, & bonis exemplis: quæ Scripturam explicat & cuſtodit: quæ regit & præſcribit leges atque præcepta, cui præterea obtemperandum eſt. Viſibilis eſt & illa, ad quam deferendæ ſunt quere-

Luc. 10. v. 16. Mat. 18. v. 17.

querelæ, iuxta præceptum Chriſti. Viſibilis denique & illa eſt, à qua & in aduerſis petendum eſt auxilium: quæ Chriſtum publicè confitetur, quę pugnat cum ſerpente: & contra illum triumphat; & cætera illa omnia officia perpetuò exercet, quę ſuprà enumerauimus. *Subr. c. 1. huius Controu.*

Quinto, ſi periret aliquando viſibilis Eccleſia, eo ipſo falſus eſſet ille Symboli articulus: Credo Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem. Enimuerò Eccleſia, quæ Catholica, ſeu vniuerſalis eſt, inuiſibilis eſſe non poteſt: illa enim quæ per vniuerſum mundū dilatatur, valdè viſibilis & conſpicua ſit, neceſſe eſt: & quidē, nō in vno ſolo loco, ſed in multis. Atq; hinc eſt quòd vera Eccleſia Soli & Lunæ comparatur, quæ ſunt aſtra vniuerſalia, omnibus admodum perſpicua. Sed neque poterit eſſe communio iſta inter Sanctos qui ſunt in Eccleſia, niſi iſti ſint ſibi mutuò viſibiles & manifeſti: Cùm hæc communicatio (teſte Apoſtolo) conſiſtat in mutuo auxilio, quod vnum membrum alteri præſtat: Porrò inuiſibili & incognito auxilium præſtare nemo poterit. Viſibilis præterea & ſenſibilis planè eſt iſta communicatio officiorum: Viſibile etiam eſt illud omne quod corporeum & vniuerſale eſt multiſque in locis. Hinc illud ſancti Auguſtini: *Facile* (inquit) *tibi eſt attendere & videre Ciuitatem ſupra montem conſtitutam, de qua Dominus ait in Euangelio; quòd abſcondi non poſſet. Ipſa eſt enim Eccleſia Catholica vnde* καθολικὴ *Græcè appellatur quòd per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet, ideò ſecundum verbum Domini noſtri Ieſu Chriſti abſcondi non poteſt.* Hactenus S. Auguſtinus. VIII *Pſ. 88. v. 38. 1. ad Cor. 12. v. 21. & 26. S. Aug. to. 2. ep. 174. ad Seuerinū. Mat. 5. v. 14.*

IX. *Caluin. li. 4. Inſt. cap. 1. ſect. 7.*

Sextò viſibilis eſt illa Eccleſia, quæ in ſe continet *tam bonos quàm malos*, & tam *prædeſtinatos quā*

 repro-

Caluin. *reprobos*, vt agnoſcunt ipſi aduerſarij, qui inuiſibi-
li 4. Inſt. lem ex ſolis prædeſtinatis conſtare volunt: Ec-
c.1.ſect.7. cleſiam autem illam quæ conſtat ex bonis & ma-
lis, ſemper duraturam vſque ad mundi conſum-
Mat.13. v.38. mationem, apertè probant illa Chriſti verba: *Si-*
Caluin. l. *nite vtraque creſcere vſque ad meſſem.* Imò & ipſi ad-
4. Inſt. c. uerſarij apertè fatentur ſacras literas varijs para-
1. ſect.13. bolis hoc ipſum declarare. Habemus igitur ex
in fin. & Scripturis, etiam ipſorum aduerſariorum iudicio,
Beza c. 5. non tantùm inuiſibilem, ſed & viſibilem Eccle-
ſua Conf. ſiam, in qua videlicet ſunt reprobi permixti cum
art.7. bonis, ſemper vſque ad finem mundi duraturam
X. *Suprà c.* eſſe.
3. huius Septimò perinde eſt aſſerere Eccleſiam eſſe in-
contr. uiſibilem, & aſſerere eam prorſus interijſſe, quod
ſuprà oſtendimus eſſe abſurdiſsimum. Nam inui-
ſibilis iſta Eccleſia, quam ponunt aduerſarij, nul-
2. ad Tim li prodeſſe poteſt, cùm illa à nullo agnoſcatur, niſi
2. v.19. à ſolo Deo, iuxta illud Apoſtoli; *Cognouit Domi-*
nus qui ſunt eius: ſolos enim prædeſtinatos volunt
aduerſarij ad hanc inuiſibilem Eccleſiam pertine-
re (vt modo diximus) qui ſoli Deo noti ſunt, cę-
teris omnibus ignoti.

XI. Huc etiam ſpectat, quòd non potuerint illi eſ-
ſe ſancti, & prædeſtinati, qui fuerunt tot ſeculis
elapſis in illa inuiſibili Eccleſia, ad quam confu-
giunt aduerſarij. Nam iſti (ſi qui fortaſſe fuerunt)
neque auſi ſunt Chriſtum publicè confiteri, nec
Euangelium palam prædicare, ſed metu humano
perculſi, omnia fucatè, ſimulatè, & per hypocry-
ſim egerunt, ne proderentur, aut ab alijs agnoſce-
Luc.9. v. rentur (alioquin enim viſibiles fuiſſent, non in-
26. uiſibiles (porrò expreſsè dixit Chriſtus; *Qui me*
erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſ-
cet: cùm venerit in maieſtate ſua.

Deni-

Denique cùm tot argumentis firmiſsimis vrgentur aduerſarij, ſatis vident illi, qui prudentiores ſunt inter illos, quàm abſurda ſit iſta doctrina de inaſpectabili Eccleſia: Quare agnoſcũt iã pleriq; Eccleſiã Chriſti ſemper fuiſſe viſibilem: imò viſibilem hanc manſiſſe in Papatu, vt ipſi loquuntur. (Neque enim poſſunt illi aliam viſibilem & perpetuam Eccleſiam aſsignare quàm Romanam) ſed ne conuincantur iſtius viſibilis Eccleſiæ autoritate, aliud quærunt perfugium: dicunt enim, hanc Eccleſiam viſibilem poſſe errare in fide, atque etiam ſæpiùs erraſſe: Quem errorem paulò pòſt refutabimus, vbi ſatisfecerimus argumentis, quæ contra hoc caput obijciunt aduerſarij. XII. *Cap. 7. ſeq.*

CAPVT V.

Diluuntur argumenta contra Eccleſiam viſibilem.

PLeraque aduerſariorum argumenta non tam probant Eccleſiam viſibilem defeciſſe, quàm illam in fide erraſſe, quæ proinde refutanda erunt infrà, vbi probauerimus Eccleſiam errare non poſſe in fide. Cætera ferè eorum argumenta eadẽ ſunt cũ antiquis Donatiſtarum argumentis: nam & Donatiſtæ olim affirmabant, Eccleſiam Chriſti in toto mundo perijſſe, præterquam in ſola Africa: quibus egregiè reſpondet S. Auguſtinus varijs in locis: Nos hic breuiter probabiliora aduerſariorum argumenta, & magis iam vſitata examinabimus. I. *Infrà hac eadem controu. c. 7.* *Tom. 2. ep. 48. & to. 7. de vnit. Eccleſ. c. 13. & ad Donatiſt. poſt collat. c. 20. in fine.*

Primum argumentum deſumunt aduerſarij ex illis Eliæ Prophetæ verbis: *Derelictus ſum*

Digitized by Google

ego ſolus, *& quærunt animam meam*. Reſpondeo, leue eſt hoc argumentum, quamuis eo ſæpè vtantur aduerſarij, etiam Caluinus & Beza. Neque enim loquitur Elias de tota Eccleſia, ſed tantùm de Regno Iſrael, in quo regnabat tunc impius Rex Achab: quamquam & in illo etiam fuerint ſeptem millia virorum qui non curuauerant genua ante Baal; quique conſtituebant viſibilem Eccleſiam. Porrò, eo ipſo tempore in Iuda Regnabat Ioſaphat rex pius, ibique erat templum Dei, erant Sacerdotes, ſacrificia, & reliquus Dei cultus publicus, ſolemnis, & quotidianus. Imò ex poſteriori libro Paralipomenon ſcimus Regem Ioſaphat multum laboraſſe, vt diuinum cultum conſeruaret atque etiam augeret. Sed neque exiguus fuit illorum numerus, qui ſub ipſo publicè profitebantur veram Religionem: Nam in eodem libro Paralipomenon numerantur ampliùs vndecies centena millia robuſtorum bellatorum, præter mulieres & alios, qui minùs apti erant ad bellum. Ex quibus conſtat non inuiſibilem; ſed valdè viſibilem tunc fuiſſe Eccleſiam in Regno Ioſaphat. Elias autem conquerebatur de ſolo regno Iſrael: *Dereliquerunt* (inquit ad Deum) *pactum tuum filij Iſrael*: non ait *filij Iuda*. Neque enim negamus, quin in vno aut altero regno poſsint eſſe aliquando nulli, aut pauciſsimi Chriſtiani, dum in pleriſq; alijs locis Eccleſia eſt perſpicua: Verùm Eccleſiam Chriſti nuſquam in toto mundo apparere, planè abſurdum eſt; & contra expreſſas Scripturas.

Calu. in præfat. ſuarum Inſt. *Beza. c. 5. ſua conf. art. 9.* *3. Reg. 19. v. 18.* *2. Par. 19. v. 4. & ſeq.* *2. Par. 17. v. 14. & ſeq.* *3. Reg. 19. v. 10. & 14.*

III. Secundum argumentum deſumunt ex varijs locis Iſaiæ & Ieremiæ, in quibus Prophetæ illi conqueruntur, quòd omnes Iudæi tranſgreſsi fuerint pactum Dei. Præterea obijciunt paucitatem illo-

illorum qui aliquando fuerunt in antiqua Eccleſia ante Chriſtum, vel etiam tempore Chriſti antequam promulgaretur Euangelium: Et hic excurrunt vſque ad Noe & Adamum ipſum. Hoc eodem argumento vtebantur olim Donatiſtæ, vt teſtantur verba Petiliani Epiſcopi Donatiſtarum apud S. Auguſtinum. Reſpondet autem benè S. Auguſt. ad illas generales Prophetarum querelas, ſacram Scripturam more ſuo loqui, quæ ſic arguit malos, tanquam omnes in eo populo mali ſint: & ſic conſolatur bonos, tanquam omnes ibi tales ſint. Et hoc ipſum probat eodem loco S. Auguſt. ex alijs varijs Scripturæ locis. *Vide S. Aug. to. 7. de vnit. Eccl. c. 13. S. Aug. to. 7. in li. ad Donat. poſt Collationem ca. 20. in fin.*

IV. Debuiſſent etiam aduerſarij, qui volunt videri in Hebraicis & Græcis verſati, meminiſſe tam particulam vniuerſalem הכל apud Hebræos, quã illam quæ ei reſpondet in lingua Græca πᾶς ſeu πᾶν frequẽter in Scriptura ſumi nõ vniuerſaliter, pro omni re, ſine vlla exceptione, ſed pro eo quod paſsim fieri ſolet: Item, non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum. Id quod apertè commonſtrant ex ipſis Scripturis non tantùm lexica Hebraica ab ipſis aduerſarijs conſcripta, ſed & illorum coryphæi Caluinus & Beza: Addit etiam Beza, *particulam vniuerſalem pro indefinita poſitam obſeruauimus ſingulis penè paginis.* Veriſsimum itaque eſt quod ait ſanctus Auguſtinus particulã, (*omnes*) in huiuſmodi locis ſumi pro multis, ſeu pro eo quod paſsim erat vulgare, vt loquuntur Caluinus & Beza. Nam alioqui ſatis conſtat tempore Iſaiæ Prophetæ fuiſſe in Iudæa pios Reges Oziam & Ezechiam: Item Prophetas Ozeam, Amos, Michæam. Porrò tempore Ieremiæ fuit Ioſias Rex pius, & Prophetæ Ezechiel, Daniel, Sophonias: non poſſunt igitur illa, quæ Iſaias & *De voce* הכל *vide Galatin. li. 3. c. 4. Ioan. Forſterus Lutheranus & Ioan. Mercerus Caluiniſta in radice.* הכל. *Calu. in c. 2. ad Philip. v. 21. & Beza ibid. & in 1. ad Timot. 2. v. 2. edit.*

an. 1565. Sed in edit. anni 1598 v.4. 1. v. 2. Ieremias dicunt, de omnibus in vniuerſum intelligi.

ibid. Iſaiæ 1. v. 1. Ozeæ 1. v. 1. Amos 1. v. 1. Mich. 1. v. 1. Ierem. Ezech. 1. v. 2. Dan. 1. v. 2. Sophon. 1. v. 1.

V. Alia loca, quæ citant aduerſarij, probant paucos fuiſſe aliquando in Eccleſia, ſed non probant illam fuiſſe inuiſibilem. Imò (vt S. Auguſtinus benè obſeruauit contra Donatiſtas diſputans) quando maximè vexatur Eccleſia perſecutionibus impiorum, & ferè opprimi videtur, tunc in ſuis firmiſsimis maximè eminet. Magis enim in vno Noe vel Abrahamo eminebat fides & obedientia erga Deum, quàm in alijs decem millibus.

S. Aug. to. 2. epiſt. 48. ad Vincent.

VI. Denique noſtra diſputatio non eſt propriè de antiqua Eccleſia, quæ fuit ante Chriſtum, ſed de illa quæ ſequuta eſt promulgationem Euangelij vſque ad noſtra tempora, de qua dixit Chriſtus: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Nam etſi Eccleſia ſemper fuit viſibilis à principio mundi vſque ad aduentum Chriſti; vt ex Scripturis per ſingulas ætates oſtenderunt olim Euſebius & Paulus Oroſius: Noſtra enim ætate Genebrardus, Sanderus, & breuiſsimè Coccius: Tamen ante Chriſti aduentum in exiguum & anguſtum locum concluſa fuit tota ferè Dei Eccleſia, iuxta illa verba Prophetæ Dauidis: *Notus in Iudæa Deus.* Et rurſus: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* Inter Gentes verò rari admodum erant qui Deum agnoſcerent, & rectè colerent: Quare nonnunquam redigebatur vera Eccleſia ad paucos, viſibiles tamen, atque admodum eminentes, vt ex S. Auguſtino diximus.

Matt. 16. v. 18.

Euſeb. in Chronic. Oroſ. in ſua Hiſt. Genebr. in ſua Chronograp. Sanderus de viſib. Monarch. lib. 7. in princ.

At longè alia eſt ratio Eccleſiæ Chriſti poſt promul-

mulgatum Euangelium: iam enim aduenit bene- *Conc.to.1.*
dictum illud Abrahæ ſemen, in quo benedicen- *libr. 8.*
dæ erant omnes Gentes terræ: Iam impletæ ſunt *art 2.*
illæ prophetiæ de hæreditate & regno Chriſti: *Pſal. 75. v.2. &*
Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, *Pſalm.*
& poſſeſsionem tuam terminos terræ. Item: *Domina-* *147. v.*
bitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad ter- *vlt. S.*
minos orbis terrarum. Et rurſus: *Adorabunt eum om-* *Aug. to.*
nes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Præterea: *2. ep. 48. ad Vin-*
Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis om- *cent.*
nium Gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare VII.
Dei noſtri. Quem locum Iſaiæ cùm inter alios con- *Gen. 22.*
tra Donatiſtas adduxiſſet S. Auguſtinus, admirãs *v. 18.*
illorum cæcitatem, qui Eccleſiam inuiſibilem, aut *Pſ 2. v. 8.*
in vno tantùm loco latentem, affirmabant: In *Pſa. 71. v. 8.*
hæc verba veriſsima, & ſe digna, erumpit: *Quis* *Ibid. v. 11.*
tam ſurdus (inquit) *quis tam demens, quis tam men-* *Iſaia 52.*
te cæcus, vt his tam euidentibus teſtimonijs obloquatur, *v. 10.*
niſi qui neſcit quid loquatur? Et ſanè longè magis di- *S. Aug.*
latatam fuiſſe Eccleſiam poſt promulgationem *tom 7. de*
Euangelij etiam ipſa Apoſtolorum ætate, quàm *vnitate*
vnquam fuerat tempore legis ſatis demonſtrant *Eccl. c 7.*
illa Apoſtoli verba: *Nunquid non audierunt? Et qui-* *Ad Rom.*
dem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines *10. v. 18.*
orbis terræ verba eorum. Et rurſus Romanam Eccle- *Ad Rom. 1. v. 8.*
ſiam alloquens: *Gratias* (inquit) *ago Deo meo per* *Ad Rom*
Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quòd fides veſtra an- *1. v. 8.*
nuntiatur in vniuerſo mundo.

Porrò à tempore Apoſtolorum, vſque ad hanc VIII.
noſtram ætatem, Eccleſiam Chriſti fuiſſe non tã-
tùm viſibilem, ſed etiam per diuerſa orbis terra-
rum regna dilatatam, agnitam, & ſermone omni-
um celebratam, teſtantur Hiſtoriographi tam Ec-
cleſiaſtici, quàm Profani; quemadmodum nuper-

rimè demonſtrauit in ſuis Annalibus Cæſar Baronius: Idque non tantùm per ſingulas ætates, ſed & per ſingulos annos, vt proinde illi qui huic rei non aſſentiuntur, non tam infideles cenſendi ſint, quàm dementes: quemadmodum ad veritatem appoſitè loquitur S. Auguſt.

S. Aug. to. 7. de vnit. Eccleſ. c. 7.

CAPVT VI.

Refutantur alia Aduerſariorum argumenta contra viſibilem Eccleſiam.

1. TErtium argumentum aduerſariorum, quo impugnant Eccleſiam viſibilem, eſt huiuſmodi. Scriptura comparat Eccleſiam Lunę, atqui Luna ſæpè nõ apparet, vt in nouilunio, & in Eclipſi. Reſpondeo, non eſt in omnibus quærenda ſimilitudo inter Eccleſiam & Lunam: alioquin Eccleſia Chriſti nec videret, nec intelligeret, nec crederet, ſed eſſet res prorſus inanimata, cuiuſmodi eſt Luna. Verùm in ea re tantummodo quærenda eſt ſimilitudo inter Eccleſiam & Lunam, in qua Scriptura comparat Eccleſiam Lunæ. Porrò Scriptura non comparat Eccleſiam Lunæ in mutabilitate, ſed in pulchritudine: *Pulchra* (inquit Salomon) *vt Luna*. In mutabilitate autem Scriptura comparat ſtultum Lunæ, non Eccleſiam: *ſtultus* (inquit Sapiens) *ſicut Luna mutatur*. Deinde, Eccleſia Chriſti non cuiuis Lunæ aſsimilatur, ſed Lunæ ſtabili, ſeu perfectæ & plenæ: Imò Lunæ quæ non minuitur, nec deficit. Hinc illa Iſaię Prophetæ verba, quæ de Eccleſia intelligenda eſſe agnoſcit ipſe Caluinus: *Non occidet vltra ſol tuus, & Luna tua non minuetur*: ſeu (vt vertit Caluinus) *nõ occul-*

Cant. 6. v. 9. *Eccl. 17. v. 11.* *Iſa 60. v. 20.* *Calu. in eadem verba.*

occultabitur. Denique ſanctus Ioannes dicit Lunam eſſe ſub pedibus Eccleſiæ, vt intelligamus Eccleſiam Chriſti per virtutẽ ſolis (id eſt Chriſti) quo eſt amicta, ab omni mutabilitate in ijs, quæ ad fidem pertinent, liberam eſſe.

Quartú argumentum. Quæ fide credimus inuiſibilia ſunt. Atqui fide credimus Eccleſiã Catholicã, vt habet ſymbolũ Apoſt. Ergo Eccleſia Catholica eſt inuiſibilis, & non viſibilis. Reſpondeo, infirmum eſt hoc argumentum, quamuis illo vtatur etiam Caluinus. Nam ſi firmum eſſet, probaret Scripturam quoque eſſe inuiſibilem: quia fide credimus etiam Scripturam. Imò idem argumentum probaret Eccleſiam aduerſariorum adhuc eſſe inuiſibilem: illi enim adhuc credunt Eccleſiam ſuam, & tamen fatentur ſuam Eccleſiam iam eſſe viſibilem. Et ſanè ſi illa adhúc inuiſibilis manſiſſet, non tot turbas in Chriſtiana Rep. excitaſſet. Verùm enimuerò quemadmodum in ſacris litteris aliud eſt quod videmus, & aliud quod credimus: Videmus litteras & characteres, quos vident etiam infideles: ſed credimus, Scripturam in omnibus eſſe veriſsimam, quod illi non credunt. Ita videmus quidem Eccleſiam Chriſti eſſe, quod vident etiam infideles: Nam Turcæ & Iudæi, ſciunt eſſe Papam, Epiſcopos, Principes, & populos Chriſtianos: ſed nos credimus iſtam Eccleſiam, quam videmus, eſſe ſanctam, dirigi & gubernari à Spiritu ſancto, non errare in fidei dogmatibus: quod non credunt infideles. II.

Caluin. li. 4. Inſt. c. 1. ſect. 2. in prin.

Quintum argumentum. Nemo eſt in Eccleſia niſi per fidem, ſed fides eſt inuiſibilis, ergo & Eccleſia eſt inuiſibilis. Reſpondeo infirmam eſſe conſequutionem, alioqui liceret & hoc modo ar- III.

 gumen-

gumentari: Nemo eſt homo niſi per animam rationalem: ſed anima rationalis eſt inuiſibilis, ergo homo eſt inuiſibilis. Item, nulla Scriptura eſt ſacra niſi per diuinam authoritatem, ſed iſta authoritas eſt viſibilis, ergo Scriptura eſt inuiſibilis. Neque enim requiritur ad rem viſibilem, vt præcipua eius ratio, vel pars ſit viſibilis, ſed ſatis eſt quòd aliqua eius pars viſibilis ſit, vt videre eſt in omnibus ſubſtantijs viſibilibus, earum enim partes præcipuæ, nimirum materiæ primæ, & formæ, ſunt inuiſibiles.

IV. Secundò reſpondeo: Illa fides per quam homo efficitur membrum viſibilis Eccleſiæ, non eſt ſola interior fides, quæ non videtur, ſed illa quæ videtur, & declaratur ſignis exterioribus: verbi cauſa, confeſsione fidei, ſuſceptione Sacramentorum, & alijs huiuſmodi ſignis exterioribus. Quod adeò verum eſt, vt etiam ſola iſta exterior profeſsio fidei, ſine interiori fide ſufficiat, vt homo ſit membrum viſibilis Eccleſiæ: quemadmodum benè probat Bellarminus: Cùm alioqui nemo eſſet certus de ſuo Prælato aut Paſtore, quia nemo videt fidem aut mentem alterius.

Bellarm. lib. 3. de mil. Eccl. c. 10.

V. Hinc quoque eſt, quòd non tantùm prædeſtinati, aut iuſtificati ſint membra Eccleſiæ viſibilis: ſed etiam mali & hypocritæ, qui fidem profitentur: Iuxta illa Chriſti verba: ***Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.*** Item: ***Si quis in me non manſerit, mittetur foras.*** Quibus verbis oſtendit Chriſtus, & illos qui non manent in eo, id eſt, qui non ſunt prædeſtinati: & illos qui non ferunt fructum, id eſt, malos Chriſtianos, eſſe in ipſo, hoc eſt, in corpore eius viſibili, quod eſt Eccleſia. Id quod etiam fatentur iam omnes ferè aduerſarij, vt ſuprà diximus: & latiùs probat Bellarminus.

Ioan. 15. v. 2.
Ioan. 15. v. 6.
Suprà c. 4. huius Controu.
Bellarm. lib. 3 cit. c. 7. & 9.

Sextum

VI. *Apoc. 12. v. 6 & 14.*

Sextum Argumentum deſumunt aduerſarij ex Apocalypſi, in qua dicitur, quòd mulier illa amicta ſole, quæ ſignificat veram Eccleſiam, fugerit in ſolitudinem: ibique manſerit 1260. diebus, hoc eſt, vt aduerſarij interpretantur, mille ducentis & ſexaginta annis. Ex quo inferunt Eccleſiam manſiſſe inuiſibilem, quaſi in deſerto, mille ducentis & ſexaginta annis elapſis. Reſpondeo, hoc argumentum multis de cauſis vitioſum eſſe. Inprimis abſurdum valdè eſt, exiſtimare Eccleſiam Chriſti latuiſſe & fuiſſe inuiſibilem his mille ducentis & ſexaginta annis elapſis. Nam inde conſequeretur, Eccleſiam Chriſti fuiſſe inuiſibilem eo tempore, quo maximè floruit, & dilatata fuit per totum mundum: Verbi gratia, temporibus Sanctorum Auguſtini, Ambroſij, Hilarij, Athanaſij, Hieronymi, Chryſoſtomi, Cyrilli, &c. Imò tempore omnium antiquorum Conciliorum, quæ recipiunt ipſi aduerſarij in ſua fidei Confeſſione. Omnes enim iſti Patres, omniaq; illa antiquà Concilia, fuerũt infra iſtos mille ducẽtos ſexaginta annos, quos numerãt aduerſarij à Syluestro Papa vſq; ad Lutherũ: quare nõ de annis, ſed iuxtà litterã de diebus, intelligẽdus eſt iſte locus. *Confeſſ. Rupell. Art. 6.*

VII *Primaſius in cap. 12. Apoc. Num. 14. v. 34.*

Deinde non eſt certum per ſolitudinem hîc intelligi locum aliquem deſertum, & ab hominum ſocietate ſecretum: Primaſius enim S. Auguſtini diſcipulus, per ſolitudinem dicit ſignificari totum mundum, quem etiam ſignificauit ſolitudo illa, per quam tranſierunt filij Iſraël, antequam venirent ad terram promiſsionis: Quemadmodum & terra illa promiſsionis, ſignificabatur vita æterna. Alij volunt, ſolitudinem hanc ſignificare receſſum à vitijs, & peccatis, atque à mundi huius obiectationibus: Iuxta illud Prophetæ Ozeæ: *Ducã*

eam

Oſeæ 2. v. 14. *eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*: Et illud Da-
Pſal. 54. v. 8. uidis: *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.*

VIII. Denique etiamſi concedamus, ſolitudinem hanc eſſe locum aliquem deſertum; attamen hinc colligi non poteſt, quòd tota Eccleſia Chriſti fuerit aut aliquando futura ſit inuiſibilis: neque enim ſignificat iſta mulier, quæ fugit ad ſolitudinem, totam Eccleſiam: ſed inſignem dumtaxat aliquam Eccleſiam, quam maximè perſequitur Antichriſtus, quòd ea fortiſsimè ſeſe opponet eius impietati. Nam in fine eiuſdem viſionis apertè affirmat S. Ioannes; Draconem illum poſt liberationem illius mulieris initurum prælium cum
Apoc. 12. v. 17. reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti. Erunt igitur præter illam mulierem, quæ fugit in ſolitudinem, alij etiam extra ſolitudinem, qui publicè profitebuntur veram Chriſti fidem, contra quos propterea pugnabit ille Draco.

IX. Cæterùm vt hanc controuerſiam de aſpectabili Eccleſia concludamus: Cùm Chriſtus Dominus noſter in hunc mundum venerit, vt viam æternæ ſalutis non vni tantùm genti aut ætati, ſed toti planè mundo, omnibuſque generationibus futuris, patefaceret, valdè abſonum eſt exiſtimare, hanc vnicam æternæ ſalutis viam, quæ eſt vera Chriſti Eccleſia, omnibus nationibus incognitam fuiſſe: idque tot tranſactis ſæculis.

CAPVT VII.

Veram Chriſti Eccleſiam viſibilem non poſſe errare in fide.

I. NIhil abſurdius dici poteſt, quàm veram Eccleſiam Chriſti in fide errare: Et tamen nihil eſt

hil eſt, quod pertinacius defendant Sectarij huius temporis ferè omnes. Nec immeritò, ſatis enim animaduertunt, negari non poſſe, quin apud ſolos Catholicos his multis annis elapſis manſerit vera Chriſti Eccleſia viſibilis, vt infrà etiam clariùs oſtendemus: quòd ſi etiam concederent, Eccleſiam hanc viſibilem non poſſe errare, ipſimet ſe propria ſua confeſsione iugularent. Quare vt alicunde elabantur, affirmant, veram Eccleſiam poſſe in fide errare, & ſæpiùs etiam erraſſe. Quo nihil eſt abſurdius, præſertim cùm affirment, eam erraſſe, non in rebus parui momenti, ſed in ſummis & præcipuis fidei capitibus, quæ ad ſalutem æternam planè neceſſaria ſunt: imò in apertam quoque idololatriam incidiſſe: Præterea non tantum à fide defeciſſe erroreſque complures contrà fidem publicè docuiſſe; ſed etiam omnes ad Idololatriam minis, pœniſq; coëgiſſe: Denique non vno tantùm anno hoc feciſſe, ſed ad mille annos, aut certè ad nongentos. Quæ omnia quàm ſint abſurda, nunc demonſtrandum erit.

II. Verùm, vt ea quæ deinceps de hac re dicturi ſumus, meliùs intelligantur, obſeruandum erit, quòd quando aſſerimus, Eccleſiam in fide errare non poſſe, per fidem intelligamus, non illam duntaxat inuiſibilem fidem, quæ eſt in mente, ſed etiam viſibilem: hoc eſt, doctrinam publicam totius Eccleſiæ, quæ omnibus proponitur ad credendum. Quare cùm aſſerimus, Eccleſiam non poſſe errare in fide, aſſerimus etiam, doctrinam de fidei dogmatibus, quam Eccleſia proponit, vt indubitatum Dei Verbum, non poſſe eſſe falſam, ſed eſſe ipſiſsimum Dei Verbum. Quod his argumentis conuincimus.

III. *Suprà hac ipſa contr. c. 1.* Primum argumentum ſumitur ex omnibus illis proprietatibus & officijs veræ Eccleſiæ, quæ ſuprà attulimus ex Scripturis. Nã ſublata ſemel vera fide, neceſſe eſt, vt omnes illæ proprietates Eccleſiæ intereant, omniaque eius officia intermittantur. Neque enim poteſt Eccleſia eſſe ſponſa Chriſti, vel corpus Chriſti, vel regnum, vel hæreditas, vel templum Chriſti, ſine fide: Sed neque poteſt Eccleſia ſine fide, & vera fidei doctrina concipere, aut parere, aut nutrire, aut regere, aut defendere fideles Chriſti oues; Atque in hunc modum à tot ſæculis amiſiſſet Eccleſia Chriſti omnes ſuas proprietates: omniaque ſua propria manu officia intermiſiſſet, contra tot & tam apertas ſacrarum litterarum promiſsiones, quas ſuprà attulimus. *Suprà eodem c. 1. huius contro.*

IV. Secundum argumentum ſumitur ex apertis locis Scripturæ, quæ docent, Eccleſiam in fide errare nõ poſſe. Nam inprimis Chriſtus ipſe affirmat, quòd portæ inferi non præualebunt aduerſus Eccleſiam: At ſi Eccleſia in fide erraſſet, portæ inferi tot elapſis ſæculis præualuiſſent contra illam. *Mat. 16. v. 18.*

V. Præterea ita loquitur Dominus per Prophetam Iſaiam de fœdere noui teſtamenti: *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & ore ſeminis tui, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, amodo & vſque in ſempiternum.* Atqui ſecundùm aduerſarios, verba quæ poſuit Deus in ore Eccleſię, receſsiſsēt de ore eius iã à tot ſęculis. *Iſaiæ 59. v. vltim.*

VI. Denique Apoſtolus affirmat, Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis. Sed ſi deficeret Eccleſia à fide, & publicè doceret contra Verbum Dei, eſſet potiùs colũna falſitatis, quàm veritatis. Reſpondent quidam ex aduerſarijs ad hunc *1. ad Tim. 3. v. 15.*

Digitized by Google

hunc locum, Eccleſiam dici columnam veritatis, quia non errat, quando ſequitur Verbum Dei: illam nihilominus errare, quando non ſequitur Verbum Dei. Sed friuola eſt iſta Reſponſio. Nam iuxta hanc interpretationem, omnis Eccleſia hæreticorũ, Iudæorum, Turcarum, imò & Dæmonum eſſet columna & firmamentum veritatis: nulla enim ex his errat, quãdo ſequitur Verbum Dei: Verùm columna eſt illa, quæ neceſſariò & ſemper adhæret & ſuſtẽtat illud, cuius eſſet colũna & firmamentum: quare Eccleſia nõ eſt columna & firmamentum veritatis, niſi ſemper adhæreret veritati, & ſuſtentaret veritatem. Rectiùs igitur Caluinus, ipſa rei euidentia conuictus: *Si vera* (inquit) *Eccleſia columna eſt ac firmamentum veritatis: certum eſt non eſſe Eccleſiam, vbi regnum occupauit mendacium, & falſitas. Ita Caluinus.* *Caluin. lib. 4. Inſt. c. 2. ſect. 1. in fin.*

VII. Tertium argumentum deſumitur ex varijs abſurdis, quæ conſequuntur doctrinam aduerſariorum. Primũ abſurdum; Falſum eſſet Symbolum Apoſtolorum, in quo credimus, Sanctam Eccleſiam Catholicam: Nam ſancta eſſe non poteſt illa, quæ caret fide, quæ docet impia, quæ cogit homines ad Idololatriam.

VIII. Secundum abſurdum: Ipſe Chriſtus & Spiritus Sanctus errarent & impia docerent: Nam doctrina Eccleſiæ, eſt non tam Eccleſię, quàm Chriſti & Spiritus ſãcti: *Qui vos audit*, inquit Chriſtus, *me audit*. Et alibi: *Paracletus Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Et Apoſtoli: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Denique & Deus ipſe apud Prophetam, Eccleſiam alloquens, affirmat, Spiritum ſuum eſſe in Eccleſia, & ſe poſuiſſe verba ſua in ore Eccleſiæ, quæ ex ore Eccleſiæ nunquam recedent amodò & vſq; in *Luc. 10. v. 16.* *Ioan. 14. v. 26.* *Act. 15. v. 28.* *Iſaia 59. v. vlt.*

ſempi-

ſempiternum. Quare ſi Eccleſia erraret in doctrina fidei, erraret Chriſtus, erraret Spiritus ſanctus, erraret & ipſe Deus.

IX. Tertium abſurdum: Aedificium conſiſteret ſine ſuo fundamento: Nam fides Chriſti eſt fundamentum Eccleſiæ: *in fide* (inquit Apoſtolus) *fundati*. Et alibi docet, fundatam eſſe Eccleſiam ſuper doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum. Porrò ſublato fundamento, neceſſe eſt vt ædificium corruat. Hoc abſurdum adeò eſt manifeſtum, vt illud coëgerit Caluinum fateri, hoc ipſum, quod docemus, ex S. Pauli verbis liquidò conuinci. *Si fundamentum* (inquit) *Eccleſiæ eſt Prophetarum & Apoſtolorum doctrina, illam doctrinam tolle: quomodo ampliùs ædificium conſtabit?* Hæc Caluinus.

Ad Coloſſ. 1. v. 23. *Ad Eph. 2. v. 20.* *Caluin. lib. 4. Inſt. c. 2. ſect. 1.*

X. Quartum abſurdum; vera Eccleſia ſubſiſteret ſine ſua propria & eſſentiali forma: non aliter, quàm ſi quis diceret, verum hominem conſiſtere ſine ſua anima. Nam vera fides & vera fidei prædicatio, ſunt veluti eſſentialis forma Eccleſiæ. Hoc abſurdum etiam agnoſcit Caluinus, cùm ſcribit, ſublata fide Eccleſiæ interitum neceſſariò conſequi, perinde atque de vita hominis actum eſt, iugulo transfixo, vel præcordijs lethaliter ſauciatis.

Caluin. lib. 4. Inſt. c. 2. ſect. 1.

XI. Quartum argumentum deſumitur ex aperta contradictione & repugnantia, quæ eſt in doctrina contraria. Nam illi qui contendunt veram Chriſti Eccleſiam errare in fide, re vera neſciunt quid dicunt. Illa enim ſola eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ Chriſti nomen, & ſinceram fidem retinet: illa autem falſa eſt Chriſti Eccleſia, quæ nomen dumtaxat Chriſti profitetur, ſed in fide Chriſti errat. Quare dicere veram Eccleſiã Chriſti errare in fide, eſt dicere, veram Eccleſiam, non

eſſe

Digitized by Google

eſſe veram; ſed falſam: quæ planè ſunt pugnantia.

Quintum argumentum ſumitur ex conceſsis ab ipſis aduerſarijs; nam communis doctrina aduerſariorum eſt (vt infrà oſtendemus) notas ſeu ſigna veræ Eccleſiæ, eſſe ſinceram prædicationem Verbi Dei, & legitimam adminiſtrationem Sacramentorum, ſine quibus docent veram Eccleſiam conſiſtere non poſſe. Neceſſe eſt ergo vt admittant, veram Eccleſiam in fide & fidei prædicatione non errare: neque enim poteſt Eccleſia illa ſincerè prædicare Verbum Dei, quæ in fide & fidei prædicatione turpiſsimè errat. Caluinus etiam ex varijs Scripturæ locis probat, illam eſſe falſam Eccleſiam, & non veram, quæ errat in præcipuis fidei dogmatibus, agnoſcitque veram Eccleſiam in illis non errare, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria. Beza ſimiliter ſcribit, veram Eccleſiam non errare in præcipuis fidei dogmatibus, quamuis dicat, illam in minoribus errare poſſe, quam diſtinctionem dogmatum deſumpſit ex Caluino. Non poteſt igitur Eccleſia errare ſaltem in præcipuis fidei dogmatibus, vel aduerſariorum iudicio.

XII. Infrà c. 18. huius Contr.

Caluin. lib. 4. Inſt. c. 2. ſect. 2. & c. 8 ſect. 12 & 13. Beza in lib. de Eccleſ. Cat. not. Volum. 3. tractat. Theol. Cal l. 4. Inſt. c. 1. ſect. 12.

Argumenta congerunt aduerſarij quamplurima, ſed quæ facillimè ſoluuntur: nam cùm non ignorent ſua argumenta eſſe infirma, conantur eorum multitudine veritatem opprimere, aut ſaltem obſcurare. Nonnulli ex illis, cùm apertè vident impoſsibile eſſe, veram Eccleſiam ſine fide conſiſtere, aſtutè fingunt controuerſiam non eſſe inter nos de hac re, ſed de alia longè diuerſa: De qua videlicet nemo reuerà dubitat. Ita Caluinus nobiſcum agit: Nam cùm faſſus fuiſſet, illam falſam eſſe Eccleſiã, & non veram, quæ errat in præcipuis fidei dogmatibus: & conſequenter,

XIII. Caluin. lib 4. Inſt. c. 2. ſect. 1.

veram Eccleſiam in his errare nō poſſe; vt iam ex Scriptis eius diximus: Tandem fingit controuerſiam non eſſe in hac re, ſed in in eo, quòd nos aſſeramus, Eccleſiam ſine Verbo Dei tutò incedere: proinde, ſi quid extra, vel præter Dei Verbum ſtatuerit, id habendum eſſe non alio loco, quàm certū Dei Oraculum: ſuos verò aſſerere, ideò Eccleſiam non poſſe errare, quia patitur ſe duci per Verbum Dei, & quia nihil docet credendum niſi ex Verbo Dei. Sed hæc mera eſt calumnia: nam nemo eſt Catholicus qui non agnoſcat quòd Eccleſia patiatur ſe duci per Verbum Dei: cùm ſolum Dei Verbum ſit obiectum fidei, vt ſuprà diximus. Quare vera Eccleſia nihil aliud proponit fide Catholica credendum, niſi ſincerum & veriſſimum Dei Verbum. Sed in hoc tantùm eſt inter nos & aduerſarios cōtrouerſia, quòd illi Verbum ſcriptum dumtaxat agnoſcant eſſe verū Dei Verbum: nos verò non tantùm ſcriptum, ſed etiam prædicatum & traditum à Chriſto & Apoſtolis. De qua re ſatis diſſeruimus præcedenti diſputatione.

Caluin. lib. 4. Inſt. c. 8. ſect 13. & 15.

Suprà Contr. 1. cap. 2.

Supra Cont. 1. c. 25. & ſequent.

XIV. Alij friuolis diſtinctionibus conantur ſuum errorem contegere, & rebus clariſsimis tenebras obducere: Cùm tamen in rei veritate nihil aliud dicere poſsint, quàm quod nos hactenus docuimus. Excogitant enim duplicē Eccleſiam, vnam puram, aliam impuram, in qua collocant etiam ipſos Hæreticos. Hanc impuram dicunt in fide errare: non illam puram. Sed nos vnam dumtaxat agnoſcimus Sanctam & Catholicam Eccleſiam Chriſti, cum Symbolo Apoſtolorum & Nicæno: & illis libenter relinquimus ſuam impuram Eccleſiam, in qua ſunt Hæretici: Nulli enim dubium eſt, quin talis Eccleſia erret. Verùm iſta eſt falſa,

Philip. de Mornay tract. de Eccl. c. 2.

non

non vera Chriſti Eccleſia. Controuerſia autem præſens eſt de vera & pura Chriſti Eccleſia, non de neſcio qua falſa & impura.

Alij diſtinguunt Eccleſiam in Eccleſiam viſibilem & inuiſibilem: & inuiſibilẽ quidem dicunt errare non poſſe, ſed viſibilem poſſe. Verùm iam ſuprà oſtendimus veram Eccleſiam Chriſti neceſſariò eſſe viſibilem; quare diſtinctio hęc iam ſatis eſt refutata. Et ſanè parùm intereſt ſiue erret, ſiue non erret inuiſibilis illa Eccleſia: cùm illa à nemine videatur, aut agnoſcatur: & ex conſequenti, nulli prodeſſe poſsit. XV. *Suprà hac ipſa Contr. c. 4.*

Eſt & nonnemo ex recentioribus, qui diſtinguit Eccleſiam, in Eccleſiam Beatorum, quæ in cœlis eſt, & in illam, quæ eſt in terris militans: Et Eccleſiam Beatorum dicit errare non poſſe in fide fideiue doctrina: militantem poſſe. Sed ridicula eſt iſta diſtinctio. Primùm, quia in Beatis non eſt fides, ſed clara Dei viſio (eſt enim fides rerum nõ apparentiũ, Apoſtolo teſte) quare ſi in terris aliquãdo perit fides, perit procul dubio & in cœlis. Sed neq; expectãda eſt doctrina fidei è cęlis, Anabaptiſtarum more, qui quærunt reuelationes è cœlo: Verùm ea ab Eccleſia in terris quærenda eſt. Deinde proprietates & officia Eccleſiæ Chriſti, quæ ſuprà ex Scripturis ſacris attulimus, non illi Beatæ, ſed huic militãti cõuenire manifeſtum eſt. Neque enim deſponſatur illa Beatorum Eccleſia Chriſto per fidem, neque ſunt Beati illi Spiritus, qui prædicant nobis Verbum Dei, qui adminiſtrant nobis Sacramenta; qui cætera Eccleſiæ officia exequuntur: ſed homines qui in terris ſunt. Quare fruſtra confugit iſte ad cœleſtem Eccleſiam, de qua minimè diſputatur. XVI. *Iunius in Bell. Cont. 1. lib. 3. c. 10. nota. 8.* *Ad Heb. 11. v. 1.* *Suprà c. 1 huius Contr.*

Porrò infirm admodum eſt etiam ratio illa, XVII.

Iunius eadem nota 8. qua exiſtimat ſe conuincere Eccleſiam, quæ in terris eſt, errare poſſe: *Hæc Eccleſia* (inquit ille) *in terris militans imperfecta eſt: ac proinde errare poteſt etiam in doctrina fidei explicanda, alioqui ab imperfecta cauſa effectus perfectus procederet.* Ita ille. Quaſi verò nulla poſsit eſſe in Eccleſia imperfectio præter infidelitatem ſeu errorem in fidei doctrina explicanda: aut quaſi tota Eccleſiæ perfectio in ſola fide fideiq́ue doctrina conſiſteret, & non etiam in Charitate cæteriſq́ue Dei donis, vt fusè declarat Apoſtolus; aut denique quaſi iſta Eccleſiæ perfectio, quæ ſita eſt in recta fide, rectaque fidei explicatione, à ſola Eccleſia militante procederet, & non potiùs à perfectiſsima cauſa, nimirum ab ipſo Spiritu ſancto, qui Eccleſiam perpetuò gubernat, eiuſq́ue imperfectionem atque infirmitatem adiuuat, vt loquitur Apoſtolus.

1. Ad Cor. 13. per totū cap.

Ad Rom. 8. v 26.

XVIII. Poſtremò cùm non poſſent aduerſarij vllis Scripturis aut rationibus probare Eccleſiam erraſſe, conantur id perſuadere varijs exemplis. Et hîc diſcurrunt ab Adamo primo homine vſque ad noſtra tempora. Nam in primis contendunt, Adamum ipſum fidem perdidiſſe, & ſimiliter vxorem ipſius Euam, quando comederunt ambo ex fructu vetito: & conſequenter totam Eccleſiam tunc in fide erraſſe. Deinde diſcurrunt per totum vetus teſtamentum vſque ad Chriſtum: & congerunt omnia loca, quæ dicunt eos à Deo receſsiſſe, qui vixerunt in lege naturali aut Moſaica. Denique ex Hiſtoriographis, qui poſt Chriſtum ſcripſerunt, accumulant omnia quæ huc ſpectare videntur.

Ita Phil. Mornay. tract. de Eccl. c. 6.

Gen. 3. v. 6.

XIX. Sed fruſtrà inſumunt tantum laborem; Nam ſi ſolida eſſent huiuſmodi argumenta, probarent etiam veram Eccleſiam omninò defeciſſe, neque

vſpiam

vſpiam permanſiſſe, vt cõtendebant olim Donatiſtæ, id quod ipſimet aduerſarij agnoſcũt abſurdum eſſe, & contra Scripturas, vt ſuprà oſtendimus. Si enim amiſerunt omnes fidem, iam non poterat ampliùs conſiſtere vera Eccleſia, quæ ſine fide exiſtere non poteſt: Atque in hunc modum, prorſus perijſſet tota vera Eccleſia. *Suprà hac ipſa Cont. c. 3. & 4.*

XX. Porrò, quod de Adamo & de Eua afferunt, quos dicunt peccando fidem amiſiſſe, magis eſt etiam infirmum. Nam vt omittamus, eo argumento non tam probari, illos fidem amiſiſſe, quàm nullam poſt illorũ peccatum remanſiſſe in mundo aut fidem, aut Eccleſiam: Certè illud conſtat, hoc ad præſentem diſputationem nihil ſpectare. Nos enim hîc neque de Angelorum Eccleſia diſputamus, neque de ea quæ fuit in Paradiſo ante lapſum primorum parentum: ſed de illa dũtaxat, quæ ſubſequuta eſt promiſsionem illam humano generi poſt peccatum Adami factam: in qua Deus perpetuam inimicitiam futuram prædixit inter mulierem & ſerpentem, hoc eſt, inter Eccleſiam Chriſti, & Satanam: Et in qua etiam Deus prædixit Eccleſiam de Satana reportaturam ſemper victoriam: vt ſuprà fusè, lateque explicuimus: Hanc Dei promiſsionem neceſſe eſt, vt aduerſarij oſtendant caſſam eſſe, ſi quid velint contra nos concludere. *Gen. 3. v 15.* *Suprà Contr. 1. c. 16. 17. & 18.*

XXI. Quæ verò afferunt ex veteri Teſtamento exempla, ſunt ipſiſsima argumenta Donatiſtarum, & aliorum antiquorum Hæreticorum, qui his argumentis conabantur probare, veram Eccleſiam prorſus interijſſe: quibus etiam ſatis reſponſum eſt ex S. Auguſtino. *Suprà c. 3. in ſol. 2. Aug.*

XXII. Illa denique quæ excerpſerunt ex authoribus qui ſcripſerunt poſt Chriſtum, vel deprauata ſunt

ab aduerſarijs, vel deſumpta ex infidis ſcriptoribus, aut certè fide non dignis: vt per ſingulas ætates apertiſsimè oſtendit Cæſar Baronius in ſuis Eccleſiaſticis annalibus, & ante illum breuiùs Bellarminus: Ad quos remittimus lectorem: quòd ea non pertineant ad præſentẽ quæſtionem, ſed ad illam potiùs, quæ eſt de perpetua duratione Eccleſiæ: quam iam omnes ferè agnoſcunt, & quam ſuprà ſatis comprobauimus. Quare leuiora ſunt hæc aduerſariorum argumenta, quàm vt longiori refutatione indigeant.

Baron. in 12. tom. Annal. Bellar. l. 3. de Eccl. militãte c. 16. & 17 Suprà c. 3. & 4. huius Contr.

CAPVT VIII.

Nullam eſſe legitimam vocationem Concionatorum, aut Paſtorum Eccleſiæ, niſi per veram Eccleſiam viſibilem.

I. VNVM ex officijs veræ Eccleſiæ eſt, conſtituere legitimos prædicatores Euangelij, & veros ſacramentorũ adminiſtros. Sed quia de iſto officio non parua eſt hoc tempore controuerſia, ea nunc paucis expedienda erit. Verùm, vt intelligatur id quod eſt in controuerſia, tria ſunt hîc ſtatuenda. Primum eſt, quòd neceſſaria ſit diuina vocatio, vt quis legitimè prædicet, aut adminiſtret Sacramenta: Etenim aperta ſunt illa Apoſtoli verba: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Et rurſus: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum, filius meus es tu, &c.* Quare qui ſine vocatione & miſsione legitima audet ſe ingerere his diuinis officijs, præfert ſe ipſimet Chriſto Domino noſtro: Nam Chriſtus nonniſi vocatus & miſ-

Ad Rom. 10. v. 15. Ad Heb. 5. v. 4. & 5. Pſal. 2. v. 7.

& miſſus à Patre acceſsit ad eiuſmodi munia. Denique, ſi humanis & terrenis rebus nemo audet Principis vllius negotia tractare, niſi poteſtate ab illo accepta: Multò minùs poterit vllus ſupernaturalia, & diuina tractare, niſi fuerit ab ipſo Deo miſſus & vocatus.

Secundum eſt: Quòd duplex ſit Dei vocatio, vna extraordinaria, alia ordinaria. Extraordinaria eſt, quando Deus immediatè per ſe ipſum aliquem vocat: quo modo vocauit Deus Moyſen, & Prophetas; & Chriſtus Apoſtolos. Hæc vocatur extraordinaria, quia raro contingit: Vocatur etiam immediata, quia fit immediatè ab ipſo Deo. Ordinaria vocatio eſt illa, quæ perſeuerat ſemper in Eccleſia, & fit immediatè ab ipſis Paſtoribus Eccleſiæ, à Deo verò mediantibus illis: Hinc vocatur quoque mediata vocatio reſpectu nimirum Dei. Hæc diuiſio deſumitur ex S. Paulo, qui ſcribit, ſe eſſe Apoſtolum, non ab hominibus, neque per homines, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem. His enim verbis oſtendit quoſdam vocari ad diuina munia per homines, qui ſunt in Eccleſia, alios per ipſum Deum. II. *Ad Gal. 1. v. 1.*

Tertium eſt: Quòd illi qui ordinaria vocatione aſſumuntur ad officia Eccleſiaſtica, ab Eccleſia accipiant ſuam vocationem & poteſtatem. Nam ordinaria vocatio non fit niſi per miniſtros Eccleſiæ. Sed de extraordinaria illa tota eſt controuerſia. Qui enim hac ætate introduxerunt noua dogmata, cùm videant ſe deſtitui ordinaria vocatione, cōfugiunt ad iſtam extraordinariam, quam contendunt ſubijciēdam non eſſe cenſuræ, & approbationi Eccleſiæ: quibus ſe penitùs deſtitui nō ignorant. Nos contrà aſſerimus, vocati- III.

onem, etiam extraordinariam, neceſſariò debere confirmari & approbari ab eis, qui habent ordinariam in Eccleſia vocationem. Et quidem ſat ſcimus aduerſarios verè non habere iſtam extraordinariam vocationem, vt infrà ſuo in loco probandum erit. Sed vt demus eos verè habere extraordinariam vocationem, nihilominus illam confirmari & approbari debere ab illis, qui habent ordinariam vocationem, his argumentis probamus.

IV. Primum argumentum: S. Paulus fuit immediatè & extraordinariè à Deo vocatus, vt ipſemet ſcribit, & tamen miſſus eſt ad Ananiam, qui habuit ordinariam vocationem, vt ab eo inſtrueretur & baptizaretur: Et poſtea vnà cum ſancto Barnaba ordinatus eſt per impoſitionem manuum ab illis, qui erant ordinarij Paſtores Eccleſiæ. Denique ipſemet ſcribit, ſe ſecundùm reuelationem aſcendiſſe Ieroſolymã, & contuliſſe Euangelium quod prędicabat, cũ viſibili Eccleſia, & paſtoribus ordinarijs eiuſdem: ne fortè in vacuum curreret aut cucurriſſet. Qui ergo refugiunt hanc Eccleſiæ viſibilis approbationem, quantumuis extraordinariè vocentur, in vacuum currunt.

Ad Gal. 1. v. 1. *Act. 9. v. 7.* *Act. 13. v. 3.* *Ad Gal. 2. v. 1. & 2.*

V. Secundum argumentum: Non eſt facilè credẽdum cuiuis, qui aſſerit ſe extraordinariè à Deo miſſum, iuxtà illam ſancti Ioannis admonitionem: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint: quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* Hæc autem probatio non poteſt meliùs aut rectiùs fieri, quàm à Chriſti Eccleſia, quæ eſt *Columna & firmamentum veritatis*, vt ſcribit ſanctus PAVLVS. Id quod etiam conſequentibus verbis non obſcurè ſignificat ſanctus Ioannes,

1. Ioan. 4. v. 1. *1. ad Tim. 3. v. 15.*

Digitized by Google

Ioannes, cùm ſubiungit: *Qui nouit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos: In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris*. Regula igitur certiſsima, qua exploratur huiuſmodi extraordinaria vocatio, eſt, vtrum ſe ſubijciat approbationi viſibilis Eccleſiæ & eam audiat, an non. Nam qui audit Eccleſiam, habet ſpiritum veritatis, & veram extraordinariam vocationem: qui verò non audit Eccleſiam, habet ſpiritum erroris, & falſam vocationem extraordinariam. 1. Ioan. 4. v. 6.

VI. Tertium argumentum. Spiritus Sanctus nunquam ſibi ipſi aduerſatur: alioqui enim non eſſet Spiritus veritatis, ſed ſalſitatis: quod abſit; Neq; enim aduerſatur veritas veritati, ſed falſitati: Cū igitur conſtet ordinariam vocationem eſſe à Spiritu Sancto, non poterit extraordinaria, quæ eſt verè à Spiritu Sancto, illi aduerſari. Nam alioqui Deus ſibi ipſi aduerſaretur, quod impium eſt cogitare. Quare neceſſe eſt, vt extraordinaria vocatio congruat cum ordinaria, eiq; ſubiecta ſit, & eam ſtabiliat, atque confirmet, non impugnet. Hinc illud Apoſtoli: *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt*. Si Prophetis ſubiecti ſunt, multò magis toti Chriſti Eccleſiæ. 1. ad Cor. 14. v. 32.

VII. Quartum argumentum. Maxima oriretur in Eccleſia Dei confuſio, ſi concederetur vnicuique vt concionaretur, & adminiſtraret ſacramenta, quòd affirmaret ſe extraordinariè vocatum, ſine vlla alia Eccleſiæ approbatione, aut examine: Ita enim cuius fanatico liberum foret iactare, ſe eſſe à Deo extraordinariè vocatum: Et eo titulo concionari, ſacramenta adminiſtrare, cæteraque omnia officia Eccleſiaſtica exercere.

VIII. His argumentis conuicti illi qui ſunt doctiores inter aduerſarios agnoſcunt, extraordinariam

Digitized by Google

Cal. l. 4. Inſt. c. 3. ſect. 14. Beza c. 5. ſua Confeſſ. fidei Art. 28. Bullingerus decade 5. ser. 4. Supra c. præcedent. Ad Eph. 4. v. 12. & 13. Caluinus & Beza in illa verba ad Eph. Itẽ Calu. l. 4. Inſt. c. 3. ſect. 4. in art. 25.

omnem vocationem debere examinari & approbari ab ordinarijs Eccleſię Chriſti Paſtoribus. Sed addunt, illud verum eſſe, quando Eccleſia ſequitur Verbum Dei: & quamdiu in ea remanet ordinaria vocatio. Verùm fruſtra adijciunt has conditiones: quia iam probauimus veram Eccleſiam ſemper ſequi Dei verbum: nec poſſe ab eo deflectere: alioqui enim non erit illa vera Dei Eccleſia, ſed ſynagoga Satanæ. Ordinariam etiam Paſtorum vocationem & ſucceſsionem manſuram ſẽper in Eccleſia, donec occurramus omnes Chriſto in conſummatione mundi, expreſsè dicit Apoſtolus. Quibus etiam Apoſtoli verbis conuicti Caluinus & Beza, fatentur Paſtores & Doctores perpetuò eſſe oportere in Eccleſia Dei, neq; poſſe Eccleſiam ſine his conſiſtere. Idem agnoſcit & Rupellana confeſsio, Art. 25.

IX.

Ier. 31. v. 31. 32. Iſa. 6. v 9. 10. Malac. 2. v. 10. 11. Pſ. 109. v. 4. ad Heb. 7. v. 18. & c. 8 v. 8. 13.

Sunt nonnulli ex aduerſarijs, qui nobis hic obijciunt exemplum Chriſti, & Apoſtolorum: Horum enim doctrinam dicunt non fuiſſe approbatam ab antiqua Eccleſia Iudæorum, cùm illa tamen fuerit extraordinaria. Sed friuola eſt, & admodum odioſa comparatio iſta Chriſti & Apoſtolorum, cum ipſorum Miniſtris; Nam expreſsè prædictũ fuit à Prophetis, quòd Chriſtus abrogaturus eſſet legem antiquã, vocationemq; eius & ſucceſsionem carnalem: atq; aliã ſpiritualem, longeq; præſtantiorẽ inſtituturus, quod & fecit: Quare cùm Apoſtoli iam haberent aliam excellentiorẽ vocationẽ à Chriſto inſtitutam, non erat cur illam Moſaicam quærerent. At nuſquam legimus vocationem à Chriſto inſtitutam abrogandam eſſe per alium quempiam venturum: Sed contra docent Scripturæ, hanc Chriſti vocationem perpetuò duraturam vſque ad finem mundi. Quare

Matt. 28. v. vlt.

aduer-

Digitized by Google

uerſarij hoc argumento nihil probare poterunt, *Ad Ephe.*
niſi velint nouum legiſlatorem aut Meſsiam in- *4. v. 2. &*
troducere: qui Chriſti legem & vocationem ab- *13.*
roget, & in meliorem commutet: Quæ Turcarum & Iudæorum eſt blaſphemia.

CAPVT IX.

Sitne Eccleſia fidei noſtræ fundamentum, & de vero ſtatu huius quæſtionis.

SI non eſſet tanta aduerſariorum noſtrorum pertinacia, facile eſſet hanc quæſtionem defi-
nire ex paucis illis Apoſtoli verbis, quibus affir- I.
mat, Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum
veritatis. Nam cùm fides noſtra innitatur verita- *1. ad Tim.*
ti (veriſsimo videlicet Dei verbo) & huius ve- *2. v. 15.*
ritatis columna & firmamentum ſit Eccleſia, neceſſe eſt, vt Eccleſia ſit etiam columna & firmamentum fidei noſtræ: vt paulò pòſt vberiùs explicabimus. Sed quia aduerſarij hanc tam eximiam Eccleſiæ laudem obſcurare conantur, paulò
exactiùs de hac re agendum erit. Præſertim verò, *Cap. 13.*
quòd quæſtio hæc ſummi ſit momenti, quippe *ſeq. §. 14.*
quòd ex ea pendeat tota fides: nam fundamento ſuo nititur res omnis, & ex eo pendet. Deinde hac in re declaratur ſumma dignitas & authoritas Eccleſiæ. Hinc etiam probantur cætera omnia fidei dogmata, quæ negant aduerſarij: refutantur eorum errores, ipſique facillimè conuincuntur. Sed vt intelligatur verus ſtatus huius controuerſiæ, tria ſunt obſeruanda.

Primum eſt; omnis ſcientia & doctrina habet
ſua veluti principia & fundamenta, ex quibus cæ- II.
tera

omnia deducuntur, probantur, & pendent: quare diligenter hic inquirenda ſunt vera principia noſtræ fidei, ne alioqui fides dubia, & incerta reddatur.

III. Secundum eſt: Duo ſunt principia fidei noſtræ; alterum, Deum eſſe veracem; alterum, iſta, quæ nos credimus eſſe dicta & reuelata nobis à Deo. De priori principio minor eſt difficultas, omnes enim qui agnoſcunt Deum eſſe, poſſunt facilè ſcire naturali ratione, illum eſſe veracem. Nam cùm ſit ſummè bonus, neminem poteſt fallere: & cùm ſit ſummè ſapiens, falli non poteſt. Hinc illud aſſumit Apoſtolus tanquam per ſe notum; *impoſſibile eſſe mentiri Deum.*

Ad Heb. 6. v. 18.

At verò dubitationes & difficultates, quas concipimus de rebus fidei, oriuntur præcipuè ex posteriori illo capite, nimirum ex eo quòd non conſtet nobis euidenter iſta, quæ credimus, eſſe reuelata à Deo. Hinc namque oritur tota controuerſia cum IVDAEIS, TVRCIS, & Hæreticis: Omnes enim fatentur, Deum eſſe veracem, ſed Turcæ dicunt, ſuum Alcoranum eſſe reuelatum à Deo: Iudæi, ſuum Talmud. Anabaptiſtæ, ſua noua Biblia ab ipſis correcta & caſtrata, vt ipſi loquũtur: Antitrinitarij ſuas blaſphemias, quas euomunt contra ſanctiſsimam Trinitatem: Lutherani, ſua dogmata: Caluiniani ſua: Catholici, ſua. Atq; hinc eſt, quòd indigeamus certo aliquo fundamento, principio, regula, & modo, quo certò ſciamus, quænam ſit illa doctrina, quæ re vera reuelata eſt à DEO, & quæ minimè: Alioqui remanebit ſemper incerta & dubia noſtra fides.

IV.

V. Tertium eſt: Solet Deus tribus modis certam reddere Eccleſiam de hac ſua reuelatione. Primus

modus eſt, quando ipſemet Deus è cœlo apparet, & loquitur Eccleſiæ: ſic enim olim loquutus eſt toti populo Iſraelitico, quādo dedit Decalogum in monte Sinai. *Exod. 20. v. 22.*

VI. Secundus modus eſt, quando vni ſoli è cœlo loquitur Deus, & iſtum poſtea mittit ad Eccleſiam, vt reuelet toti Eccleſiæ, quæ ipſe ei loquutus eſt. Sic olim in veteri teſtamento loquebatur Deus per ſe ipſum Moyſi, & Moyſes eadem reuelabat populo: Et in nouo teſtamento, Chriſtus hoc modo reuelauit Euangelium S. Paulo, quod ipſe poſtea alijs reuelauit. Verùm hi duo modi ſunt extraordinarij, & iam ceſſarunt: vt agnoſcunt omnes præter paucos Anabaptiſtas, & Suencfeldianos: quorum amentiam omnes improbant. *Exod. 24. v. 31.* *Ad Gal. 1. v. 12.*

VII. Tertius modus eſt ordinarius, qui ſemper remanet in Eccleſia, & de quo eſt tota controuerſia. Nam Lutherani ferè omnes & ſimpliciores Caluiniani volunt, ſolam Scripturam eſſe fundamentum & regulam, qua certò diſcernitur vera Dei reuelatio à falſa. At Caluinus ipſe, etſi primò videatur hoc tribuere ſoli Scripturæ, & valde contumelioſè inuehatur in Catholicos, qui id negant, quos proinde appellat ſacrilegos & rabulas: tamen paulò pòſt pręcipuam certitudinem Scripturarum, & totius fidei reducit ad Spiritum particularem & priuatum vniuſcuiuſque credentis. Recentiores Caluiniani duo ponunt fundamenta Fidei, Scripturam & priuatum hunc ſpiritum: Catholici verò docent, nec ſolam Scripturam ſufficere, nec ſpiritum priuatum cum Scriptura, ſed pręterea neceſſariam eſſe authoritatem, & ſpiritum vniuerſalis & viſibilis Eccleſiæ. Atque hic eſt verus ſtatus quaſtionis huius. *Caluin. 1. inſtit. c. 7. ſect. 1. & 2.* *Caluin. eodem c. 7 ſect. 4. in fine & ſect. 5.*

Quatuor igitur explicanda erant, vt clariùs definia-

finiatur tota hæc Controuerſia. Primò, quænam ſint proprietates & conditiones fundamenti Fidei. Ex his enim facilè agnoſcetur ipſum fundamentum. Enimuerò ſicut ex proprietatibus hominis agnoſcitur quis ſit verus homo, atque ex proprietatibus cuiuſuis rei agnoſcitur res ipſa: Ita ex proprietatibus fundamenti Fidei agnoſcetur ipſum fundamentum. Secundò probandum erit, quòd ſola Scriptura non ſit ſufficiens fundamentum fidei. Tertiò, quòd neque ſpiritus vllus priuatus. Quartò, quòd veriſsimum fundamentum fidei ſit authoritas Catholicæ Eccleſiæ.

CAPVT X.

Afferuntur Proprietates fundamenti Fidei.

I. DEcem ſunt proprietates Fundamenti, principij, ſeu regulæ Fidei, eæque adeò certæ & manifeſtæ, vt de ijs nemo dubitare poſsit. Prima eſt perpetua & continua duratio à principio Eccleſiæ vſq; ad finem. Nam ſicut Fides & Eccleſia ſemper durant, ita debet ſemper durare Fidei fundamentum: cùm nulla res conſiſtere poſſit ſine proprio ſuo fundamento.

II. Secunda proprietas: Veritas certiſsima & indubitata, ita vt neque poſsit fallere quenquam, neq; falli vlla in re ad ſalutem neceſſaria: alioqui erit incerta, & dubia, imò etiam aliquando falſa & pernicioſa Fides ipſa.

III. Tertia proprietas: Certitudo ex parte noſtra. Nam neceſſe eſt Fidem veram, certam eſſe, non tantùm in ſe, ſed etiam nobis: Quia ex ambiguis vel obſcuris generatur error & incertitudo in nobis, etiamſi res in ſe ſit certiſsima.

Quarta

Quarta proprietas: Firmitas & immutabilitas, ita vt fundamentum hoc deprauari non poſsit, mutari, aut corrumpi: Nam alioqui peribit aliquando veritas, & orietur error contra fidem. IV.

Quinta proprietas: Plenitudo & ſufficientia eorum quæ credi debent; vt ſcilicet omnia prorſus contineat ad Fidem Catholicam pertinentia: Cùm nihil poſsit conſiſtere ſine ſuo fundamento. V.

Sexta proprietas eſt: Neceſsitas, hoc eſt quòd neceſſariò debeat recipi ab omnibus, qui habent veram Fidem: Et quòd ſine ea non poſsit conſiſtere vera Fides: ſicut neque ædificium ſine ſuo fundamento. VI.

Septima proprietas; Quòd ſit ſignum & nota manifeſta, qua diſtinguuntur fideles ab infidelibus. Nam qui caret fundamento & regula Fidei, infidelis eſt: qui retinet fidelis. VII.

Octaua proprietas: Quòd in omni fidei articulo & concluſione contineatur virtute hoc principium, & fundamentum: Cùm ex illo omnia deducantur & certitudinem ſuam accipiant. VIII.

Nona proprietas; Quòd non tantùm moueat fideles ad credendum, ſed etiam conuincat infideles: alioqui enim infidelibus non pateret via ad Fidem & ſalutem æternam. IX.

Decima proprietas: Quòd contineatur expreſsè in Symbolo Apoſtolorum: in quo continentur omnia prima fundamenta Fidei: Neque enim fuerunt Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum adeò obliuioſi, vt in Symbolo Fidei, quod omnibus credendum tradiderunt, prætermitterent primum & præcipuum fidei fundamentum. Et hactenus de proprietatibus fundamenti Fidei. X.

CA-

CAPVT XI.

Solam Scripturam non eſſe fundamentum Fidei.

I. SCripturam ſolam non eſſe fundamentum Fidei noſtræ, oſtendimus ex proprietatibus fundamenti iam poſitis: Nam ex decem illis proprietatibus vnicam duntaxat habet Scriptura, nimirum veritatem: At cæteræ omnes proprietates illi deſunt. Id quod ita demonſtramus. Primò deeſt illi duratio perpetua: incipit enim ſacra Scriptura in antiqua lege tempore Moyſis, duobus millibus annorum & ampliùs poſt Fidem & Eccleſiam: Similiter in noua lege aliquot annis poſt miſſum Spiritum Sanctum cœperunt Apoſtoli ſcribere.

II. Secundò deeſt certitudo ex parte noſtra; cùm non conſtet nobis quęnam ſit canonica Scriptura, niſi per authoritatem Eccleſiæ, vt ſuprà probatum eſt, & infrà etiam probabimus. *Suprà cõtro. 1. c. 5. & infra hac cont. c. 15.*

III. Tertiò deeſt illi firmitas & immutabilitas: omnis enim Scriptura natura ſua obnoxia eſt mutationibus & corruptelis: poteſt enim deſtrui, poteſt deprauari, poteſt & ad alienos ſenſus torqueri de qua re etiam ſuprà. *Supra Contro. 1. c. 4.*

IV. Quartò deeſt illi plenitudo: quia non continentur omnia expreſsè in ſacris literis, quæ ad fidem ſunt neceſſaria: vt ſuprà quoque oſtendimus. *Supra Contro. 1. c. 26. & ſeqq.*

V. Quintò deeſt neceſsitas: nam ſine Scriptura fuerunt fideles in lege naturæ bis mille annis & ampliùs. Item poſt Chriſtum diu, etiam vſque ad ætatem S. Irenæi, hoc eſt, ducentis ferè annis, fuerunt *S. Irenæ. l. 3. c. 4.*

erunt multæ gentes, quæ ſincerè credebant in Chriſtum ſine vlla Scriptura: vt teſtatur ipſe ſanctus Irenæus. Deniq; etiamſi infideles comburerent omnia Biblia, non propterea periret Fides credentium, non ergo pendet Fides noſtra neceſſariò ex Scriptura.

Sextò, deeſt & ſeptima proprietas; nam per Scripturas non diſtinguuntur veri fideles ab infidelibus; quia omnes ferè Hæretici & iam recipiunt Scripturas & olim receperunt. VI.

Septimò, deeſt octaua proprietas: nam multa ſunt dogmata fidei quæ innituntur ſoli Traditioni Eccleſiæ, ſine expreſſa Scriptura: vt ſuprà probauimus. VII. Supra cõtro 1. c. 26. & 27.

Octauò, deeſt nona proprietas: Nam Turcæ, & alij Gentiles, qui ducuntur rationibus tantùm naturalibus, raro aut nunquam conuertuntur per ſolas Scripturas: ſed neceſſariò adhibendæ ſunt aliæ rationes & perſuaſiones naturales, vt illi conuertantur. Multa enim ſunt in Scripturis, quæ videntur pugnare cum ratione naturali: vt myſteria Trinitatis, Incarnationis Reſurrectionis mortuorum &c. VIII.

Nonò, deeſt deniq; & decima proprietas: nihil enim habetur de Scriptura in ſymbolo Apoſtolorum. IX.

Eſt quidem ſacra Scriptura fundamentum, id eſt ratio credendi multorum dogmatum Fidei, ſed non omnium. Deinde, neq; eſt illa primum omnino fundamentum iſtorum, nam Scriptura probatur per aliud generalius fundamentum, nimirum per authoritatem Eccleſiæ. Quare Scriptura eſt tantum particulare fundamentum Fidei non vniuerſale; Mediatum, non immediatum; ſecundarium, non primarium. X.

N CA-

CAPVT XII.

Spiritum particularem aut priuatum non eſſe fundamentum Fidei.

I. NVllum ſpiritum priuatum eſſe fundamentum Fidei noſtræ, longè euidentiùs conſtat èx ijſdem proprietatibus iam allatis. Nam nulla planè eſt ex decem illis proprietatibus quæ conueniat priuato ſpiritui vniuſcuiuſque fidelis. Quod ita oſtendimus. Primò deficit duratio: quia nemo eſt particularis & priuatus homo, qui duret à principio mundi vſq; ad finem: quemadmodum durat fides.

II. Secundò, deficit veritas, quia nemo eſt priuatus, qui errare non poſsit & falli: *Omnis enim homo mendax eſt*, teſte Apoſtolo. *Ad Rom. 3. v. 4.*

III. Tertiò, deficit certitudo in proponente: quia nemo poteſt eſſe certus, quòd vllus priuatus habeat talem ſpiritum, etiam ipſorum aduerſariorum iudicio: ſoli enim prædeſtinati, ſecundùm illos, habent iſtum ſpiritum (ſicut & illi ſoli habēt veram Fidem ſecundum ipſos) prædeſtinati verò nulli alteri, quàm ſoli Deo, noti ſunt: iuxta illud Apoſtoli: *Nouit Dominus qui ſunt eius.* Id quod apertè fatetur Caluinus. *2. ad Timoth. 2. v. 19. Caluin. l. 4. inſt. c. 1. ſect. 2.*

IV. Quartò, deeſt firmitas, & immutabilitas: Nemo enim priuatus habet firmitatem & immutabilitatem doctrinæ ſuæ. Nam ipſimet Aduerſarij fatentur, & experientia edocet, illos ſubinde mutare ſuas interpretationes Scripturæ, & diuerſis temporibus planè contraria docere. Imò fatentur quòd ſpiritus iſte priuatus ipſorum, non ſit ſpiritus permanens, ſed quod recedat nonnunquam:

Id quod

Digitized by Google

Id quod probarunt illi etiam ex illo Pſalmi 30. (ſed ſecundum nos 29.) verſu 8. *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Ita enim affirmarunt illi in diſputatione illa celebri Pariſijs habita anno 1566. *Vide Diſp. Pariſienſem An. 1566. in diſp. 1. Diei ſub finem.*

Quintò deeſt plenitudo: quia nemo priuatus poteſt omnia fidei dogmata definire: Cùm multa ante eius natiuitatem definita fuerint contra antiquos hæreticos: Multa etiam definienda ſint in Eccleſia poſt eius mortem, vbi ortæ fuerint nouę hæreſes. V.

Sextò deeſt neceſsitas: Nam & antequam eſſet vllus priuatus, qui nunc viuit, fuerat Fides: Et poſt mortem eius permanebit Fides. VI.

Septimò deeſt ſeptima proprietas fundamenti Fidei: Quandoquidem non poteſt fidelis diſtingui ab infideli per hũc ſpiritum priuatũ. Enimuerò omnes Hæretici iactitant ſe habere hunc ſpiritum, qui tamen ſe mutuò damnant. VII.

Octauò deeſt octaua proprietas: nam nullum fidei dogma poteſt certò deduci ex hoc ſolo priuato ſpiritu, cũ ipſemet ſit incertus & fallax. VIII.

Nonò, deeſt nona proprietas: nam ridiculum planè eſſet, ſi quis contenderet conuertere infidelem ad Fidem, iactando tantùm ſuum ſpiritum, qui à nemine videri aut intelligi poteſt. IX.

Decimò, deeſt deniq; decima proprietas: quia in Symbolo Apoſtolorum nihil habetur de hoc priuato & particulari ſpiritu. X.

Spiritus autem verus fidei, qui eſt in vnoquoque credente, & de quo loquitur Apoſtolus, cùm dicit, *nos habere ſpiritum Fidei*: non eſt fundamentum aut ratio FIDEI, de qua hic loquimur; ſed eſt auxilium DEI, ſeu donum ipſum ſupernaturale FIDEI, quo iu- XI. *2. ad Cor. 4. v. 13.*

uatur intellectus noſter vt credat; eſtque ex parte intellectus tanquam cauſa efficiens ipſius actus Fidei. At verò nos hic agimus de cauſa formali, ſeu ratione formali Fidei, quæ eſt ex parte obiecti, nimirum verbi Dei; & per quam ſcimus, quodnam ſit verbum à Deo verè reuelatum, & quod minimè. Nam quamuis Spiritus Sanctus & donũ Fidei nos moueant ad credendum, tamen non temerè mouent & ſine vlla ratione aut fundamento; (*qui enim credit citò, leuis eſt corde*, vt ait Sapiens) ſed cum fundamento firmo & ſolido; iuxta illa verba S. Ioannis: *Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Probatio autem iſta requirit neceſſariò aliquam rationem, & ſolidum aliquod fundamentum; de quo ſequenti capite dicendum erit.

Eccl. 19. v. 4.

1. Ioan. 4. v. 1.

XII. Poſtremò & illud obſeruandum eſt, nos hic diſputare de Fide Catholica omnibus ad ſalutem neceſſaria; non de ſpeciali vnius aut alterius Fide, quam ſcimus poſſe ex particulari aliqua & extraordinaria Dei reuelatione naſci; Verùm non eſt hæc Catholica fides, nec ordinaria, ſed extraordinaria; neq; ab omnibus recipienda, donec ea approbata & recepta fuerit ab Eccleſia; vt illicò declarabimus.

CAPVT XIII.

Eccleſiam Catholicam eſſe fundamentum noſtræ Fidei.

I. ECcleſiam vniuerſalem & viſibilem eſſe ſolidum & veriſſimum Fidei noſtræ fundamentum, probatur ex iiſdem proprietatibus

Digitized by Google

bus fundamenti Fidei. Nam omnes illæ decem proprietates optimè conueniunt Eccleſiæ,& præterea nulli. Primam proprietatem habet Eccleſia, nimirum perpetuam & continuam durationem: nam Eccleſia ſemper durat, vt probatum eſt etiam teſtimonio aduerſariorum. *Suprà c. 5. huius Contro.*

Secundam etiam habet proprietatem, videlicet indubitatam veritatem: quia illa non poteſt vnquam in fide errare, vt ſuprà quoque probatum eſt. II. *Suprà c. 7. huius Contro.*

Tertiam etiam habet proprietatem, vtpote certitudinem quoad nos: quoniam in doctrina Eccleſiæ ſumma eſt certitudo quoad nos, ſumma claritas, ſumma euidentia, quandoquidem Eccleſia ſemper adeſt, quæ ſuam mentem verbis apertiſsimis explicat. Etſi quod dubium oriatur in eius decretis, illud ſtatim enucleat; non aliter quàm ſi Prophetæ & alij ſcriptores veteris & noui Teſtamenti adhuc viuerent, & mentem ſuam nobis proprio ore explicarent. Idem enim eſt Spiritus Sanctus, qui olim loquebatur per ora Prophetarum & Apoſtolorum, & qui iam loquitur per os Eccleſiæ. *Non enim vos eſtis* (inquit Chriſtus) *qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* III. *Matt. 10. v. 20.*

Quartam proprietatem habet Eccleſia; eſt enim ſumma firmitas & immutabilitas in doctrina Eccleſiæ. Enimuerò iſta nunquam corrumpi, deprauari, aut mutari poteſt: adeſt namque perpetuò Eccleſia, quæ de ſua doctrina teſtimonium euidentiſsimum perhibet. Durat quoque perpetuò ſtabilis & firma hæc doctrina Eccleſiæ, quia adeſt ſemper Spiritus Sanctus, qui Eccleſiam errare non permittit: iuxta illa Chriſti verba: *Ego* IV.

Ioan. 14. v. 16. *rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, vt maneam vobiſcum in æternum.*

V. Quintam proprietatem habet Eccleſia, hoc eſt, plenitudinem doctrinæ: Nam Eccleſia omnia docet ad fidem neceſſaria, ſecundùm illam Chriſti promiſsionem: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Sic Eccleſia hactenus damnauit omnes hæreſes, damnabitque in poſterum omnes exurgentes errores contra fidem Catholicam. Similiter reſpondet ad omnia dubia & difficultates, quia ſemper adeſt & ſemper viuit.

Ioan. 16. v. 13.

VI. Sextam etiam proprietatem habet Eccleſia, videlicet neceſsitatem: Nam non eſt recipienda vlla doctrina vt fidei dogma, niſi illa recipiatur & approbetur ab Eccleſia: vt ſuprà etiam oſtendimus exemplo S. Pauli: Qui quamuis acceperit ſuum Euangelium immediatè à Deo per reuelationem Chriſti: tamen iuſſus eſt per reuelationem aſcendere ad Eccleſiam viſibilem, & conferre Euangelium quod prędicabat cum illis, qui erant in Eccleſia viſibili, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurriſſet.

Suprà c. 8. huius Contr. Gal. 1. v. 12. Ad Gal. 2. v. 2.

Enimuerò non potuiſſent alij tutò illi credere; niſi eius doctrina fuiſſet approbata ab Eccleſia: vt benè notant Tertullianus, S. Hieronymus, & S. Auguſtinus. *Ipſe Apoſtolus Paulus* (inquit S. Auguſtinus) *de cælo vocatus ſi non inueniret Apoſtolos, cum quibus conferendo Euangeliũ eiuſdem Societatis eſſe appareret; Eccleſia illi omninò nõ crederet.* Hęc S. Aug. Et multò magis indigebant hac approbatione Euangelia S. Marci, & Lucæ, qui non fuerunt Apoſtoli, ſed Apoſtolorum diſcipuli. Hinc Tertullianus: *Si ipſemet illuminator Lucæ* (inquit de S. Paulo agens)

VII. *Tertul. l. 4. aduerſus Marcionem c. 2. S. Hier. Epiſt. 11. ad S. Auguſt habetur. to. 2.*

Digitized by Google

agens) *authoritatem anteceſſorum & fidei & prædicationis ſuæ optauit: Quantò magis eam Euangelio Lucæ expoſtulem, quæ Euangelio Magiſtri eius fuit neceſſaria?* Hactenus Tertull.

S. Aug & ipſe S. Aug. to. 6 contra Fauſt. Manichæum. l. 28. c. 4. Tertull. loco citato. Gal. 2. v. 2.

Atque hinc eſt, quòd reuelationes S. Brigittæ, S. Catharinæ Senenſis, & aliorum quorundam Sanctorum, etiamſi fuerint verè à Deo reuelatæ, tamen non pertineant ad fidem Catholicam: quia non ſunt approbatæ ab Eccleſia, vt indubitatum Dei verbum.

VIII. IX.

Quemadmodum & tempore Apoſtolorum multi ante S. Lucam ſcripſerunt acta Chriſti, vt teſtatur ipſe S. Lucas: Et tamen duorum tantùm Euangelia ſunt authentica, nimirum S. Matthæi & S. Marci (nam S. Ioannem conſtat ſcripſiſſe diu poſt S. Lucam) Cæterorum verò Euangelia, qui ſcripſerūt ante S. Lucam, non pertinent ad fidem, quia nunquam fuerunt ab Eccleſia approbata. Ex quibus ſatis patet, quàm ſit neceſſaria Eccleſiæ approbatio & authoritas.

Luca 1. v. 1.

X.

Septimam proprietatem fundamenti fidei habet Eccleſia: Etenim per Eccleſiam eiuſque coniunctionem & communionem diſtinguitur fidelis ab infideli. Nam qui credit Eccleſiæ, eamq; audit, fidelis eſt; qui Eccleſiam non audit, infidelis: *Si Eccleſiam non audierit* (inquit Dominus) *ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Et Sanctus Ioannes: *Qui nouit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos.*

Matt. 18. v. 17. 1. Ioan 4. v. 6.

XI.

Octauam proprietatem habet Eccleſia. Nam quicquid tandem credimus Fide Catholica, id credimus, quia eſt nobis à Deo per Eccleſiam reuelatum. Enimuerò Deus iam toti Eccleſiæ nihil reuelat immediatè per ſeipſum: imò aduerſarij ipſi benè monent, maximè laborandum eſſe, vt via

Calu. l. 1. Inſt. c. 9. ſect. 1. Et Beza c. 4. ſua Confeſſ. ſect. 27.

 omnis

omnis occludatur fanaticis huiuſmodi reuelationibus.

XII. *S Thom. in 4 li. contra Gentiles lo. ſ. à c. 19. huius Controu.* Nonam proprietatem habet Eccleſia: Nam Eccleſia conuincit etiam Turcas & infideles rationibus naturalibus: cuiuſmodi extant complures apud Sanctum Thomam. Probamus etiam Eccleſiam ex ipſis notis & ſignis Eccleſiæ, quæ omnibus quantumuis infidelibus, patent: De quibus paulò pòſt.

XIII. Decimam denique proprietatem habet Eccleſia, quia in ſymbolo Apoſtolorum ponitur expreſſè articulus de Eccleſia: ſtatim namque poſt fidem veri Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti omnium primò collocatur iſte articulus: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam.*

Præterea, quòd Eccleſia & eius prædicatio ſit

XIV. *Ad Rom. 10. v. 14. & ſeq.* fundamentum fidei, conſtat ex apertis verbis Scripturæ. Nam cùm Sanctus Paulus diſputat de fide illa, qua omnes ſaluantur, reducit totam hanc fidem ad prædicationem Eccleſiæ, & illius miſsionem atque vocationem.

XV. *Ad Eph. 4. v. 14.* Sic alibi oſtendit Apoſtolus, *Deum poſuiſſe perpetuò Paſtores & Doctores in Eccleſia, ne ſimus vt paruuli fluctuantes in fide & circumferamur omni vento doctrinæ: ſed vt ſimus ſtabiles in vna & eadem ſemper fide & agnitione filij Dei.*

XVI. *1. ad Timoth. 3. v. 15.* Denique apertiſsima ſunt illa Sancti Pauli verba, quibus affirmat, *Eccleſiam eſſe Columnam & firmamentum veritatis.* Vbi obſeruandum eſt, duo eſſe propria officia fundamenti ædificij alicuius: videlicet ſuſtentare ędificium, & firmare. Vtrumque hic tribuit Apoſtolus Eccleſiæ: Alterum cùm appellat Eccleſiam *Columnam veritatis*, alterum, cùm appellat illam FIRMAMENTVM *veritatis.* Nam & columnæ terræ (iuxta Hebra-

Hebraicam phraſim) ſignificant ima fundamenta terræ. Sic Deus dicitur concutere columnas terræ; & alibi, confirmare columnas terræ, hoc eſt, ipſa fundamenta terræ. *Iob. 9. v. 6.* *Pſal. 74. vel iuxtà Heb. 75. v 4.*

XVII. Hæc tam manifeſta Apoſtoli verba cogunt tandem Caluinum deſcendere in noſtram ſententiam, quamquam ſuo morè primùm calumnietur: Affirmat enim, Catholicos aſſerere, ſeu (vt ipſius verbis vtamur) *blatterare execrabilem blaſphemiam, nimirum veritatem Dei minùs firmam eſſe, niſi hominum humeris fulciatur: incertumq; eſſe Dei Verbum, donec ab hominibus certitudinem quaſi precariò mutuetur.* Deinde affirmat Apoſtolũ nihil aliud hîc velle, quàm veritatem Dei ſuſtineri pura Euangelij prædicatione. Sed quod priori loco dicit, mera calumnia eſt: Non enim dicimus veritatem (ſeu Verbum Dei) abſolutè, & in ſe conſiderata accipere certitudinem ſuam aut firmitatem ab Eccleſia: nam hac ratione ampliſſimam firmitatem accipit ab ipſo Deo: ſed reſpectu hominum & conſideratione notitiæ noſtræ accipit ab Eccleſia certitudinem, vt infrà vberius dicemus. Id quod ipſemet Caluinus in verbis continuò adiunctis agnoſcit eſſe veriſſimum, cùm ita ſcribit: *Simpliciter intelligit Paulus* (inquit Caluinus) *quod alijs verbis tradit decimo ad Rom. cap. Quoniam fides eſt ex auditu, nullam fore fidem, niſi ſit prædicatio. Itaque hominum reſpectu ſuſtinet Eccleſia veritatem; quia eam præconio ſuo celebrat, quia puram & ſinceram retinet, quia tranſmittit ad poſteros*: Hæc Caluinus. *Cal. in 1. Tim. 4. v. 15.* *Infra ... Con. c. 16. in fine.* *Cal. loco citato.* *Ad Ro. 10. v. 17.*

Illud verò, quod ſecundo loco addit, veritatem Dei ſuſtineri pura Euangelij prædicatione: Eſt quidem veriſſimum: ſed animaduertere etiam debuiſſet, hanc puram Euangelij prædicationem

onem non inueniri niſi in ſola Eccleſia, neque alios quàm homines prædicare purum Euangelium: Quare ſi Dei veritas ſuſtinetur pura Euangelij prædicatione, neceſſe eſt, vt ſuſtineatur etiam Eccleſia ab hominibus: neceſſe quoque eſt, Eccleſiam Chriſti eſſe fundamentum veritatis, etſi non abſolutè, tamen ratione noſtræ notitiæ, & reſpectu noſtri. Vnde hoc ipſum cogitur etiam Beza fateri, dum explicat illa verba Apoſtoli: *Columna & ſtabilimentum veritatis:* hoc intellige (inquit Beza) hominum reſpectu, non ſimpliciter. Ita ille.

Beza in 1. ad Tim. 3. v. 15.

XIX. Habemus igitur tam ex Caluino, quàm ex Beza, quòd Eccleſia reſpectu hominum, ſit fundamentum veritatis, ſeu Verbi Dei, & conſequenter fidei noſtræ, quæ his nititur. Sed quòd reſpectu hominum eſt fundamentum fidei noſtræ, illud verè eſt fidei noſtræ fundamentum: quoniam fides noſtra non debet, nec poteſt rectè conſiderari, niſi reſpectu hominum, cùm fides noſtra non inueniatur niſi in ſolis hominibus: ſi igitur reſpectu hominum Eccleſia eſt fundamentum fidei noſtræ, erit etiam veriſsimè & neceſſariò fidei noſtræ fundamentum.

XX. Porrò antiquam etiam ſanctorum Patrum Eccleſiam conſtanter tenuiſſe, authoritatem & prædicationem Catholicæ Eccleſiæ eſſe fundamentum fidei noſtræ, manifeſtè probant præclara illa S. Auguſtini verba, cùm ita ſcribit contrà Manichæos diſputans: *Ego* (inquit) *Euangelio non crederem niſi me Catholica Eccleſia commoueret authoritas.* Sententia hæc S. Auguſtini valdè torquet aduerſarios. Caluinus conatur ignaris perſuadere S. Auguſtinum loqui de ſeipſo adhuc Manichæo, nō autem de ſe iam fideli & credente. Sed ridiculū planè eſt hoc effugium: nam verba quæ paulò pòſt

S. Aug. tom. 6. contra Epiſt. Manich. cap. 5. Cal. l. 1. Inſt. c. 7. ſect. 3.

poſt ſequuntur, oſtendunt falſam eſſe hanc interpretationem Caluini. *Si ad Euangelium te tenes* (alloquitur S. Auguſtinus Manichæum) *ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus credidi Euangelio.* Loquitur ergo de ſe, qui iam crediderat Euangelio. Et paucis interiectis: *Quorum authoritate infirmata, iam nec Euangelio credere potero.* Vbi oſtendit, fidem ita pendere ab authoritate Eccleſiæ, vt ea infirmata vel ſublata, non poſsit ampliùs ſubſiſtere vlla fides Euangelij. Ex quo manifeſtum eſt, falſum eſſe quod ſcribit Iunius, S. Auguſt. loqui duntaxat de cauſa accidentaria, non de cauſa per ſe neceſſaria.

Alij dicunt S. Auguſtinum loqui de hoc vel illo libro Euangelij, non de Euangelio in genere. Sed verba ipſa S. Auguſtini contrarium docent, quia vbique loquitur de Euangelio in genere. Deinde eadem eſt ratio vnius Euangelij & omnium, quod ad fidem attinet. XXI.

Alij denique reſpondent, S. Auguſtinum non loqui de Eccleſia ſui temporis, ſed de primitiua Eccleſia, in qua fuerunt Apoſtoli, qui approbarunt Euangelia. Verùm iſta ſolutio facilè etiam refellitur ex verbis proximè ſequentibus: *Quibus* (inquit S. Auguſtinus) *obtemperaui dicentibus, credite Euangelio, cur eis non obtemperem dicentibus mihi, noli credere Manichæo?* Conſtat autem primitiuam Eccleſiam nihil loquutam eſſe de Manichæo, ſed illam Eccleſiam, quæ fuit tempore S. Auguſtini, dixiſſe illi: *Noli credere Manichæo.* Nam Manichæus vixit multis annis poſt primitiuam Eccleſiam, immò etiam poſt S. Cyprianum (hoc eſt, trecentis ferè annis poſt Chriſtum) vt apertè ſcribit idem S. Auguſtinus, & ſatis alioqui conſtat Manichæum non ante annum Domini XXII.

S. Aug. tom. 6. contra Fauſt.

Manich. l. 13 c. 4. mini 277. innotuiſſe mundo. vide Baro. Tom. 2. Ann. anno 277. num. 2. & ſequentibus.

CAPVT XIV.

Diluuntur argumenta aduerſariorum.

RElíquum eſt, vt ad argumenta aduerſariorum reſpondeamus: Nam hiſce reſponſis,
I. multò clariùs explicabitur totius huius Controuerſiæ nodus. Primum argumentum illorum eſt huiuſmodi: Si authoritas Eccleſiæ eſſet fundamentum Fidei; Fides noſtra inniteretur hominibus & non Deo: Nam Eccleſia conſtat ex hominibus. Sæpiſsimè inculcant & replicant aduerſarij hoc argumentum. Reſpondeo: Idem argumentum, ſi quicquam valeret, probaret, non eſſe credendum Scripturis: quia omnes illi, qui ſcripſerunt libros Bibliorum, fuerunt etiam homines. Sed ſicut credimus iſtorum ſcriptis, non quia homines fuerunt, ſed quia habuerunt peculiarem quandam & certam aſsiſtentiam Spiritus ſancti, qui eos ita gubernabat, vt errare non potuerint: Ad eundem modum credimus Eccleſiæ,
Cap. 7. praeceden. & illam conſtituimus fundamentum Fidei noſtræ, non quatenus illa conſtat ex hominibus, ſed quatenus habet peculiarem & certam aſsiſtentiam Spiritus ſancti, à quo perpetuò gubernatur & regitur: Vnde etiam fit, vt illa nunquam errare poſsit: Quemadmodum paulò antè probauimus.

II. Quare conſtituere Eccleſiam fundamentum Fidei, nihil aliud eſt, quàm conſtituere ipſum
2. Ad Corinth. 13. v. 3. Spiritum ſanctum & Chriſtum, fundamentum Fidei: Nam ille eſt, qui nobis loquitur per os Eccleſiæ: iuxtà illud Sancti Pauli: *An experimentum quæritis*

quæritis eius, qui in me loquitur, Chriſtus? Et alibi de ſua doctrina loquens: *Itaque qui hæc ſpernit* (inquit) *non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuũ ſanctum in nobis.* Sed aduerſarij nimis abiectè loquuntur & ſentiũt de Eccleſia, quaſi illa conſiſteret ex ſolis hominibus (ſicut Eccleſiæ infidelium & Hæreticorum) cùm præcipua pars veræ Eccleſiæ Chriſti ſit Spiritus ſanctus, qui eſt veluti anima & Spiritus Eccleſiæ. *1. Theſſ. 4. v. 8.*

III. Sed neque eſt iſtud ſubijcere Scripturam aut Spiritum ſanctum hominibus (vt aduerſarij ſolent calumniari) ſed tantùm oſtendere, Spiritum ſanctum ſibi ipſi eſſe vbique conformem, ſibique per omnia conſtare, & nunquam à ſe ipſo variare, ſiue per Scripturam nobis loquatur, ſiue per os Eccleſiæ: vt agnoſcit etiam Caluinus diſputans contra Anabaptiſtas & Libertinos, qui ſimili argumento contendunt reijcere ipſas Scripturas, ne ſcilicet illis videatur Spiritus ſanctus eſſe ſubiectus. *Cal. l. 1. Inſt. c. 9. ſect. 3.*

IV. Secundum argumentum: Chriſtiani debent & poſſunt *omnia diſcernere & dijudicare*, vt ait Apoſt. Ergo Spiritus vniuſcuiuſque Chriſtiani erit fundamentum omnium. Reſpondeo; eodem argumento reijciunt Anabaptiſtæ & Libertini omnes Scripturas, vt ſolum ſpiritum retineant, teſte Caluino: ſed malè. Nam ſicut Chriſtiani debent dijudicare & diſcernere, ita debent regulam & normam illam in iudicando obſeruare, quam præſcribunt Scripturæ, & quam præfixit Chriſtus ipſe: hæc autem regula non eſt priuatus ſpiritus vllius, ſed ſpiritus totius Eccleſiæ. Regulam enim Fidei certam & ab omni errore alieniſsimam eſſe, neceſſe eſt: cuiuſmodi eſt ſpiritus vniuerſalis Eccleſiæ, nõ vllius priuati hominis. Hinc *1. ad Cor. 2. v. 1.* *Cal. c. 9. cit. ſect. 1.*

illud

1.*Ioan.* 4.*v*.6. illud S. Ioan. *Qui nouit Deum, audit nos, qui non eſt ex Deo, non audit nos: in hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis & ſpiritum erroris.* Eſt igitur dijudicandum de ſingulis hominibus, ex eo quòd audiant vel non audiant Eccleſiam: & quòd ſpiritui vniuerſalis Eccleſiæ conſentiant vel non conſentiant.

V. Tertium argumentum. Catholici probant Eccleſiam & eius authoritatem per Scripturam, igitur Scriptura eſt potiùs fundamentũ fidei, quàm Eccleſia. Reſpondeo primò, probatio Eccleſiæ, quæ ſumitur ex Scripturis, cùm contra Hæreticos agimus, eſt argumentũ ad hominẽ, & ex conceſsis: quo modo poſſunt etiã prima principia cuiuſuis ſcientiæ probari. Et quidẽ ex illis quæ alioqui minùs firma ſunt. Sic cõtra Iudæos ex veteri Teſtamento probamus nouum Teſtamentum, quamuis & iſtud ſit fundamentum fidei noſtræ: quia Iudæi recipiunt vetus Teſtamentum, & non nouum. Imò etiam ex ipſo Talmud Iudæorum probamus multa contra Iudæos, quia ipſi illud recipiunt vt verbum Dei: ſed non propterea eſt Talmud fundamentum fidei noſtræ: quia iſtud eſt argumentum ad hominẽ, & ex conceſsis dumtaxat. Ad eundem modum, quia Hæretici ferè omnes admittunt Scripturas, & reijciunt authoritatem Eccleſiæ, idcircò cùm contrà illos diſputamus, probamus authoritatem Eccleſiæ ex Scripturis, veluti ex conceſsis. At ſi agendum eſſet contra infideles, aut alios, qui non recipiunt Scripturas, tum ex authoritate Eccleſiæ probandæ eſſent Scripturæ, non contrà: Nam nobis longè notiùs & certiùs eſt Eccleſiam eſſe, quàm ſacram Sripturam vt infrà oſtendemus. *Infrà c.* 18. *huius Cont.* §. 10.

VI. Secundò reſpondeo, tanta eſt connexio Scripturæ, & Eccleſiæ, vt & Scriptura per Eccleſiæ autho-

authoritatem, & rurſus Eccleſia per Scripturæ authoritatem optimè probatur. Neq; id mirum videri debet aduerſarijs: ſciunt namque etiam Logici, id quod ſua natura certius eſt, probari per id, quod nobis eſt notius, & certius, demonſtratione à poſteriori: Et contrà, quod nobis certius eſt, probari per illud, quod ſua natura eſt certius, demonſtratione à priori: ſic cauſa probatur per effectum à poſteriori, & contrà, effectus per cauſam à priori: vt ignis per calorem à poſteriori, & calor per naturam ignis à priori. Ad eundem modum per authoritatem Eccleſiæ, quæ reſpectu noſtri & nobis eſt certior, probamus Scripturam, veluti à poſteriori: & contrà per authoritatẽ Scripturæ, quæ ſua natura certior eſt, probamus veram Chriſti Eccleſiam veluti à priori.

VII. Quartum argumentum. Teſtatur ſanctus Paulus Eccleſiam ſuſtineri fundamẽto Prophetarum & Apoſtolorum, hoc eſt, Prophetica & Apoſtolica doctrina. Porrò ſi Prophetica & Apoſtolica doctrina eſt fundamentum Eccleſiæ, ſuam huic doctrinæ certitudinem antè conſtare oportet, quàm Eccleſia extare incipiat: Non erit igitur Eccleſia, quæ dat certitudinem doctrinæ aut ſcriptis Apoſtolicis, ſed potiùs doctrina & ſcripta Apoſtolica ſunt illa, quæ præbẽt certitudinem Eccleſiæ. Ita Caluinus. Reſpondeo inprimis, ſi ſequi velimus interpretationẽ huius loci, quam adfert Beza, argumẽtum Caluini omnẽ ſuam vim protinùs amittet: Nam Beza vult ſenſum iſtorũ verborum hunc eſſe: quòd Eccleſia ædificatur ſuper Chriſtum, qui eſt fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum: & ſolum Chriſtum vult eſſe fundamentum: Apoſtolos autem & Prophètas dicit fuiſſe dũtaxat architectos Eccleſiæ; vt ſunt etiam hodie

Ad Eph. 2. v. 20.

Cal. li. 1. Inſt. c. 7. ſect. 2.

Beza in 2. c. ad Eph. v 20.

hodie fideles Chriſti miniſtri:non autem funda-
mentum ipſum. Addit etiam Beza illum planè
eſſe Antichriſtum, qui ſibi tribuit, quod vnius
Chriſti eſt, nimirum eſſe fundamentum Eccleſiæ.

VIII. Ex hac Bezæ doctrina manifeſtè ſequitur
Caluinum eſſe planè Antichriſtum: Nam Calui-
Cal. loc. nus miniſtris omnibus Eccleſiæ, eorumque do-
citat. ctrinæ, & conſequenter ſibi ipſi, ſuæque doctrinæ
attribuit, quòd ſint fundamenta Eccleſiæ: Atqui
iuxtà Bezam quicumque hoc ſibi tribuit, eſt pla-
nè Antichriſtus: quia ſibi tribuit, quod vnius
Chriſti eſt.

Secundò reſpondemus: Quicquid tandem di-
IX. cat Beza, verior eſt expoſitio Caluini: quæ eſt et-
S. Chryſ. ho. 6. in iam ſancti Chryſoſtomi, S. Auguſtini, Theophy-
c. 2. ad lacti, & aliorum antiquorum Patrum, nimirum,
Eph. S. quod S. Paulus hîc appellet ipſos Apoſtolos &
Aug. to. Prophetas fundamentum Fidei, ſeu, quod idem
8. in Pſa. eſt, eorum doctrinam; Nam Chriſtum ibidem
86. ad v. comparat Apoſtolus cum ſummo ſeu infimo an-
1. Theop. gulari lapide: fundamentum enim huius ſpiritua-
& alij in lis ædificij conſtat ex pluribus lapidibus, ſed vnus
c. 2. ad eſt infimus, angularis, & præcipuus, nimirũ Chri-
Eph. ſtus, qui omnia ſuſtentat, & qui eſt angularis ille
Ad Eph. lapis connectens Iudæos cum Gentibus, vt eo-
2. v. 14. dem capite dicit S. Paulus.

Hinc eſt, quòd in Apocalypſi affirmet S. Ioan-
X. nes: *Ciuitatem hanc cæleſtem habere duodecim fun-*
Apo. 21. *damenta*: non vnum tantùm. Chriſtus tamen eſt
v 14. ſupremum fundamentum omnium, & funda-
S Aug. mentum fundamentorum, vt loquitur S. Auguſt.
tom. 8. in hoc eſt, omnium illorum duodecim fundamen-
Pſ. 86. in torum præcipuum fundamentum.
init.

Vtitur autem hic Apoſtolus phraſi Hebraica,
XI. vt idem ſit ſuper fundamentum Apoſtolorum,
& Pro-

& Prophetarum, quod ſuper fundamentum Apoſtolicum & Propheticum. Sępè enim vſurpant Hebræi genitiuum caſum ſubſtantiui pro adiectiuo: vt vir ſanguinum & doli: in Pſal. ſignificat virum ſanguinolentum & doloſum. *Pſ 5. v. 4.*

XII. Porrò, quòd dicit Caluinus, Apoſtolicam & Propheticam doctrinam habere èx ſe certitudinem ante Eccleſiæ approbationem: id verum quidem eſt, ſed iſta eſt certitudo, quam ſua natura habet ab ipſo Deo: verùm reſpectu noſtri, ab Eccleſia etiam accipit ſuam certitudinem ipſis Caluino & Beza teſtibus: vt modò diximus. *Cap. 13. prac. §. 17. & 19.*

XIII. At verò in eo errat Caluinus, quòd exiſtimet S. Paulum hoc in loco agere de ſola Scriptura Apoſtolorum & Prophetarum: neq; enim eſt ſola Scriptura Apoſtolica fundamentũ fidei noſtræ, verùm & omnis Apoſtolorum doctrina. Pauci enim ex duodecim Apoſtolis ſcripſerunt, hoc eſt, quinq; dumtaxat: Aliorum verò ſeptem Apoſtolorum nulla omninò extant ſcripta: omnes tamen docuerunt. De doctrina ergo Apoſtolica loquitur Apoſtolus, non de Scriptura tantùm.

Sed neque negamus, fidem pendere à doctrina Apoſtolorum: imò dicimus, fidem etiam noſtram pendere à doctrina præſentis Eccleſiæ. Nam XIV. quando aſſerimus, Eccleſiam eſſe fundamentum fidei, per Eccleſiam nõ intelligimus humeros aut corpora illorum, qui ſunt in Eccleſia: ſed authoritatem, doctrinam, & prædicationem illorum: ex his enim fides naſcitur: fides enim eſt ex auditu, teſte Apoſtolo. *Ad Rom. 10. v. 17.*

XV. Enimuerò, quotieſcunque de vera Chriſti Eccleſia agimus, non eſt nobis ſermo de Eccleſia infideli, ſurda, muta, vel fatua, quæ Verbum Dei & Scripturas, aut negligit, aut non intelligit: talis

enim Eccleſia non eſt vera Chriſti Eccleſia: Sed de illa Eccleſia eſt nobis ſermo, quæ credit, quæ loquitur, quæ prædicat purum Dei Verbum, quæ Scripturas conſeruat & interpretatur fideliſsimè, quæ illis vtitur in concionibus & exhortationibus. Igitur apud nos omnia hæc ſynonyma ſunt, Eccleſia, fides Eccleſiæ, prædicatio Eccleſiæ, doctrina Eccleſiæ, Verbum Dei ab Eccleſia prædicatum, veritas Dei ab Eccleſia propoſita: Omniaque hæc intelligimus nomine Eccleſiæ, cùm dicimus, Eccleſiam eſſe fundamẽtum fidei. Nam hæc omnia ſunt vel proprietates, vel actiones, vel officia Eccleſiæ, quæ ab illa ſeparanda non ſunt.

XVI. Quamobrem aduerſarij plurimùm errant, quando vel vnum aliquod horum ſeparant ab Eccleſia, & ipſi Eccleſiæ opponunt, atque obijciunt, tanquam ab Eccleſia diuerſum. Imò ex vera Chriſti Eccleſia faciunt Synagogam Satanæ. Non debet ergò Apoſtolica, aut Prophetica doctrina ab Eccleſia auelli, & illi opponi, quod facit Caluinus; cùm iſta ſit eſſentialis pars viſibilis Eccleſiæ. Perinde igitur argumentatur Caluinus, ac ſi quis ita ratiocinaretur: Homo ſine anima nec videt, nec loquitur, nec intelligit: Igitur homo nec videt, nec loquitur, nec intelligit.

XVII. *Suprà cap. 7.* Sed dicet fortaſſe aliquis: Suprà diximus, Fidem eſſe fundamentum Eccleſiæ, & iam dicimus, Eccleſiam eſſe fundamentum Fidei: quæ videntur inter ſe pugnare. Reſpondeo nulla eſt inter hæc repugnantia: duplex enim eſt fides, vna particularis vniuſcuiuſque fidelis, per quam vnà cum ſpe & charitate iuſtificatur omnis fidelis. Alia eſt fides generalis & cõmunis totius Eccleſiæ. Particularis illa innititur Eccleſiæ, hoc eſt, fidei, prædicationi & authoritati totius Eccleſiæ: Eccleſia ve-

ſia verò ipſa nititur generali fide fideiq; profeſsione, & prædicatione totius Eccleſiæ, quæ eſt pars eſſentialis ipſius Eccleſiæ viſibilis. Itaque cùm dicimus, Eccleſiam eſſe fundamentum fidei, loquimur de fide particulari vniuſcuiuſque fidelis: At cùm dicimus, fidem eſſe fundamentum Eccleſiæ, loquimur de generali fide totius Eccleſiæ.

XVIII. Sunt & alia argumenta aduerſariorum, ſed quæ facilè ſoluuntur ex dictis: quæq; latè proſequuntur Melchior Canus & Bellarminus: ad quos remittimus Lectorem. Nam iſta ſunt ab Anabaptiſtis & Libertinis mutuata, quibus non minùs eleuatur authoritas ipſarum ſacrarum litterarum, quàm Eccleſiæ. *Canus l. 2. de loc. Theol. c. 8. Bellar. lib. 3. de Verbo Dei, c. vl.*

CAPVT XV.

Eccleſiam non tantùm dare nudum teſtimonium Scripturæ, ſed etiam authoritatem.

I. RES hæc paucis diſcutienda eſt, vt clariùs intelligatur, quàm ſit neceſſaria approbatio Eccleſiæ ad ſtabiliendam ſacræ Scripturæ authoritatem. Porrò, vt manifeſtum euadat, de quanam re hîc diſputemus, obſeruandū erit, quòd cùm aduerſarij negare non poſsint, quin Eccleſia aliquod teſtimonium det Scripturis, affirment iſtud teſtimonium Eccleſiæ, eſſe nudum duntaxat teſtimonium, non autem teſtimonium authoritatis.

II. Duplex eſt enim genus teſtimonij. Vnū vocatur authoritatis, quòd ex eo pēdeat authoritas ipſius teſtimonij: vocatur etiam teſtimonium neceſſariū, quòd ſine eo res nō ſit ſatis teſtata: Alterum vocatur nudū teſtimonium, & nō neceſſari-

um, quando videlicet tale teſtimonium neceſſarium non eſt, quòd res iam aliunde ſatis ſit teſta-
Ioan.1.v.7. ta: cuiuſmodi fuit teſtimonium illud, quod S. Ioannes Baptiſta dedit Chriſto: Nam Chriſtus aliunde habuit ſufficientia teſtimonia.

De priori teſtimonio authoritatis dicit Chri-
III. ſtus: *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio:*
Ioan. 5. v.34. nimirum authoritatis & neceſſarium. Nam de nudo teſtimonio paulò antè dixerat: *Vos miſiſtis ad*
Eod c. 5. v.36. *Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati.* Sed iſtud
Exod c. 5. v.37. fuit nudum teſtimonium: quare paulò pòſt ſubiungit Chriſtus: *Ego habeo teſtimonium maius Ioanne* (hoc eſt maius teſtimonio Ioannis) *opera enim quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me: & qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.* Quæ omnia dicit Chriſtus de teſtimonio authoritatis. Dicunt igitur aduerſarij Eccleſiam dare nudum duntaxat teſtimonium Scripturis, quale dedit ſanctus Ioannes Chriſto, ſed non dare illis teſtimonium neceſſarium ſeu authoritatis.

Verùm, quòd teſtimonium Eccleſiæ ſit omni-
IV. nò neceſſarium: vt à quo dependeat authoritas ip-
Cap. 5. Cont. 1. ſa Scripturarum: ſatis conſtat ex his quæ diximus præcedenti capite: Et ex illis etiã quæ attulimus in prima diſputatione: vbi oſtendimus, nullũ iam eſſe firmum teſtimonium, quo cõſtare nobis certò poſsit, quiſnam ſit liber Canonicus, & quis minimè, præter teſtimoninm vniuerſalis Eccleſiæ.
Mat 3. v. vlt Iam enim nec fiunt miracula illa, quæ olim fecit
Mat. 17. v.5. Deus: nec loquitur nobis Deus ſe ipſum immediatè, ſicut loquutus eſt in baptiſmo & transfiguratione Chriſti. Quare reſtat tantummodò tertius ille modus ordinarius, quo loquitur nobis Deus

per

per os Eccleſiæ. Dat igitur Eccleſia Scripturis nō nudū teſtimonium, ſed teſtimoniū authoritatis: ex quo videlicet authoritas Scripturarum pēdet, quantū quidē ad nos attinet, noſtramq́; notitiam.

V. Deinde ſi doctrina ſancti Pauli indigebat approbatione Eccleſiæ, vt ſuprà ex Scripturis probatum eſt: Multò magis ea indigebat Euangelium S. Lucæ, qui fuit tantùm diſcipulus S. Pauli: vt benè ratiocinatur Tertullianus. Præſertim cùm S. Lucas non acceperit ea quæ ſcripſit per reuelationem à Deo, vt S. Paulus, ſed per traditionem aliorum, vt ipſemet ſcribit. Et idem de S. Marco dici poteſt, cuius Euangelium probaſſe S. Petrum Apoſtolum, & Eccleſiæ legendum ſua authoritate dediſſe, ſcribit S. Hieronymus.

Suprà c. 8. & 13. huius controu.
Tertull. l. 4. adu. Marcion. cap. 2.
Luc. 1. v. 2.

VI. Sed neque verum eſt, quod quidam dicunt, poteſtatem approbandi libros Canonicos fuiſſe ſolummodò penes Apoſtolos & primitiuam illam Eccleſiam: non autem penes Eccleſiam quæ ſubſequuta eſt. Apoſtoli enim non approbârunt omnes libros Canonicos noui Teſtamenti; nam ſi id feciſſent, non fuiſſet dubitatum de multis libris Canonicis aliquot ſæculis poſt mortem Apoſtolorum, etiam à viris Catholicis & pijs, vt ſuprà notauimus: Sed multis annis poſt tempora Apoſtolorum per Concilia & decreta Eccleſiæ approbati ſunt illi libri, de quibus fuerat aliquando dubitatum.

Sup. c. 5. contr. 1.

VII. Immò ſexcentis ampliùs annis poſt Chriſtum plurimi fuerunt Catholici, qui authoritatem Apocalypſeos non recipiebant, vt conſtat ex quarto Concilio Toletano.

Tolet. Conc. IV. cap. 16.

VIII. Et quod ampliùs eſt, ante Concilium Tridentinum fuerunt nonnulli Catholici, qui putabant ſibi licere de omnibus libris noui Teſtamēti du-

 bitare,

Digitized by Google

bitare, quos olim dubios iudicaſſe videtur S. Hieronymus: vt ſunt Epiſtolę S. Iacobi: ſecunda S. Petri, ſecunda & tertia S. Ioan. Epiſtola S. Iudæ: Epiſtola ad Hebræos, & Apocalypſis. Et niſi acceſſiſſet nouum decretum Concil. Tridentini, aut aliud recens Eccleſiæ decretum, nemo adhuc condemnaret eos vt Hæreticos, qui huiuſmodi libros in dubium vocarent.

IX. Ex quibus conſtat, Scripturam Canonicam ſuum robur & authoritatem accepiſſe, non ab approbatione primitiuæ Eccleſiæ, ſed potiùs ab approbatione ſubſequentis; immò etiam præſentis Eccleſiæ, nimirum Concilij Tridentini.

X. Denique etiamſi præſens Eccleſia non haberet authoritatem approbandi Scripturas, vt iſti dicunt, tamen propter alia tria adhuc eſſet neceſſaria authoritas & teſtimonium præſentis Eccleſiæ. Primum eſt, quia non ſcimus certò quoſnam libros vel ſcripſit, vel approbauit primitiua Eccleſia, niſi per teſtimonium præſentis Eccleſiæ. Secundum non ſcimus an hi libri incorrupti ad nos peruenerint, niſi per idem teſtimonium. Tertiò, neque aliunde ſcimus quiſnam ſit verus ſenſus iſtorum librorum.

CAPVT XVI.

Argumenta aduerſariorum refutantur.

I. PRimum argumentum aduerſariorum eſt eiuſmodi. Eccleſia fundatur in Verbo Dei: per Verbum quoque Dei generatur, alitur, gubernatur: Verboque Dei ſubijcitur vt verbo ſponſi ſui. Reſpondeo: Aduerſarij ſuo more confundunt Verbum Scriptum cum Verbo Dei in

genere

genere, quod facere non deberent: nã triplex eſt Verbum Dei, nimirum creditum, prædicatum, & ſcriptum. Creditum eſt in corde Eccleſiæ, prædicatum in ore ipſius, ſcriptum in Cordibus. De credito & prædicato verbo dicit Apoſtolus; *Propè eſt verbum in ore tuo & in corde tuo: hoc* Rom. 10.
eſt verbum fidei, quod prædicamus. Fatemur quod in v. 8.
Verbo credito & prædicato fundetur Eccleſia, quòd per iſtud generetur, alatur, gubernetur, & quòd huic Verbo ſubijciatur, vt Verbo ſponſi ſui: eſt enim neceſſarium planè Eccleſię huiuſmodi Verbum: *Corde* (inquit Apoſtolus) *creditur ad* Ad Ro.
iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Et rurſus: *Quomodo audient ſine prædicante?* 10. v. 10. Ibid. v. 14.

II. Sed longè alia eſt ratio de Verbo Scripto. Nam iſtud nec eſt omninò neceſſarium Eccleſiæ, cùm Eccleſia fuerit ſine illo bis mille & ampliùs annis: nec poteſt Verbum Scriptum eſſe vtile Eccleſiæ, niſi accedat rectè prædicatum, & creditum. Neque enim prodeſt vlli quòd Biblia ſcripta apud ſe retineat, niſi etiã illis credat & rectè ea intelligat.

III. Scriptura autem, de qua iam diſputamus, continet tantùm Verbum ſcriptum: at Verbum creditum & Verbum prædicatum, continentur in ipſa Eccleſia viſibili, tanquam neceſſariæ & eſſentiales partes illius: cùm alterum ſit veluti vita in corde Eccleſiæ, alterum veluti loquela in ore eius: neque ab Eccleſia vnquam ſeparari poſſunt: Iſa. 59. v.
iuxtà illam Dei promiſsionem: *Verba quæ poſui in* vlt.
ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, amodò & vſque in ſempiternum.

IV. Quare hoc argumentum contrarium omninò probat: Nam cùm Verbum ſcriptum accipiat ſuam authoritatem & vtilitatem à Verbo credito,

& rectè prædicato, quæ ſunt partes Eccleſiæ; neceſſe eſt, vt Scriptum Verbū recipiat ſuam authoritatem & vtilitatem ab Eccleſia; vtpotè in qua ſola ſunt Verbum creditum & rectè prædicatum.

V. Secundum argumentum. Si Eccleſia doceret aliquid contrà Scripturas, non eſſet credendum Eccleſiæ: ergo Scriptura non accipit ſuam authoritatem ab Eccleſia, ſed Eccleſia potiùs à Scriptura. Reſpondeo; eodē modo dici poteſt, ſi Scriptura contineret aliquid contrà veritatem, non eſſet ei credendum; ſi Spiritus ſanctus falſum diceret, non eſſet ei credendum. Sed huiuſmodi conditiones ſunt planè impoſsibiles, & impiæ in Deum; quare nō ſolùm non admittendæ ſunt, ſed neque proponendæ à Chriſtianis. Impoſsibile enim eſt, Eccleſiam aliquid docere cōtrà Scripturam: nam tunc Spiritus ſanctus mentiretur; quia vnum diceret per Eccleſiam, & contrariū per Scripturam.

VI. Tertium argumentum. Si Scriptura accipit authoritatem ab Eccleſia, ergo Eccleſia erit ſuprà Scripturam; quod videtur abſurdum. Reſpondeo: Eccleſiā eſſe ſuprà Scripturam, duobus modis intelligi poteſt. Primò quòd Eccleſia dignitate & excellētia excedat Scripturā: Et in hoc ſenſu Eccleſia procul dubio eſt ſuprà Scripturam. Nā Scriptura eſt facta propter Eccleſiā, nō Eccleſia propter Scripturam: *Omnia enim propter vos*, inquit Apoſt. Chriſtus mortuus eſt pro Eccleſia, non pro Scriptura: Eccleſia credit, ſperat, amat, laudat Deū: nihil horū facit Scriptura: Eccleſia regnabit & viuet in æternū cum Chriſto in cœlis: Scriptura peribit poſt diē Iudicij. Deniq; Eccleſia continet in ſe verbum creditum, prædicatum, & ipſum Spiritum S. quæ dignitate & præſtantia longè ſuperant verbum Scriptum.

1. ad Cor. 4. v. 15.

Secun-

Digitized by Google

Secundò, poteſt intelligi, quòd Eccleſia ſit ſupra Scripturam, ita vt Eccleſia poſsit mutare Scripturam, vel ex Scriptura facere non Scripturam; vel denique docere aliquid contra Scripturam, aut recedere à vero ſenſu Scripturæ: In quo ſenſu dicunt ſectarij huius temporis, non aſſerere, Eccleſiam eſſe ſupra Scripturam. Et hac ratione falſum eſt, Eccleſiam eſſe ſupra Scripturam: ſed neque vllus eſt Catholicus, qui in hoc ſenſu affirmet, Eccleſiam eſſe ſupra Scripturam, vt rectè affirmat Bellarminus. Nam ſi Eccleſia hoc modo eſſet ſupra Scripturam, Eccleſia erraret, & eſſet ſibi ipſi contraria: quia eo ipſo, quo Eccleſia ſemel approbauit Scripturam, iam non poteſt ampliùs illam improbare, niſi ſibi ipſi contradicat: quod eſt impoſsibile. VII.

Bellar. l. 3. de Verbo Dei c. vl. in reſponſionem ad 14. arg.

Quartum argumentum. Sacra Scriptura ab ipſo Deo immediatè accipit ſuam authoritatẽ: quia Deus ipſe eſt author Scripturæ: ergo non accipit authoritatem ſuam ab Eccleſia. Reſpondeo: ſicut duplex eſt certitudo: vna rei in ſeipſa, & ſecundùm ſe conſiderata: & altera aſpectu noſtri: Ita duplex eſt rei authoritas: vna rei ſecundùm ſe cõſideratæ; & hanc habet Scriptura à ſuo authore principali, videlicet à Deo: alia eſt reſpectu noſtri: & hanc accipit Scriptura ab Eccleſia: vt ſuprà etiam ex Caluino & Beza probauimus. Etenim Scripturam habere authorem Deum, non aliundè ſcimus certa fide, quàm per teſtimonium Eccleſiæ. VIII.

Cap. 13. prac. §. 17. & 19.

Atque hoc quod de Scriptura dicimus, etiam in ipſo Chriſto Domino noſtro cerni poteſt, qui maior eſt Scriptura. Enimuerò oportebat Chriſtum ipſum probare ſuam authoritatem miraculis & prodigijs, vt illa hominibus etiam eſſet nota IX.

& comperta: alioqui Iudæi eius authoritate obſtricti non fuiſſent. Hinc illa verba Chriſti, cũ de Iudæis ad ſuos diſcipulos loqueretur: *Si operà non*
Ioa.15. v.24. *feciſſem in eis qua nemo alius fecit, peccatum non ha-*
S. Aug. *berent:* Nimirum infidelitatis, non credendo in
to.9.trac. Chriſtum: vt rectè interpretatur S. Auguſtin. Et
19.in Ioa. alibi alloquens ipſos Iudæos: *Si non facio opera Pa-*
Ioa.10.v. *tris mei* (inquit Chriſtus) *nolite credere mihi.*
37.

X. Quòd ſi Chriſti authoritas, quæ fuit excellentiſsima, & immediatè ab ipſo Deo, indigebat certa via qua nobis etiam innoteſceret, vt illa nos obligaret ad credendum: multò magis indigebit authoritas Scripturæ, etiãſi ſit immediatè à Deo, certa aliqua via, qua nobis etiam manifeſtetur: alioqui nos eius authoritate minimè obſtringemur. Porrò iſtud iam non fit per miracula, nec per immediatam & extraordinariam Dei reuelationem: reſtat ergo vt id fiat per ordinariam & mediatam reuelationem Dei, nimirum per Eccleſiam, aut potius per Spiritum ſanctum, qui per Eccleſiam nobis loquitur.

CAPVT XVII.

Eccleſiam eſſe Iudicem omnium Controuerſiarum, quæ ſunt in Fide.

I. CVM tot quotidie oriantur diſputationes & Controuerſiæ de dogmatibus fidei, negari nõ poteſt, quin aliquis Iudex ſit neceſſarius, qui has lites componat, definiat, atque extinguat, alioqui enim nunquam erit finis Controuerſiarum. Sed non parua eſt quæſtio, quiſnam ſit iſte Iudex. Sectarij huius temporis omnes recuſant Eccleſiæ iudicium: vident enim ſi illam admittant Iudi-

Digitized by Google

Iudicem omnes ſuos errores funditùs euerti. Quare aliqui ex illis affirmant, ſolam Scripturam eſſe Iudicem omnium controuerſiarum: atque hęc fuit prima aduerſariorum doctrina; Lutheri nimirum & Zuinglij.

At verò poſteriores, cùm animaduerterent abſurdum eſſe, Scripturam rem inanimam Iudicem conſtitui (vt ſuprà etiam attigimus,) confugiunt ad ſuum ſpiritum priuatum: quem volunt Iudicem eſſe omnium prorſus controuerſiarum. Verùm ne videantur ſibi ipſis nimium tribuere, hunc ſpiritum priuatum cuiuſq; particularis obtegere conantur præclaro nomine Spiritus ſancti: affirmantes ſolum Spiritum ſanctum eſſe Iudicem omnium Controuerſiarum. II. *Cap. 18. Contro. 6.*

Quare tria hic nobis probanda erunt. Primò, Scripturam non poſſe eſſe Iudicem. Secundò nec Spiritum hunc priuatum. Tertiò, Eccleſiam Catholicam veriſsimum eſſe omnium Controuerſiarum Iudicem. III.

Quod ad primum attinet: Cùm aduerſarij vbique doceant, nihil credendum eſſe, quod non habetur expreſsè in ſacris literis, mirum eſt, cur hominibus perſuadere velint Scripturam eſſe Iudicem omnium cõtrouerſiarum, cùm hoc nuſquam legamus in ſacris literis. IV.

Imò in his vbique tribuitur Scripturę teſtimonium, non Iudicium: *Scrutamini Scripturas* (inquit Chriſtus) *& illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Atque hinc eſt, quòd lex Dei in Scripturis ſæpiſsimè vocetur Hebraicè, עֵדָה vel עֵדוּת vel, תְּעוּדָה, id eſt, teſtimonium: imò in vnico Pſalmo pluſquam vigeſies vocatur hoc nomine. V. *Ioan. 5. v. 39.* *Pſal. 118.*

Præterea apud Iſaiam Prophetam in eo ipſo loco, quem VI.

co, quem malè citant aduerſarij, vt probant, Scripturam eſſe Iudicem, Scriptura expreſsè vocatur
Iſa. 8. v. 20. teſtis, ſeu teſtimonium, non Iudex; *Ad legem magis* (inquit Propheta) *& ad teſtimonium.*

VII. Deinde nihil eſt abſurdiùs, quàm in rebus tanti momenti introducere Iudicem ſurdum, & mutum; quique ab vtraque parte corrumpi poteſt: cuius ſententia vtraque pars indifferenter vtitur: Talem autem eſſe Iudicem Scripturam manifeſtum eſt, neque enim poteſt Scriptura audire aut loqui: nos etiam vtimur Scripturis, & ſimiliter omnes penè Hęretici tam antiqui quàm recentes. Deniq; ipſimet aduerſarij iã ferè omnes vidẽt hęc abſurda: ac proinde confugiunt ad ſuum ſpiritum priuatum: quem vocant Spiritum ſanctum. Quare ad ſecundum, quod propoſuimus, progrediendum erit.

VIII. Quod igitur attinet ad ſpiritum hunc priuatum: inprimis nemo eſt, qui dubitet, quin Spiritus ſanctus ſit ſupremus Iudex omnium controuerſiarum: ſed quæſtio eſt, vbinam inueniri poſſit iſte Spiritus ſanctus, & in quo reſideat.

IX. Deinde certum eſt, Spiritum ſanctum non reſidere in codice vllo (ne fortè aduerſarij remittant nos ad Biblia) ſed in cordibus credentium. Iam quærimus, ſitne iſte Spiritus ſanctus, qui eſt Iudex omnium, in corde vniuſcuiuſque fidelis; an potiùs in corde vniuerſalis Eccleſiæ: ſi dicant, in corde vniuerſalis Eccleſiæ, id eſt, quod volumus, ſi dicant, in corde vniuſcuiuſque, ſequetur, nullum priuatum errare poſſe in ſuo iudicio: cùm Spiritus ſanctus in ſuo Iudicio errare non poſsit. Certè eum iudicem hic quærimus qui errare poteſt.

X. Deinde quiuis priuatus erit Iudex totius Eccle-

ſiæ ſi

ſiæ ſi quiuis priuatus habet hunc ſpiritum, qui eſt Iudex totius Eccleſiæ: ex quo maxima ſequetur confuſio in Eccleſia Dei.

Adhæc: ſi quiuis fidelis eſt Iudex, igitur aduerſarij debent recipere antiquos Patres, vt Iudices omnium controuerſiarum (quod ipſi nunquam facient) Etenim fideles fuiſſe Patres antiquos negare non audent. Cur igitur ſibi attribuunt, quod vniuerſis antiquis Patribus tam pugnaciter denegant? XI.

Præterea: Si vnus priuatus fidelis errare non poteſt in ſuo Iudicio, multò minùs poterunt plures fideles errare: Et minimè omnium errabit tota Eccleſia fidelium. Quare quicquid tandem dixerint aduerſarij, cogentur concedere, Spiritum S. eſſe Iudicem, quatenus reſidet in vniuerſali Eccleſia, & per os illius loquitur & iudicat: atque in hunc modum ex ipſa aduerſariorum doctrina colligimus neceſſaria conſequentia noſtram ſententiam. XII.

Poſtremò. Illud quod iſti aſſerunt, ſpiritum priuati hominis eſſe Iudicem, vel inde ſatis oſtéditur eſſe omnino falſum, quod ipſimet agnoſcant, nullum eſſe priuatum hominem, qui non poſsit in ſuo Iudicio aliquando errare: atqui nos hîc quærimus Iudicem, qui errare non poteſt: alioqui enim in rebus tanti momenti, & ex quibus æterna ſalus pendet, pernicioſè confugiemus ad Iudicem errantem, cuius Iudicium varium eſt, incertum, fallax, atque nonnunquam planè iniquum. XIII.

Nunc verò quod ad tertium attinet, Eccleſiam eſſe Iudicem omnium controuerſiarum, his argumentis probamus. Primum argumentum; Eccleſia XIV.

cleſia habet omnes proprietates idonei Iudicis.
Ioa.16.v.13. Nam primò habet ſcientiam exactam: *Spiritus ſanctus docebit vos* (inquit Chriſtus) *omnem veritatem.*

XV. Secundò, Eccleſia corrumpi non poteſt muneribus, vel precibus: eſt enim *Columna & firmamentum veritatis*, teſte Apoſtolo. *1.ad Tim.3.v.15.*

XVI. Tertiò, Eccleſia audit, loquitur, profert ſententiam, examinat teſtimonia Scripturarum & Patrum, vt experientia ipſa docet.

XVII. Quartò, tenemur ſtare iudicio Eccleſiæ: *Qui Eccleſiam non audierit* (inquit Dominus) *ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* *Mat.18.v.17.*

XVIII. Quintò, Eccleſia habet poteſtatem puniendi: *In virga veniam ad vos* (inquit Apoſtolus) *an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* Et alibi: *Si venero iterum, non parcam.* Et rurſus: *Vt non durius agam ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.* *1.Ad Cor.4.v.vlt.* *2.Cor.vl.v.2.* *2.Cor.vl.v.10.*

XIX. Sextò, Eccleſia abſoluit, ligat, remittit peccata, retinet, excommunicat, vt Scripturæ expreſsè teſtantur, & fatentur etiam aduerſarij: Qui omnes ſunt actus Iudicis: at Scriptura nihil horum facit. *Matt.18.v.18.* *Ioan.20.v.23.*

XX. Secundum argumentum eſt. Sacra Scriptura expreſsè affirmat, Eccleſiam iudicare: *Iam iudicaui* (inquit Apoſtolus) *vt præſens eum qui ſic operatus eſt in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Ieſu tradere huiuſmodi Satanæ.* Et paulò pòſt: *Nonne de his qui intus ſunt* (vel vt Græcè habetur τοὺς ἔσω hoc eſt eos qui intus ſunt) *vos iudicatis?* vbi apertè dicit Apoſtolus, Paſtores Eccleſiæ iudicare eos qui ſunt in Eccleſia. *1.Cor.5.v.3.4.& 5.* *1.Cor.5.v.12.*

XXI. Tertium argumentum deſumitur ex continua praxi Eccleſiæ, tam in veteri, quàm in nouo Teſta-

Teſtamento. Nam in veteri Teſtamento erat ſupremum Iudicium omnium cauſarũ ab ipſo Deo inſtitutum: Primò quidem in libro Numerorum; Deinde confirmatum in Deuteronomio, in quo ſedebant Sacerdotes, qui iudicabant, & ſummus Iudex, qui proferebat ſententiam, in omnibus enim rebus dubijs expreſſo Dei præcepto mittebatur populus ad hoc Iudicium Eccleſiæ, non ad Scripturas ſolas, aut ad ſpiritum priuatum cuiuſuis.

Num. 11. v. 6. & 25. Deut. 17. v. 8. & ſeq. 2. Par. 9. v. 10. & 11.

XXII. Porrò, vſque ad aduentum Chriſti manſit hæc forma iudicandi in veteri lege: De ea enim dixit ipſe Chriſtus: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis ſeruate, & facite*, hoc Conciliũ ſeu iudiciũ ſubſequẽtibus annis corrupto Græco vocabulo à Iudæis, vocabatur סַנְהֶדְרִין *Sanhedrin*, quaſi συνέδριον, id eſt *Conſeſſus* vel *Concilium*.

Matt. 23. v. 2. & 3.

XXIII. In nouo Teſtamento ſimiliter, quando orta eſt controuerſia illa de obſeruatione Legalium, non remiſerunt Apoſtoli diſcipulos ad Scripturam ſolam, aut ad ſpiritum particularem alicuius: ſed ipſimet conuenerunt, & definierunt quid credendum eſſet: *Viſum eſt* (inquiunt) *Spiritui ſancto, & nobis*. Nam Spiritus ſanctus eſt quaſi anima Eccleſiæ. Et hoc decretum Apoſtolorum vbique promulgarunt ſanctus Paulus, & ſanctus Barnabas, vt habetur tum hoc ipſo capite, tum ſequenti: Vbi etiam hæc vocantur dogmata ab Apoſtolis decreta; ſeu vt Græcè eſt κεκριμένα, id eſt, iudicata. Vnde Act. 21. v. 25. dicunt Apoſtoli, *ſe hoc ſcripſiſſe iudicantes*.

Act. 15. 28. Act. 15. v. 41. & Act. 16. v. 4.

XXIV. Ad eundem modum conſequentibus temporibus Arriani, Macedoniani, Neſtoriani, Eutychiani

ani & alij antiqui hæretici, fuerunt iudicati & damnati ab vniuerſali Eccleſia, in Concilijs generalibus, Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi, & alijs.

XXV. Denique ipſimet aduerſarij in ſuis conſiſtorijs & Synodis ſumunt ſibi poteſtatem, iudicant neque remittunt Iudicium ad Scripturas ſolas, aut ad priuatum ſpiritum vllius.

XXVI. Imò Caluinus his rationibus conuictus fatetur, ſcripta vniuſcuiuſque priuati eſſe ſubmittenda iudicio Eccleſiæ. Vbi etiam ita concludit: *Ergo Eccleſiæ authoritatem* (inquit ille) *neque contemnimus, neque extenuamus, nec proteruis hominibus habenas laxamus, vt quiduis audeant. Vtinam verò Eccleſiam nobis oſtenderent, qualem Scriptura ipſa depingit, facilè de honore conueniret.* Hæc ille. Porrò Eccleſiam qualem Scriptura depingit, oſtendemus ſequentibus capitibus. Vtinam de honore etiam atque authoritate Eccleſiæ conuenire poſſemus.

Calu. in Antid. cont Cōc. Trid. in 4. ſeſſ. in fine.

XXVII. Duo ſunt pręcipua aduerſariorum argumenta. Primum eſt, Spiritus ſanctus non eſt alligatus hominibus, ſed liberè iudicat in quibus vult: Ergo non eſt alligatus Eccleſiæ. Verùm idem argumentum probaret, nullam eſſe certitudinem in ſacris Scripturis: nam qui illas ſcripſerunt, fuerunt etiam homines, quibus Spiritus ſanctus alligatus nō fuit, ſecundū aduerſarios. Reſpondemus igitur Spiritum ſanctum non eſſe alligatum hominibus abſolutè, ſed alligatum eſſe ſuis promiſsis, & Chriſti etiam verbis atque promiſsis. Neque enim poteſt Spiritus ſanctus, aut Chriſtus, non præſtare id quod promiſit: quia Deus non mentitur, teſte Apoſtolo: Promiſit autem Chriſtus ſe adfuturum Eccleſiæ, non vno duntaxat, aut altero die, vel anno, *ſed vſque ad conſummationem ſaeculi.* Promiſit, *ſe da-*

Tit. 1. v. 2.

ſe daturum Spiritum ſanctum, qui maneat nobiſcum, *Matt. vl. v. vlt.*
non ad vnum aut alterum annum duntaxat: *ſed in* *Ioan. 14. v.16.*
æternum: Neceſſe eſt igitur, vt ſtet ſuis promiſſis.

Secundum argumentum. Si vera ſunt quo diximus de Eccleſia Iudice, Eccleſia erit Iudex ſacræ Scripturæ: atque adeò vniuerſi Verbi Dei. Reſpondeo: vniuerſum Dei Verbum à nemine, qui Chriſtum profitetur, in controuerſiam vocari poteſt, neq; enim poteſt eſſe fides diuina ſine aliquo Dei Verbo: atqui vbi nulla eſt controuerſia, opus non eſt Iudice. Quòd ſi de vna aliqua parte Verbi Dei, ſiue Scripti, ſiue non Scripti (cuiuſmodi eſt verus ſenſus Verbi Scripti) oriatur controuerſia, ad Eccleſiæ Catholicæ iudicium ſine dubio recurrendum eſt, Illius enim eſt iudicare tum de vero Scripturę ſacrę ſenſu, & interpretation (quę potior eſt pars Verbi Scripti) tum de litera dubia. Nam cùm permultæ controuerſiæ olim ortæ fuerint de varijs Scripturæ libris, ac eorundem capitibus, atque partibus, præterea de vero ſenſu literæ, alijſque fidei dogmatibus non ſcriptis, ſatis conſtat, non alium Iudicem, quàm Catholicam Eccleſiam has omnes controuerſias diremiſſe. XXVIII. *Concil. Trid. ſeſſ. 4.*

Verùm in iudicio hoc Eccleſiæ duo ſunt attendenda. Alterum, quòd Eccleſia non iudicet de vlla parte Verbi Dei ex ſuo proprio ſenſu, aut pro arbitrio, aut ſine Verbo Dei, vt calumniantur aduerſarij, & nominatim Caluinus: ſed ex vno Verbo Dei magis noto iudicat de alio minus noto. Verbi cauſa, ex Verbo Dei Tradito, iudicat de Verbo ſcripto, vel de ſenſu Verbi Scripti. XXIX. *Calu. l. 4. Inſt. c. 8. ſect. 13.*

Alterum eſt: quòd quando Eccleſia de his iudicat, non ſunt homines duntaxat qui iudicant, vt prætendunt aduerſarij, ſed ipſe etiam Spiritus ſanctus, qui per Eccleſiam iudicat, & loquitur XXX.

Digitized by Google

Act. 15. v. 28. nobis: *viſum eſt* (inquiunt Apoſtoli) *Spiritui ſancto, & nobis.* Quemadmodum enim actiones humani corporis, ſunt non tam corporis, quàm animæ, quæ viuificat, & mouet corpus: ita actiones vniuerſalis Eccleſiæ, ſunt non tam hominum, qui ſunt veluti corpus viſibilis Eccleſiæ, quàm ipſius Spiritus ſancti, qui eſt veluti anima, qua viuit & mouetur, & agitatur corpus Eccleſiæ. Qui igitur hoc iudicium denegant Eccleſię, non ſunt tantùm iniurioſi in Eccleſiam: ſed etiam in ipſum Spiritum Sanctum. Et hactenus de proprietatibus, officijs, ac poteſtate veræ Chriſti Eccleſiæ. Supereſt, vt oſtendamus Eccleſiam, qualem Scriptura ipſa depingit. Id quod Caluinum efflagitaſſe diximus ſuprà hoc cap. §. 26. *Calu. in Anted. contra 4. ſeſſ. Concilij Trid. in fine.*

CAPVT XVIII.

De falſis notis Eccleſiæ, & veris in genere.

I. HActenus oſtendimus Chriſtum & omnia bona inueniri in ſola vera Eccleſia, & extra illam nihil eſſe niſi damnationem ęternam: reſtat vt inueſtigemus, quænam ſit iſta Eccleſia, & vbi inueniatur, & quo modo in Scriptura depingatur. Nam omnes ſectæ eam ſibi vindicare contendunt, etiam illi qui male de ea ſentiunt. Satis enim vident extra illam, nullam eſſe ſperandam ſalutem. Vt autem non erremus in re tanti momenti, indaganda ſunt vera ſigna & notæ, quibus certò cognoſci poſsit vera Eccleſia, & diſcerni ab omni falſa, & fucoſa.

II. *Calu. l. 4. Inſt. c. 7. ſect. 9. & 10.* Aduerſarij communiter ponunt duo ſigna ſeu ſymbola (vt ipſi loquuntur) veræ Eccleſiæ: nimirum ſynceram prædicationem Verbi Dei, & legiti-

legitimam adminiſtrationem Sacramentorum. *Beza in*
Addit Beza & tertium ſignum, nimirum diſcipli- *ſua Conf.*
nam Eccleſiaſticam ex præſcripto Verbi Dei v- *c.5. art 7.*
ſurpatam. Lutherani quartum quoque addunt ſi- *Centuri-*
gnum, videlicet obedientiam erga miniſtros. De *atores Lutherani.*
hoc quarto ſigno paulò poſt: nam reducitur ad v- *1. Cent. l.*
nitatem Eccleſiæ. Alia verò tria ſigna Caluinia- *1 c.4. & l.*
norum ſunt planè inepta & friuola: quod ita o- *2. c. 4.*
ſtendimus.

III.

Primò ex ipſa natura ſigni: Nam omne ſignum *S. Aug. to.*
ſua natura eſt ſenſibile: vt eſt communis doctrina *3. l. 2. de*
poſt S. Auguſtinum: & hoc ipſum fatentur aduer- *doctrina*
ſarij, cùm agunt de Sacramentis. Imò Caluinus *Chriſtia-*
ſcribit, ita ſemper fuiſſe creditum in Eccleſia, & *na c. 1 &*
hodie idem docere omnes qui rectè ſentiunt. Et *3. Calu. l.*
ſanè nemo dicet, id quod creditur tantum in Sa- *4. Inſt. c.*
cramento, eſſe ſignum: ſed id quod videtur. At- *17. ſect. 11.*
qui iſta ſigna Eccleſiæ, quæ ponunt aduerſarij, nec videri poſſunt, nec ab vllo ſenſu percipi: Imò ne ab intellectu quidem, niſi fide illuminetur: Sola enim fide percipiuntur: Quia nemo poteſt ſcire, quænam ſit ſincera prædicatio, legitima adminiſtratio Sacramentorum, aut diſciplina à Chriſto præſcripta, niſi per fidem. Quare qui dicunt, iſta eſſe ſigna Eccleſiæ, re vera neſciunt quid dicant: Perinde enim eſt, ac ſi quis diceret, in Sacramento Baptiſmi, ablutionem, & verba non eſſe ſigna, ſed effectum Baptiſmi, qui non videtur eſſe ſignum; quod nemo non videt eſſe abſurdum.

IV.

Secundum argumentum. Omne ſignum alicuius rei debet eſſe notius ea re, cuius eſt ſignum: quia propterea ponitur, vt ſit indicium, quo res illa alia agnoſcatur: ſed iſta ſigna Eccleſiæ, quæ ponunt aduerſarij, ſunt longè obſcuriora & incertiora ipſa Eccleſia. Nam Eccleſia eſt viſibi-

Digitized by Google

lis, ſaltem frequenter, etiam ex ſententia omnium aduerſariorum: At iſta illorum ſigna nūquam ſunt viſibilia, ſed ſemper inuiſibilia: ſola enim fide agnoſci poſſunt, vt modò oſtendimus: quod autem fide creditur, neceſſariò obſcurum eſt: quia Fides *eſt argumentum non apparentium*, teſte Apo-
Heb. 11. ſtolo. Atque hinc eſt, quòd omnes ſectæ glorien-
v 1. tur ſe habere huiuſmodi ſigna: ob id nimirum, quòd illa à nemine clarè videri poſſunt.

V. Tertium argumentum. Fruſtrà adferunt aduerſarij iſta ſigna. Nã ſigna Eccleſiæ ideo quęrũtur, vt illi, qui ignorant Eccleſiam, deueniant in illius cognitionem: qui enim cognoſcunt rem aliquam, non indigent ſignis: Verbi gratia, qui benè nouit hanc ciuitatem, non indiget ſignis, quibus eam agnoſcat: ſed ille ſignis indiget, qui nunquam vidit hanc ciuitatem. Ad eundem modum illi, qui ſunt extra Eccleſiam, & illam ignorant, maximè indigent his ſignis: ſed ſigna, quæ aduerſarij ponunt, à nullo poſſunt cognoſci, niſi ab illis, qui iam ſunt in Eccleſia, & illam benè nôrunt, & fidem habent. Porrò ab illis, qui ignorant veram Eccleſiam, vt illam quærant, & inueniant, intelligi non poſſunt, quia ſola fide percipiuntur: fruſtrà ergo afferuntur.

Sed neque ab omnibus, qui ſunt in Eccleſia,
VI. cognoſci poſſunt huiuſmodi ſigna, verùm à doctioribus & valdè eruditis duntaxat. Neque enim poteſt quiuis ex populo diſcernere, quænam ſit ſyncera prædicatio, legitima adminiſtratio Sacramentorum, diſciplina Eccleſiaſtica Verbo Dei præſcripta: Neceſſe eſt enim, vt ille, qui omnia iſta probè nôrit, intelligat totam ferè ſacram Scripturã. Imò de his tribus ſignis maxima eſt adhuc controuerſia inter ipſos aduerſarios, dum alij cõten-

tendunt hanc eſſe ſynceram prædicationem, alij aliam, alij hanc eſſe legitimam adminiſtrationem Sacramentorum, alij aliam: alij hanc eſſe diſciplinam Verbo Dei præſcriptam, alij aliam longe diuerſam.

Sed aduerſarij re vera confundunt officia Eccleſiæ cum ſignis Eccleſiæ: Nam ſyncerè prædicare, legitimè adminiſtrare Sacramenta, & rectè conſtituere diſciplinam Eccleſiæ, ſunt officia veræ Eccleſię, vt ſuprà oſtendimus: non autem ſigna. His itaq; ſignis reiectis, quæ aduerſarij ponunt, ſequitur, vt vera ſigna Eccleſiæ exquiramus. VII. *Suprà c. 1 huius Contr. §. 9. & ſeq.*

Verùm ante omnia conſtituendum eſt hoc veluti fundamentum. Quòd ipſa naturalis ratio manifeſtè demonſtrat, aliquam eſſe veram Dei Eccleſiam in terris. Eſt enim iſtud vnum ex illis primis principijs Fidei, quæ naturali ratione euidenter probantur, ſicut & Deum eſſe. Quare Apoſtolus ponit iſta duo inter prima fidei principia. *Credere* (inquit) *oportet accedentem ad Deum, quia eſt: & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Qui autem ita inquirunt Deum, vt remunerentur ab eo, ſunt proculdubio in vera Eccleſia. VIII. *Ad Heb 11. v. 6.*

Adhæc ratio ipſa naturalis perſpicuè docet abſurdum eſſe exiſtimare, nullam eſſe à Deo relictã hominibus viam ad ſalutem æternam: cùm iſtud & Dei prouidentiæ, & infinitæ eius bonitati prorſus aduerſetur: hæc autem via non eſt alia, quàm Eccleſia, vt ſuprà oſtendimus. Sed quia multiplex, & diuerſa eſt hominum opinio de iſta via ad ſalutem neceſſaria: ſigna adhibentur, vt intelligamus, quænam re vera ſit certa & indubitata via. IX. *Cap. 2. huius Contr.*

Ex his quæ iam diximus, duo conſequuntur. Primum eſt illud veriſsimum eſſe, quod ſuprà inſinua- X.

Suprà c. 14. huius Contro. §. 5. in fine. ſinuauimus, videlicet quòd certius & euidentius ſit, verã Dei Eccleſiam eſſe, quàm Scripturã ſacrã eſſe: cùm naturali ratione conſtet, Eccleſiam aliquam Dei eſſe in terris; quod de Scriptura non conſtat.

XI. Secundum eſt, ſignis iſtis veræ Eccleſiæ duo eſſe omnino neceſſaria: Primum eſt, vt non tantùm fide aut intellectu, ſed etiam ſenſu percipi poſsint: alioqui enim non erunt vera ſigna; vt iam probatum eſt. Alterum, vt ſint nota & manifeſta omnibus hominibus, etiam infidelibus: cùm alioqui non poſsint infideles iuuare, aut conuincere, & ad Eccleſiam deducere. Eſt namq; Eccleſia Chriſti iuxta Prophetam, *via directa, ita vt ſtulti* (id eſt, infideles) *non errent per eam.* *Iſai. 35. v. 8.*

XII. De his veræ Eccleſiæ ſignis prolixè tractant Bellarminus, Coccius & Thomas Bozius Eugubinus, qui collegit in vniuersũ cẽtũ ſigna veræ Eccleſiæ: quæ omnia Rõ. Eccleſiæ conuenire apertè probat. Ex his authoribus plura ſigna peti poſſunt. *Bellarm. per totum l. 4. de Eccleſ. militãte. Coccius to. 1. per totũ l. 8. Bozius in duobus volum de ſignis Eccleſiæ.*

Nos verò breuitati conſulentes, quatuor tantùm ſigna adducemus, quæ habentur in ſymbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano, videlicet: quòd vera Eccleſia ſit, Vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. Nam hæc quatuor ſigna adeo ſunt certa, vt non poſsint ne ab aduerſarijs quidem reijci. Primum quidem, quia habentur ex-

XIII. preſsè in ipſa Scriptura, vt ſequenti capite oſtendemus. Deinde quia aduerſarij profitentur ſe recipere tria ſymbola, videlicet Apoſtolorum, Nicænum, & S. Athanaſij: in eo autem ſymbolo, quod Nicænum appellamus, quatuor iſta ſigna Eccleſiæ expreſsè continentur. Quare de his iam dicendum erit particulatim. *Rupellana Conf. art 5. in fine.*

CA-

CAPVT XIX.

Illam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, quæ eſt Vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica.

REctè monet S. Auguſtinus, veram Chriſti Eccleſiam, eiuſque ſigna quęrenda eſſe in ſacris litteris, quando agimus contra Hæreticos, qui Scripturas recipiunt. Nam, vt alibi obſeruauit idem S. Auguſtinus, obſcuriùs loquuti ſunt prophetę de Chriſto, quàm de Eccleſia: quòd præuiderent in ſpiritu, maiores lites & contentiones futuras de Eccleſia, quàm de Chriſto. Hæc igitur quatuor Eccleſiæ ſigna probabimus. Primò quidem ex ipſis Scripturis: Deinde rationibus naturalibus: cùm ſigna iſta eiuſmodi eſſe debeant, vt poſſint etiam eos conuincere, qui ſacras literas non admittunt: vti declarauimus præcedenti capite. I.

S. Aug. to. 7. de vnit. Eccleſ. c. 3.
S. Aug. to. 8. Concione 2. in Pſ. 30 ſuper illa verba v. 12. Qui videbant me, foras fugerunt à me.

Primum ſignum veræ Chriſti Eccleſiæ eſt, Vnitas. Eſt enim triplex vnitas neceſſaria in vera Chriſti Eccleſia. Prima eſt omnium membrorum cum ſupremo Eccleſiæ capite Chriſto: quæ fit per eandem fidem: quare neceſſe eſt, vt vna ſit fides omnium membrorum Eccleſiæ: *Vnus Dominus* (inquit Apoſtolus) *vna fides*. Et rurſus, *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei*. II.

Epheſ 4. v. 5.
Epheſ. 4. v. 13.

Secunda vnitas eſt, omnium membrorum inter ſe: nam ſicut ille, qui diſſoluit primam vnitatem, eſt Hæreticus; ita qui hanc violat, eſt Schiſmaticus. Hinc illa Chriſti verba: I*n hoc cognoſcent omnes, qui diſcipuli mei eſtis ſi dilectionem habueritis ad inuicem*. Et Apoſtolus: *vt non ſit ſchiſma in* III.

Ioan. 13. v. 35.

1.Cor. 12 v. 25. *corpore, ſed id ipſum pro inuicem ſollicita ſint membra.* Denique: *Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut in* 1.Cor. 14. v. 33. *omnibus Eccleſiis Sanctorum doceo;* inquit idem Apoſtolus.

IV. Tertia vnitas eſt, inter populum fidelem & ſuos paſtores per obedietiam, quam qui diſſoluunt, etiam ſchiſmatici ſunt: de hac idem Apoſtolus ita ſcribit: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Et Hebr. 13. v. 17. hæc eſt quarta illa nota Eccleſiæ, quam ponunt LVTHERANI, vt diximus præcedenti capite, §. 2. Cap præced. §. 2.

V. Hæc triplex vnitas eſt ſignum valdè ſenſibile, quod poteſt à quouis infideli percipi. Nam diuerſitas doctrinæ fidei auditur: diſſenſiones populi inter ſe & cum Paſtoribus manifeſtè percipiuntur.

VI. Denique ipſa ratio naturalis probat hoc eſſe vnum ex certiſsimis ſignis veræ Eccleſiæ; Nam Deus non poteſt contraria & pugnantia dogmata docere; quia tunc eſſet mendax; quod eſt impoſſibile, iuxta Apoſtolum. Similiter naturalis ratio Heb. 6. v. 18. oſtendit, Deum, qui ſummè bonus eſt, non eſſe authorem diſſenſionum, & ſchiſmatum, ſed concordiæ, pacis, & vnitatis.

VII. Secundum ſignum eſt, Sanctitas. Plena eſt Scriptura authoritatibus, quæ probant hoc ſignum. Nam S. Paulus in principio omnium ferè ſuarum epiſtolarum vocat Eccleſias, ad quas ſcribit, Sanctas; vti videre eſt in principio Epiſtolarum ad Rom. ad Corinth. ad Epheſios, ad Philip. ad Coloſſ. Et S. Petrus vocat veram Eccleſiam gentem 1. Pet. 2. v. 9. Sanctam. Sic Dominus ipſe apud S. Ioannem: *Pro eis* (inquit) *ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſan-* Ioan. 17. v. 9. *ctificati in veritate.* Denique ſæpe repetitur in Scriptura illa ſententia, quam etiam ex veteri Teſta-

mento

mento citat ſanctus Petrus: *Sancti eritis quoniam ego Sanctus ſum.* *1. Petri 1. v. 16.*

Eſt & hoc ſignum viſibile omnibus: primò quia ſanctitas iſta videtur per bona opera: *Vt videant* (inquit Chriſtus) *opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Secundò videtur hoc ſignum per piam & ſanctam doctrinam. Neceſſe enim eſt, vt vera Dei doctrina ſit ſancta, ſana, & irreprehenſibilis. Tertiò videtur hæc ſanctitas per miracula, quibus Deus ipſe probat & teſtatur Sanctitatem ſuæ Eccleſiæ: *ſigna eos qui crediderint* (inquit Dominus) *hæc ſequentur; In nomine meo Dæmonia eijcient.* VIII. *Matt. 5. v. 16. Ad Tit. 2. v. 1. & 8. Marci vlt. v. 17.*

Eſt quoq; euidens omnibus hoc ſignũ Sãctitatis, etiã ratione naturali. Nam, *Arbor bona bonos fructus facit:* & contrà, *arbor mala malos.* Deinde doctrina impia contrà legem naturæ, aut bonos mores, non poteſt eſſe à Deo: Contrà verò, bona doctrina congruens legi naturæ & bonis moribus, eſt à Deo: Denique, vera miracula conuincunt, ibi eſſe veram Eccleſiam, vbi fiunt vera miracula: cùm vera miracula non poſſint fieri niſi à ſolo Deo: nam ſicut ſolus Deus eſt, qui fecit & ordinauit omnia, ita ſolus Deus eſt, qui poteſt naturas rerum, aut ordinem naturalem earundem immutare: iuxtà illud Prophetæ Dauidis: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus.* Deus autem, qui ſummè bonus eſt, non poteſt miraculis teſtari, aut approbare falſam doctrinam. IX. *Matt. 7. v. 18. Pſal. 71. v. 18.*

Tertium ſignum veræ Eccleſiæ eſt, quòd ſit Catholica ſeu vniuerſalis. Eſt autem duobus modis Catholica. Primò quia durat omni tempore: vt probatum eſt. Secundò, eſt etiam Eccleſia Catholica ſeu vniuerſalis, quòd ad omnia loca & nationes dilatata ſit poſt Chriſti aduentum. X. *Suprà c. 3. huius Contr.*

XI. Hoc argumento maximè vtitur S. Auguſtinus contrà Donatiſtas, ad commonſtrandam veram Eccleſiam. Nam imprimis Abrahæ promiſit Deus, quòd in ſemine eius benedicerentur omnes gentes. Et poſteà hoc ipſum iuramento confirmauit. Sic Chriſto dicit Deus Pater : *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Sunt & pleraque huiuſmodi loca in Pſalmis, & in nouo Teſtamento.

S. Aug. to. 7. per totum librũ de vnitate Eccleſiæ. Gen. 12. v. 3. Gen. 22. v. 8. Pſal. 2. v. 8. Pſ. 71. v. 8. & 11. Act. 1. v. 8. Ro. 10. v. 18. Coloſſ. 1. v. 6.

Eſtque viſibile hoc ſignum, quia quod vbique eſt, & omni tempore, poteſt ab omnibus videri, quando illud viſibile quoque eſt.

XII. Prætereà, hoc ſignum certum eſt etiam lumine naturali: Nam ratio naturalis edocet Deum ſemper habere prouidentiam ſuorum: Et falſitatem nõ poſſe ſemper durare, ſed illam vinci à veritate: Deumq; eſſe potentiorem Diabolo. Imò omnium fallarum Religionum cognoſcuntur initia, & progreſſus, vt rectè obſeruauit Bellarminus.

XIII. Denique citò diſſoluitur opus & conſilium hominum, at non Dei : vt ait Gamaliel apud ſanctum Lucam.

Bell. l. 4. de Eccl. militãte, c. 5. & 6. Act. 5. v. 38. & 39.

XIV. Quartum ſignum veræ Eccleſiæ Chriſti eſt, quòd ſit Apoſtolica, hoc eſt, quòd ſit fundata ab ipſis Chriſti Apoſtolis: & quòd ab eorum ætate huc vſque illa per continuam ſucceſsionem perpetuò durauerit. Eſt enim hæc nota (vt & præcedens) propria Eccleſiæ noui Teſtamenti: de ea enim eſt omnis noſtra concertatio. Porrò fundatam eſſe Eccleſiam ab Apoſtolis, teſtantur illa verba ſancti Pauli: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Perpetuam autem ſucceſsionem Eccleſiæ ſuprà probauimus multis Scripturæ teſtimonijs. Idem etiam atteſtantur Prophetæ pleriſque in locis.

Eph. 2. v. 20.

Præ-

Prætereà, cùm in Eccleſia ſint perpetuò Paſtores & Doctores, iuxtà Apoſtolum, ſine quibus non poteſt Eccleſia conſiſtere, vt ipſimet aduerſarij fatentur (quemadmodum ſuprà oſtendimus) neceſſariò ſequitur perpetuam eſſe ſucceſſionem horum Paſtorum, & Doctorum in vera Dei Eccleſia. XV. *Eph. 4. v. 11. & 12.* *Suprà c. 8. huius Contr. §. in fine.*

Illud porrò, quod multi dicunt, ſucceſsionem perpetuam veræ doctrinæ eſſe in Eccleſia, ſed non perſonarum, leue eſt & infirmum. Enimuerò, cùm vera doctrina neceſſariò emanet à perſonis, & hominibus, (neque enim iam docent Angeli, ſed homines) ſi perſeuerat vera doctrina, neceſſe eſt etiam vt perſeuerent homines, qui hanc doceant, quique ſint ad hanc docendam legitimè vocati, vt probatum eſt ſuprà. XVI. *Sup. c. 8. huius Contr.*

Eſt etiam ſucceſsio iſta continua, ſignum viſibile: quia videtur omni tempore per partes ſuas, ſicut ſolent videri res ſucceſsiuæ; ita enim videtur fluuius, ita tempus ipſum. XVII.

Denique ſignum hoc certum eſt, & euidens, etiam apud infideles. Nam niſi ſit perpetua iſta ſucceſsio, peribit omninò vera Eccleſia, peribit omnis veri Dei cultus, nulla ſupererit hominibus via ad ſalutem: Contrà verò, vbi eſt perpetua ſucceſsio, vbi perpetua eiuſdem religionis continuatio, ibi ſatis apparet eximia Dei prouidentia, & patrocinium ſingulare erga homines. XVIII.

Porrò, quæ hactenus de quatuor iſtis ſignis diximus, ſufficere poſſent, niſi mira eſſet aduerſariorum in hac re inconſtantia & pertinacitas. Nam etſi alicubi fateantur ſe recipere Symbolum Nicænum, in quo expreſsè continentur hæc quatuor ſigna Eccleſiæ, tamen alibi, cùm vident XIX. *Rupell. Confeſſ. art. 5. in fine.*

ſe his

Extat hic liber in 3. Vol. Tract. Theol. Bezæ, tract. 6.

ſe his ſignis perfidię manifeſtè conuinci, ſigna iſta funditus repudiant. Beza namque in libro de veris & viſibilibus Eccleſiæ Catholicę notis (in quo tamen nihil aliud conatur, quàm notas illas ſuas inuiſibiles, id eſt, notas planè ignotas ſtabilire) quamuis affirmet, ſuos agnoſcere Symbola communi totius Eccleſiæ conſenſu perpetuò comprobata, nempè Apoſtolicum, Nicænum, Athanaſij, Conſtantinopolitanum, & Chalcedonenſe, impugnat tamen has notas Eccleſiæ, & quartam præſertim, quæ ſumitur ex Apoſtolica ſucceſsione, qua ſuos prorſus deſtitui non ignorat.

Habetur hæc pag. 138. ſub fin edit. Gen. an. 1582.

XX. Obijcit itaque contra hæc ſigna, quòd non ſint propria Eccleſiæ quarto modo, iuxtà PORPHYRIVM & Logicos: quia non conueniunt ſoli Eccleſiæ: nam vnitas & ſucceſsio poſſunt eſſe inter impios: vt videre eſt in Iudæis, & Mahometanis. Verùm facilis eſt reſponſio, non enim afferuntur iſta ſigna tanquam propria quarto modo, vt putat Beza: ſed potiùs veluti accidentia, quorum collectione diſtinguuntur indiuidua: quemadmodum docet idem Porphyrius. Accidentia enim, quibus diſtinguuntur indiuidua, poſſunt ſeorſum inueniri in diuerſis indiuiduis, ſed non omnia ſimul collecta.

Ita Beza Pag. 137. in prin. vbi ſuprà.

Porph. c. de ſpecie in fine.

XXI. Quare cùm Eccleſia, quam quærimus, ſit indiuidua, ſingularis, & vnica: debemus adducere non tantùm proprietates eius, ſed etiam alia ſigna ſeu qualitates, & accidentia, quibus diſtinguitur iſta vera Eccleſia ab omnibus alijs. Quamuis enim vna aut altera ex his notis alibi inueniatur, tamen omnes quatuor coniunctæ nuſquam inueniuntur, niſi in vera Eccleſia.

XXII It aque quæuis nota ſeorſim conſiderata ſeparat Eccleſiam veram ab aliqua Eccleſia falſa: verbi gra-

bi gratia, vnitas doctrinæ, & perpetua ſucceſsio, ſeparant eam ab omni Eccleſia Hæretica. At verò omnes hæ notæ ſimul coniunctæ & copulatæ diſtinguunt Eccleſiam Chriſti ab omni prorſus Eccleſia falſa. Id quod ſatis eſt, vt hæc ſint veriſſima ſigna, quæ appellantur indiuiduantia.

Enimuerò de veris proprietatibus Eccleſiæ iam diximus in principio huius diſputationis, nempè cùm oſtendimus, quòd Eccleſia ſit ſponſa Chriſti, Corpus Chriſti, Regnum Chriſti, Hæreditas Chriſti, Ciuitas Chriſti. Hæc enim quarto modo conueniunt veræ Eccleſiæ, hoc eſt, omni, ſoli, & ſemper. XXIII. *Suprà c. 1. huius Contr.*

Verùm proprietates iſtæ, cùm ſint ita inuiſibiles, vt nullo ſenſu percipi poſsint, ſed ſola fide: non ſufficiunt ad conuincendos infideles, aut Hæreticos, & alios qui fide carent: & ob hanc cauſam alia etiam ſigna viſibilia ſunt neceſſaria, quæ ab omnibus percipi poſsint, omneſque conuincere: Cuiuſmodi ſunt quatuor illa ſigna, quæ modò attulimus. XXIV.

Vt intereà omittamus aduerſariorum recentes Eccleſias eò deteriores eſſe Eccleſijs Iudæorum & infidelium, quòd in his inueniatur aliquando vnum aut alterum ex his ſignis: At in aduerſariorum Eccleſijs ne vnum quidem ex his inueniatur: vt paulò pòſt monſtrabimus. XXV. *Infrà c. 2. huius Contr.*

CAPVT XX.

Quòd ſola Romana Eccleſia ſit vera Eccleſia Chriſti, probatur ex proprietatibus veræ Eccleſiæ.

HActenus ex ipſis ſacris litteris deſcripſimus veram Chriſti Eccleſiam, idque per illius proprie- I.

proprietates, officia & pecularia ſigna: Reſtat vt per hæc eadem inueſtigemus, vbi terrarum inueniri poſsit iſta vera Chriſti Eccleſia: id quod fiet, ſi proprietates has omnes, officia, & ſigna alicui ſpeciali Eccleſiæ cõuenire oſtenſum fuerit. Aſſerimus ergo Romanæ Eccleſiæ, eique ſoli, proprietates, officia, & ſigna veræ Eccleſiæ congruere.

II. Vbi tamen obſeruandum eſt, ne verborum ambiguitate quiſpiã fallatur, nos per Romanam Eccleſiam non illam duntaxat intelligere, quæ Romæ eſt (vt aduerſarij perſuadere conantur incautis) ſed omnem planè Eccleſiam, quæ eandem habet fidem cum Romana: quæque obtemperat Romano Pontifici, vbicunque tandem illa fuerit, ſiue Romæ, ſiue alibi, etiam in extremis Indijs. Hanc porrò Romanam, ſolam eſſe veram Eccleſiam, & cõſequenter extrà illam nullam eſſe ſalutem (cùm nullam eſſe ſperandam ſalutem extrà veram Eccleſiam ſatis ſuperq; iam probatum ſit) demonſtrabimus ex omnibus proprietatibus, officijs, & ſignis veræ Eccleſiæ ſuprà allatis. Et inprimis quidem de proprietatibus agendum erit: de illis videlicet, quæ Eccleſiæ ſunt propriæ quarto modo. Omnes enim hæ proprietates Romanæ Eccleſiæ optimè conueniunt, & prætereà nulli. Quod ita oſtendimus.

Cap. 2. huius Contr.

III. Primò Romana Eccleſia eſt ſponſa Chriſti: fuiſſe enim illam Chriſto per veram fidem deſponſatam, apertè teſtantur ſacræ litteræ: ***Fides veſtra*** (inquit Apoſtolus ad Romanos ſcribens) ***annunciatur in vniuerſo mundo.*** Et paulò pòſt, profitetur S. Paulus ſe eandem habere fidem cum Romana Eccleſia; hoc eſt, ſe eſſe Romanæ fidei, non VVitembergenſis, vt Lutherus: non Geneuenſis, vt

Rom. 1. v. 8.

Calui-

Caluinus. Quare optimo iure profitemur, nos eſſe non tantùm Catholicæ fidei, ſed etiam Catholicæ Romanæ fidei: quod & S. Paulus apertè profitetur.

IV. Sed dicunt aduerſarij, Rom. Eccleſiam Apoſtolorum ætate habuiſſe veram fidem: illam poſteà à fide defeciſſe. Ita olim Donatiſtæ Hæretici, cùm vrgerentur argumentis Catholicorum, dicebant Eccleſiam Apoſtolorum ætate fuiſſe per totum orbem terrarum, ſed ipſorum tempore periiſſe de cætero mundo, & manſiſſe ſolummodò in Africa apud Donatiſtas, quos benè refutat S. Aug. noſque ipſum imitantes tali argumento vtimur. Quòd fides Romanæ Eccleſiæ aliquando fuerit vera & ſyncera ſacræ litteræ expreſsè teſtantur: Quòd autem Romana Eccleſia poſteà ab ea fide defecerit, nuſquam habetur in ſacris litteris: non eſt igitur hoc credendum contrà expreſſas Scripturas.

S. Aug. tom. 7. de vnitate Eccl cap. 12.

V. Et multò fortiùs vrget hoc argumẽtum aduerſarios, quàm Donatiſtas: cùm aduerſarij doceant, nihil credendum eſſe, quod non habetur expreſsè in Scriptura: atqui nuſquam habetur expreſsè in Scriptura, quòd Romana Eccleſia defecerit à fide, quam ab Apoſtolis acceperat. Et nihil ſanè alienius eſt à recta ratione, quàm exiſtimare, illam Eccleſiam à fide defeciſſe, cuius fidem tantopere nobis commendat expreſſum Dei Verbum, niſi ex eodem Dei Verbo probetur iſta defectio.

VI. Dicunt quidem aduerſarij, ſe id probaturos in particularibus quibuſdam fidei dogmatibus. Verùm id nunquam præſtabunt: vt infrà in ſingulis controuerſijs declarandum erit.

VII. Prætereà Sponſæ huic Chriſti promittit Deus per

per Prophetam Iſaiam, idque non ſine iureiurando,
Iſa. 49. v.18. quòd illa varijs populis veſtietur & ornabitur. Ita enim alloquitur Deus Eccleſiam: *Leua in circuitu oculos tuos & vide; omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos, quaſi ſponſa.* Sic Romana Eccleſia ſemper habuit, habetque multas nationes & populos ſibi ſubiectos, quibus veſtitur & ornatur: Quod ne aduerſarij quidem negare poſſunt.

VIII. Secundò Eccleſia eſt viſibile Corpus Chriſti,
Eph. 4. v.11. & 12. & myſticum: in Romana autem Eccleſia ſemper fuit, atque etiam nunc eſt viſibile Chriſti Corpus, conſtans ex diuerſis membris & ſtatibus; Item ex
1. ad Cor. 12. v 12. Doctoribus & Paſtoribus: quorum meminit S. Paulus ad Epheſios & Corinthios ſcribens.

IX. Tertiò Eccleſia eſt regnum Chriſti: atqui in Romana Eccleſia fuit perpetuò & adhuc eſt regnum viſibile Chriſti: & tale prorſus, quale de-
Iſa. 49. v.23. ſcribit Iſaias Propheta, cùm dicit: *Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Nam plurimi ſemper fuerunt Reges, & Monarchæ, qui adhæſe-
Coccius tom.1.l. 7.art.8. runt Romanæ Eccleſiæ: ac Pontificem Romanum caput eſſe totius militantis Eccleſiæ agnouerunt. Horum ſeriem videre licet apud Coccium.

X. Præterea: Ieremias Propheta (vt alios omittamus) hoc Chriſti Regnum futurum ita deſcribit:
Ier. 33. v. 20. 21. & 22. *Hæc dicit Dominus, ſi irritũ poteſt fieri pactũ meũ cum die & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies & nox in tempore ſuo: & pactum meum irritum eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo, vt non ſit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ & Sacerdotes miniſtri mei. Sicuti enumerari non poſſunt ſtellæ cœli & metiri arena maris: Sic multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei, & Leuitas miniſtros meos.* Hactenus Deus per Prophetam

Digitized by Google

tàm de Regno Chriſti filij ſui, & Sacerdotibus, atque Leuitis Chriſto miniſtrantibus, eorumque infinita multitudine: Quæ omnia hactenus in Eccleſia Romana fuiſſe completa, perſpicuum eſt.

XI. Quartò Eccleſia eſt Hæreditas Chriſti: illa videlicet quæ iuxtà oracula Prophetarum pertinet vſque ad terminos orbis terrarum, quæ eſt in oculis omnium Gentium, quam videbunt omnes fines terræ, quæ denique protenditur ab ortu ſolis vſque ad occaſum. Atqui in Romana Eccleſia talis fuit ſemper Chriſti hæreditas.

Pſ. 2. v. 8. Pſal. 71. v. 8. Iſa 52. v. 10. Mal. 1. v. 11.

XII. Hinc illa præclara S. Leonis verba ad Romanã vrbem, cùm de Apoſtolis Petro & Paulo agit: *Iſti ſunt qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens Sancta, Populus electus, Ciuitas Sacerdotalis & regia: Per Sacram Beati Petri ſedem Caput orbis effecta, latiùs præſideres Religione diuina, quã Dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs, ius imperij tui terra mariq́; protuleris: minùs tamen eſt quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit.* Hæc S. Leo.

S. Leo Ser. 1. in natali Apoſt. Petri, & Pauli.

XIII. Ad hæc S. Proſper Aquitaniæ decus, & Sancto Auguſtino admodum carus, quique eius doctrinam contrà Pelagianos egregiè defendit, in libro quem verſibus conſcripſit contrà eoſdem Pelagianos, de eorum hæreſi agens, hæc ſcribit:

——Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta Caput mundo; quidquid non poſſidet armis,
Relligione tenet.

S. Proſper in l. de ingratis contra Pelagianos c. 2.

XIV. Hæc olim antè mille & ducentos circiter annos. Noſtro autem ſæculo propagata eſt fides Romanæ Eccleſiæ in remotiſsimis Orientis & Occidentis regionibus etiam vſque ad fines terræ: adeò quidem, vt iam filij Romanæ Eccleſiæ non rarò

Digitized by Google

commeent ab ortu ſolis vſque ad occaſum, iuxtà
Mal.1.v. Prophetiam Malachiæ:nimirum ab Orientalibus
12. Indijs ad Occidentales, & contrà: totumque terræ globum circumdent, vt fidem Romanæ Eccleſiæ vbique diſſeminent. Quare hac noſtra ætate, prædicata & recepta eſt fides Romanæ Eccleſiæ in pluribus & remotioribus locis, quàm vnquam fuerat à temporibus Apoſtolorum: quod tot Scriptorum litteris, eorum etiam qui hæc oculis viderunt, iam teſtatiſsimum eſt.

XV. Quintò: Eccleſia Chriſti eſt Ciuitas illa ſuper
Matt.5. montem poſita, quæ abſcondi non poteſt. Sic Ro-
v.14. mana Eccleſia à tempore Apoſtolorum ſemper fuit viſibilis, neque vnquam abſcondi poterit. Ex his igitur conſtat omnes proprietates veræ Eccleſiæ conuenire Eccleſiæ Romanæ.

XVI. Quòd autem nulli alteri conueniant hæ proprietates, hinc ſatis compertum eſt, quòd nullam aliam Chriſti Eccleſiam poſsint aduerſarij aſsignare, quæ has habeat proprietates. Quare neceſſe eſt, vt fateantur, Eccleſiam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam: vel certè (quod abſurdiſsimum eſt) Chriſtum à mille & ampliùs annis caruiſſe ſua Sponſa, ſuo Corpore, ſuo Regno, ſua Hæreditate, ſua Ciuitate.

CAPVT XXI.

Romanam Eccleſiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, probatur ex officijs veræ Eccleſiæ.

PRæcedenti capite probauimus, Romanam Eccleſiam, eſſe veram Chriſti Eccleſiam, ex proprietatibus ipſius Eccleſiæ: Sequitur vt idem

idem probemus ex officijs & munijs, quæ veræ Eccleſiæ ſunt peculiaria. Varia ſunt argumenta, quæ ex his deſumi poſſunt: præcipua ſtrictim attingemus.

Primum argumentum ſumitur ex illis ipſis ſignis Eccleſiæ, quæ ponunt aduerſarij, ſincera nimirum prædicatione Verbi Dei, & legitima Sacramentorum adminiſtratione: quæ re vera officia ſunt Eccleſiæ, non ſigna: vt ſuprà diximus. Sed ſiue ſigna ſint illa, ſiue officia, ex his euidenter probamus, Romanam Eccleſiam, & nullam aliam, eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Enimuerò his mille annis elapſis nullibi fuit ſincera prædicatio Verbi Dei, nullibi fuerunt legitimè adminiſtrata Sacramenta, niſi in Romana Eccleſia. Neque enim poſſunt aduerſarij aliam vllam nominare Eccleſiam, in qua hæc facta ſint. Ergo vel Romana eſt vera Eccleſia, vel nulla omninò fuit Eccleſia Chriſti à mille & ampliùs annis. II. *Suprà c. 18. huius Con. §. 3. 4. & 5.*

Neque eſt quòd cum Caluino & Beza reſpondeāt aduerſarij, manſiſſe in Papatu Eccleſiam (neque enim alibi eam inuenire poterunt) ſed ſemirutam, & multis erroribus fœdatam. Nam nos hîc quęrimus veram Chriſti Eccleſiam, non illam profanam, quam depingit Caluinus: nempè in qua ſemiſepultus latet Chriſtus: obrutum eſt Euangelium: profligata pietas: cultus Dei ferè obolitus: Talis enim Eccleſia re vera non eſt Chriſti Eccleſia, ſed Diaboli. III. *Calu. l. 4. Inſt. c. 2. ſect. 11. & 12. Beza de notis Ecc. pag. 145. in fine iuxtà Geneuen. in edit. an. 1582. Cal. ſect. 12. citat.*

Porrò neque eſt hîc recurrendum ad inuiſibilem aliquam Eccleſiam, quam & nobis, & ſibi ipſis planè incognitam introducere ſolent aduerſarij. Nam iam ſuprà ſatis probauimus, Eccleſiam veram Chriſti eſſe omni tempore viſibilem. IV. *Supr. c. 4. huius Contr.*

Digitized by Google

Quare neceſſe eſt, vt aliquam viſibilem Eccleſiàm, præter Romanam nobis demonſtrent, in qua his mille annis elapſis publicè prædicatum ſit Euangelium eo modo, quo ipſi iam prædicant: & adminiſtrata Sacramenta publicè eo modo, quo illi iam adminiſtrant: & quidem continenter, non interruptè: vel certè fateantur, Romanam Eccleſiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam. In hac enim fuit perpetuò & ſine vlla intermiſsione publicè prædicatum vetus & nouum Teſtamentum: publicè adminiſtrata omnia Sacramenta; idque ſyncerè & legitimè iuxtà Chriſti & Apoſtolorum doctrinam: vt infrà oſtendemus in diſputationibus de Sacramentis.

V. *Vide Cẽſuram Orientalis Eccl. à Staniſlao Socolonio Iolono, ex Græco in Latinum conuerſam.*

Lutherani, vt hoc argumentum eluderent, confugerunt aliquando ad Eccleſiam Græcam, vbi dicebant veram Chriſti Eccleſiam permanſiſſe: Sed ab ea protinùs reiecti fuerunt, & condemnati: vt videre eſt in reſponſione Ieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Germanos, Græcè conſcripta, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Neque enim diſſentiunt Græci à Romana Eccleſia in fidei capitibus hoc tempore controuerſis: ſed in vno illo fidei articulo, quòd affirment, Spiritum ſanctum procedere à ſolo Patre, & non à Filio: Quem errorem nobiſcum condemnant etiam aduerſarij omnes, qui Lutherum aut Caluinum ſequuntur.

Rupell. Confeſſ. art. 6.

VI. Quod cùm benè viderent recentiores ſectarij, coguntur tandem confugere ad Hæreticos olim à tota Eccleſia damnatos: inter quos quærunt ſuam Eccleſiam. Vbi tria contra iſtorum audaciam conſideranda ſunt.

VII. *Cap. 3. huius Contr.*

Primum eſt. Quòd vera Eccleſia perpetuò duret: vt ex Scripturis ſuprà oſtendimus: Iſti autem nunquam

nunquam poſſunt oſtendere continuam ſucceſsionem Hæreticorum, ſed duntaxat interruptam: idque longis & multis temporum interuallis. Quod facilè intelligi poteſt ex Genebrardo, Coccio, omnibuſque Scriptoribus rerum Eccleſiaſticarum, cuiuſcunque tandem ſint religionis.

Genebr. in ſua Chrono. Coccius to. 1. l. 8. art. 2. Hiſtor. Magd. Lutheræ.

VIII. Secundum. Non poſſunt aduerſarij omnia ſua dogmata probare ex vno vllo antiquo Hęretico, ſed vnam hæreſim olim damnatam mutuantur ab vno, & aliam ab alio: vt commonſtrant Lindanus & Coccius.

Lindan. in ſuis tabulis. Coccius to. 1. l. 8. art. 3.

IX. Tertium. Neceſſe eſt, vt fateantur aduerſarij, illos à quibus ſuam doctrinam accipiunt, in alijs varijs fidei articulis turpiter erraſſe: proinde apud illos non potuiſſe eſſe veram Eccleſiam. Immò illi antiqui Hæretici non pauca nobiſcum contrà aduerſarios noſtros firmiſsimè crediderunt: vt de omnibus apertè & amplè oſtendunt NICOLAVS Sanderus, GABRIEL Prateolus, & Coccius.

Sanderus l. 7. de viſibili Monar. Eccleſ. Prateol. in Elenc. Haret. Coccius to. 1 l. 8. art. 3. & 4.

X. Secundum argumentum. Officium veræ Eccleſiæ eſt parere filios Chriſto, hoc eſt, infideles atque gentiles ad Chriſtianam fidem ab Idololatria conuertere. Hoc præſtitit Romana Eccleſia, non ſolùm primis quingentis aut ſexcentis annis poſt Chriſtum, vt agnoſcunt aduerſarij: ſed etiam poſteà ſingulis ætatibus. Nam poſt ſexcenteſimum annum Chriſti omnes hæ nationes ad fidem Chriſti ſunt conuerſæ per filios Romanæ Eccleſiæ: Germani, Francones, Boioarij, ſeu Bauari, Vandali, Bulgari, Sclaui, Poloni, Dani, Moraui, Hungari, Noruegij, Friſones, Normanni, Sueti, VViſigothi, Liuonij, vt teſtantur non ſolùm Scriptores Catholici, quos collegit Baronius,

Bar. to 9. 10. 11 12. Magd. Cent. 7.

ronius, ſed etiam ipſi aduerſarij, in ſuis Eccleſia-
B. 9 10. 11. 12. 13. vbi cap. 1. ſticis Hiſtorijs. Noſtro autem ſæculo quàm multi ab Idololatria ad fidē Chriſti couerſi ſint, in Indijs Orientalibus & Occidentalibus, per Concionatores Romanæ ſolius Eccleſiæ, nemo eſt qui ignoret.

XI. Tertull. de præſcr. aduerſus Hæretic. cap. 42. Hoc officium Eccleſiæ olim obſeruauit Tertullianus: *De Verbi adminiſtratione* (inquiens) *quid dicam? cùm hoc ſit negotium illis* (de Hæreticis loquitur) *non Ethnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi.*

XII. S. Aug. to 6. l. 13. contra Fauſtum Manich. c. 12. Ier. 7. v. 11. Et S. Auguſtinus ob hanc eandem cauſam dicit Hæreticos aſsimilari perdici apud Prophetam Ieremiam, vbi dicitur: *quòd perdix fouet, ſeu congregat, quæ non peperit:* Hæreticos namque ſeducere Chriſtianos, quos iam per ipſius Chriſti Euangelium natos inueniunt, affirmat ſanctus Auguſtinus.

XIII. Mat. 16. v. 18. S. Hilar. l. 7 de Trin. circa princ. Tertium argumentum. Proprium Eccleſiæ munus eſt, præualere contrà omnes perſecutores: *Portæ inferi* (inquit Dominus) *non præualebunt aduerſus Eccleſiam meam.* Hinc illud S. Hilarij: *Hoc Eccleſiæ proprium eſt, vt tunc vincat, cùm læditur; tum intelligatur, cùm arguitur; tum obtineat, cùm deſeritur.* Eccleſia verò Romana multas hactenus perſecutiones, & contradictiones, oppugnationes & calumnias ſuſtinuit, ſed perpetuò reportauit victoriam, & à Gentilibus, & ab Hęreticis, & à malis Chriſtianis Eccleſiam perſequentibus. Quemadmodum teſtantur & hiſtoriæ omnes Eccleſiaſticæ, & ipſa experientia. Nam in hodiernum vſque diem per mille & ſexcentos ferè annos perſeuerat firma, immobilis & inuicta ab omnibus ſuis aduerſarijs.

XIV. Coaceruant quidem aduerſarij in varijs libris

contrà

Digitized by Google

contrà Romanum Pontificem editis multos, qui *Baleus*
ſingulis ferè ætatibus ſeſe oppoſuerunt Romanis *& Mag.*
Pontificibus. Sed neminem inuenire poſſunt, qui *Centuri-*
vnquam Romanam Eccleſiam euerterit. Scimus *atores.*
nunquam deeſſe malos, qui ſe opponunt pijs Dei
cultoribus: ſed vincuntur omnes tandem ab Ec- *Mat. 16.*
cleſia, victoriam autem nunquam conſequuntur. *v. 18.*
Neque enim dixit Chriſtus, quòd portæ inferi
non oppugnabunt Eccleſiam ſuam, ſed quòd non
præualebunt aduerſus eam.

XV. Denique quot oppugnatores Romanæ Eccleſiæ congerunt aduerſarij, tot clara trophęa vel inuiti erigunt, quibus Romanæ Eccleſiæ triumphi poſteris commendantur; Enimuerò non poteſt ſubſequi inſignis victoria, niſi pugna præceſſerit. Sicque verè in Romana Eccleſia completum eſſe illud vidimus, quod tot ſæculis anteà à regio Propheta Dauide in perſona veræ Dei Eccleſiæ *Pſal. 128. (vel iuxta Heb. 129.) v. 2.* prædictum fuerat: *Sapè expugnauerunt me à iuuentute mea: Etenim non potuerunt mihi.* Quod Hebraicè ſignificantiùs habetur ad hunc modum. רבת צררוני מנעורי גם לא־ יכלו לי hoc eſt: *Sapè & multum* (vtrumq; enim ſignificat vox Hebræa רבה) *oppugnando afflixerunt me à pueritia mea: ſed non præualuerunt mihi,* ſeu *aduerſus me.*

XVI. Hanc perpetuam Romanæ Eccleſię victoriam contrà hoſtes ſuos non obſcurè olim prædixit S. Paulus, cùm ita ſcriberet ad eandem Romanam *Rom. vlt. v. 20.* Eccleſiam: *Deus pacis conteret Satanam ſub pedibus veſtris velociter.* Etenim in omnibus Græcis codicibus verbum (*conteret*) eſt indicatiui modi, non optatiui, in Græco namque eſt συντρίψει non autem συντρίψοι. Hinc illa Caluini verba: *Promiſſio* *Cal. in eundem locum ad Rom.* (inquit) *magis eſt ad eos corroborandos, quàm precatio.*

XVII. *Beza in eundem locum ad Rom.*

At Beza quamuis fateatur ſic habere omnes Græcos codices,quos ipſe inſpexit , nihilominus contendit in odium Romanæ Eccleſię,etiam contra ſuum præceptorem Caluinum , hanc non eſſe promiſsionem , ſed precationem. Quod quidem ridiculè ſatis conatur probare in vltima ſua editione annotationum in nouum Teſtamentum anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi octaui , ex Syro nimirum interprete,quem ait legere , *conterat*,in optatiuo modo;non *conteret*,in indicatiuo. Sed multùm fallitur Beza: nam Syri carent prorſus optatiuo , ſicut & Hebræi & Chaldæi; nec illum exprimere ſolent,niſi per indicatiuum. Quare imperitè admodum ſcribit Beza Syrum vti optatiuo, non indicatiuo. Verùm Beza videtur deceptus latina verſione ſui Tremellij,qui ex Syriaco (fortè vt Bezæ gratificaretur) vertit latinè *conterat*;in optatiuo: ſed id fecit TREMELLIVS propria ſua authoritate , non SYRI interpretis.

XVIII. *S. Chryſ. Hom 32. in c.16. ad Ro ad v.20.*

Confugit tandem Beza ad vulgatam noſtram editionem , quam hoc in loco præfert omnibus Græcis codicibus, Verùm enimuerò vtraque lectio eſt bona & retinenda ; neutra repudianda: Rectè enim ſcribit S.Chryſoſtomus in hæc verba, quòd hoc ſimul erat & precatio & prophetia. Certè precationem hanc S. Pauli exauditam fuiſſe à Deo , manifeſtè oſtendit rerum euentus: quare optimè dicit S. Chryſoſtomus hanc & precationem fuiſſe,& prophetiam.

XIX. *S. Hier. in Apol aduerſus Ruffinũ. S Cypr. Epiſt 55. ad Cornel. l. 1. Epiſt 3.*

Hunc eundem Apoſtoli locum reſpexiſſe videtur S. Hieronymus,cùm ſcribit, *Romanam fidem, etiam ſi Angelus aliter annunciet,quàm ſemel prædicatum eſt , Pauli authoritate munitam, non poſſe mutari.* Et antè illum ſanctus Cyprianus cùm ait,

Roma-

Romanos eſſe, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.

Quartum argumentum. Officium veræ Eccleſiæ eſt fidem ſartam tectam & illibatam perpetuò conſeruare: quod tunc fit, cùm illa omnes hæreſes prodit, & damnat: dubiaque omnia circa fidei dogmata orientia diſſoluit, & enucleat. Adhæc pertinacibus & minùs morigeris ſilentium imponit: Denique libros pernicioſos cenſura notat, ne ſcilicet hi damnum vllum inferant Catholicis, vel in fide, vel in moribus. Hæc omnia à temporibus Apoſtolorum huc vſque præſtitiſſe Romanam Eccleſiam, & aliam præterea nullam, manifeſtum eſt ex omnibus Hiſtoriographis. Imò non paucæ ſunt hæreſes (quas damnant etiam aduerſarij) quæ à nullo generali Concilio, ſed à ſola Romana Eccleſia, olim condemnatæ fuerunt, vt Pelagianorum, Donatiſtarum, Priſcillianiſtarum, &c. XX.

Quintum argumentum. Officium veræ Eccleſię eſt ſuo nomine, & communicatione diſtinguere veros Catholicos à falſis: atqui Romanæ Eccleſiæ nomine, & communicatione ſemper diſtinguebantur Catholici ab Hæreticis, *Percunctatus eſt ab Epiſcopo* (inquit S. Ambroſius de ſuo fratre loquens) *vtrum cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, cum Romana Eccleſia, conueniret*: Ita S. Ambroſius & S. Victor Vticenſis S. Auguſtini ęqualis teſtatur, Arrianos conſueuiſſe Catholicos appellare Romanos & Romanenſes. Idem de Gotthis Arrianis, qui olim fuerunt in Hiſpania, ſcribit S. Greg. Turonenſis. Epiſcopi etiam Hiſpaniæ ab Arianiſmo conuerſi ad fidem Catholicam, inter cætera anathematizarunt librum quendam ab Arrianis editum hoc titulo; *Romanorum ad Arrianam Eccleſiam traductio.* Sic Paulitiani Hæretici Catholicos vocabant XXI.

S. Ambroſius in oratione de obitu fratris ſui Satyri.

S. Vict. l. 1. & 2. de VVandalica perſequutione.

S. Greg. Turon. l. 1. de gloria Mart. c. 25. 79. & 80.

Vide Cõcil. 3. Tolet. in principio. Et Bar. to. 7. an. 589. n. 35. in fine. Euthym. 2. parte Panoplia tit. 21.

cabant Romanos teſte Euthymio. Sic denique hodierna die Catholici ab aduerſarijs noſtris vocantur Papiſtæ Romanenſes à Papa & Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ.

XXII. Sextum argumentum. Officium veræ Eccleſię eſt conſeruare fideliter, & perpetuis temporibus, ſacram Scripturam: Porrò non aliam Eccleſiam Scripturæ ſacræ cuſtodẽ aſsignare poſſunt aduerſarij, quàm Romanam. Eſt igitur illa ſola vera Chriſti Eccleſia. Non enim acceperunt aduerſarij ſacram Scripturã è Cœlo, aut ab vlla inuiſibili Eccleſia: ſed à Rõ. Eccleſia viſibili. Hinc illud Caluini: *Certo certius eſt* (inquit) *omnium Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta non aliter perueniſſe ad poſteros, quàm de manu in manum, vt ita loquar, perpetua annorum ſerie à Patribus tradita.* Hæc ille. Sed nemo aduerſarijs tradidit Biblia de manu in manum, niſi Romana Eccleſia. Quare tam certum eſt Romanam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam, quàm Scripturam ſacram eſſe verè ſacram: cùm non aliter ſciamus hanc, quam habemus, eſſe verè ſacram: quam per authoritatem, traditionem, & teſtimonium Romanæ Eccleſiæ.

Calu. l. 1. Inſt. c. 8. ſect. 9. in fine.

XXIII. Huc ſpectat & illud, quod ſuprà probauimus, Eccleſiam veram dare Scripturis non tantùm nudum teſtimonium, ſed etiam authoritatem: hoc enim abundè præſtat vna Romana Eccleſia, & præterea nulla.

Suprà c. 15. huius Contr.

XXIV. Septimum argumentum. Officium veræ Eccleſiæ eſt iudicare de omnibus controuerſijs, quæ oriuntur inter Chriſtianos, ſiue de fidei dogmatibus, ſiue de alijs negotijs Eccleſiaſticis: vt ſuprà etiã demonſtrauimus. Atqui ad Romanã Eccleſiã, & non ad aliã vllã afferebantur ſẽper controuerſię omnes, quæ in Eccleſia naſcebantur, ſiue de fide, ſiue

Suprà c. 17. huius Contr.

ſiue de alijs rebus Eccleſiaſticis. Ad hãc nãq; omnes confugiebãt, qui iniuriã patiebantur vt ad ſedẽ Petri, & ſupremã Eccleſiã. Sic S. Athanaſius Patriarcha Alexandrinus, & ſic eius ſucceſſor Petrus; ſic S. Ioannes Chryſoſtom. Patriarcha Conſtantinopolitanus, alijque innumeri: de quibus Bellarminus, & fuſius Baronius: quod nec Caluinus ipſe negare poteſt.

Bellar. l. 2. de Rom. Pon. c. 18. 19. 20. & 21. Baron. to. 3. 4. 5. 6. & 7. Calu. l. 4. Inſt. c. 8. ſect. 16.

XXV. Huc etiam ſpectat quòd Eccleſia Romana cõfirmauerit omnia Concilia generalia legitima, vt oſtendit etiam Bellarm. & copioſius Baronius per ſingulas ætates.

Bellar. l. 1. de Eccleſ. militante. c. 19. Baron. locis citatis.

XXVI. Octauum argumentum. Officium veræ Eccleſiæ eſt ordinare & conſtituere legitimos Paſtores & adminiſtros Sacramentorum: ordinariamque vocationem ſemper conſeruare: vt ſuprà etiam probauimus. Sed nullam aliam veram Eccleſiam, præter Romanam, poſſunt aduerſarij deſignare, quæ ſemper habuerit hanc ordinariam vocationem & continuam Paſtorum ſucceſsionem, ordinariamque poteſtatem mittendi, & inſtituendi Paſtores in Dei Eccleſia.

Cap. 8. huius Contr.

XXVII. Nonum argumentum. Officium veræ Eccleſię eſt, docere verãm fidem, ſine vllo errore, ita vt in nulla prorſus doctrina ad ſalutem ęternam neceſſaria errare poſsit, vt ſupra apertè ex Scripturis probauimus. Atqui aduerſarij nullam aliam Eccleſiam, præter Romanam, demonſtrare potuerunt, quæ ſæpius in fide non errauerit. Sed neque audent aduerſarij affirmare vllam adhuc eſſe apud eos Eccleſiam viſibilem, quæ errare non poſsit in fide. Porrò Romanam Eccleſiam nunquam hactenus in fidei doctrina erraſſe, manifeſtè oſtendunt Sanderus, Bellarm. Coccius, & ampliſsimè Baron.

Cap. 7. huius Controu. Sanderus de viſibili Monar. Eccl. per totũ l. 7. Bellar. in quinque libris de Rom. Põt. Coccius to. 1. l. 7. art. 11. & ſeq.

Vbi & hoc obſeruandum eſt, quòd in omnibus

alijs

Baron. per omnes 12.40. alijs Eccleſijs ab Apoſtolis fundatis, etiam Patriarchalibus, fuerint non tantùm hæreſes, ſed & XXVIII. Epiſcopi Hæreſiarchæ non pauci: Sola autem Romana Eccleſia, inter omnes illas, quas fundarunt ipſi Apoſtoli, ſemper manſerit immaculata, & pura ab omni hæreſi. Id quod Caluinus ipſe non obſcurè agnoſcit, cùm ſcribit, quòd Romana Eccleſia tempore antiquarum hæreſum, non ita tumultuata ſit, vt reliquæ Eccleſiæ, & quod doctrinę ſemel ab Apoſtolis traditæ fuerit alijs omnibus tenacior. Verùm ille hoc malè adſcribit viribus naturæ, & ingenio Romanorum, non diuinæ prouidentiæ, & gratiæ.

Calu. l. 4. Inſt. c. 6. ſect. 16. ſub finem

XXIX. Longè meliùs antiqui Romani Pontifices, qui id vbique adſcribunt ſingulari Dei prouidentiæ, orationiq; Chriſti, de qua videlicet loquitur ipſe Chriſtus, cùm ait: *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Equidem ſeptem antiquos Romanos Pontifices adducit Bellarminus, qui hoc orationi illi Chriſti attribuunt.

Luc. 22. v. 32. Bellar. l. 4. de Rō. Pont. c. 3.

XXX. Decimum argumentum. Proprium officium veræ Eccleſiæ, & præcipuum, eſt, perducere homines ad æternam ſalutem: Adeo vt ſine eius ope, & extra illam, nulla ſit prorſus ſpes ſalutis: vt ſuprà probauimus, etiam ex aduerſariorum doctrina. Quærimus ergo ab aduerſarijs vtrum maiores noſtri, qui ſub Romano Pontifice vixerunt his mille annis elapſis, damnati fuerint omnes, an non? Damnatos non audent affirmare: atqui ſalus nulla eſt extra veram Eccleſiam: fuit igitur Romana Eccleſia, vera Chriſti Eccleſia, in qua illi vixerunt, & ſalutem æternam conſecuti ſunt.

Suprà c. 2. huius Contr.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXII.

Ex ſignis veræ Eccleſiæ oſtenditur Romanam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam.

DEMONSTRAVIMVS ſuprà ex ipſis Scripturis quatuor eſſe certiſsima ſigna veræ CHRISTI Eccleſiæ, quæ omnia probant Romanam Eccleſiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam. I. *Cap. 9. huius Contr.*

Primò quod attinet ad vnitatem fidei & doctrinæ: eandem fidem habet Eccleſia Romana in omnibus fidei dogmatibus, cum primitiua Eccleſia, & cum Eccleſia, quæ durauit his mille & ſexcentis ferè annis elapſis: Quemadmodum ex antiquorum & recẽtiorum ſcriptis perſpicuè probat Coccius: Idq́; in ſingulis articulis hac ętate controuerſis. Et nos inferiùs in ſingulis etiam oſtendemus conſenſum Romanæ Eccleſiæ, cùm Scripturis & antiqua Eccleſia. Contrà verò inter aduerſarios ſummæ & plurimæ ſunt rixæ & diſſenſiones in dogmatibus fidei, omneſq́; ſeſe mutuò damnant hæreſeos; quemadmodum ex ipſis aduerſariorum ſcriptis apertè commonſtrat idem Coccius; vt proinde manifeſtum ſit in Romana Eccleſia ſummam eſſe omnium vnitatem & conſenſionem de vniuerſis fidei dogmatibus: apud aduerſarios verò ſummam eſſe diſſenſionem de fidei articulis ferè omnibus. II. *Coccius in duobus tom. ſui Theſauri.* *Coccius to. 1. l. 8. art. 7. 8. 9. & 10.*

Qua in re illud maximè eſt attendendũ, quòd iſtud non eueniat aduerſariis per accidens duntaxat, ſeu ex quorundam tantùm particulariũ malitia, vt ipſi aiunt: ſed per ſe, ex ipſamet nimirum natura & conditione doctrinæ ipſorum. Nam III.

docent

docent nullum debere eſſe ſuperiorem, cui omnes obediant. Nullum iudicem controuerſiarum, cuius definitionem omnes ſequantur: Adhæc quiuis illorum docet quod ſibi videtur: & quiuis etiam dedignatur ab alio corrigi: ex quibus neceſſe eſt, vt conſequantur lites quamplurimæ.

IV. At in Romana Eccleſia longè aliter res ſe habet. Enimuerò ſi oritur quæſtio, quæ poteſt decidi & determinari ex Verbo Dei, hanc ſtatim determinat Romana Eccleſia: prohibetque ſub anathemate, ne vllus contrarium doceat: atque ita ceſſat ſtatim omnis cõtrouerſia apud Catholicos. Quòd ſi res ſit obſcura in Verbo Dei, nec ad ſalutem neceſſaria, præcipit Romana Eccleſia vtrique parti, ne aliam condemnet, vt de Conceptione Beatæ Virginis Mariæ factum videmus. Atque in hunc modum tollitur omnis materia litium. Quo argumento conuicti Lutherani, agnoſcunt primatum Romani Pontificis valdè vtilem eſſe Eccleſię ad vnionem retinendam: vt paulò pòſt ex ipſorum ſcriptis demonſtrabimus.

Vide Cõcil. Trid. ſeſſ. 5. poſt. Can. 5. Infrà hic c. 24. §. 4. & ſequentibus.

V. Secundò, quod ſpectat ad ſanctitatem Eccleſię, à principio huc vſque ſemper fuiſſe Sanctos & pios in Romana Eccleſia breuiter & ſuccinctè oſtẽdit Coccius: Imò in ea nunquam defuiſſe aliquos, qui facerent miracula: deinde & impietatem aduerſariorum ibidem probat: nullaq; apud illos vnquam extitiſſe miracula. Quin Caluinus ipſe ſuorum ſummam improbitatem non ſemel agnoſcit.

Coccius l. 8. citato art. 11. Coccius eodem l. art. 12, 13. 14. Cal. Cõc. 10. gall. in epiſt. ad Eph. Conc. 30. in c. 11. ep. 1. ad Cor. & Conc. 9. ſub finem, in 1. ad Tim.

Certè illam non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, quæ dono miraculorum prorſus deſtituitur, ſatis probant illa Chriſti verba: *Signa eos qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum*

rum uid biberint, nõ eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. Quam Chriſti promiſſionem non ad Apoſtolorum duntaxat ætatem coarctandam eſſe, ſed ad vniuerſam Chriſti Eccleſiam pertinere, neceſſe eſt, vt fateamur; niſi velimus dicere poteſtatem prædicandi Euangelium, & adminiſtrandi Baptiſmum (quæ ea ipſa promiſsione continetur) ad Apoſtolorum duntaxat ætatem pertinuiſſe. Porrò Sanctos, qui vixerunt in Romana Eccleſia, omnia illa miracula, quæ Chriſtus ibi enumerat, edidiſſe ſatis conſtat ex ijs quæ Coccius refert. VI. *Marci 16. v 17 & 18.*

Hic etiam notatione dignum eſt hanc impietatem & ſanctitatis priuationem apud aduerſarios non per accidens duntaxat naſci, videlicet ex malitia hominum, vt apud nos, ſed illam naſci ex ipſa doctrina aduerſariorum. Docent enim aduerſarij, nemini verè remitti peccata: nulli ineſſe veram ſanctitatem coram Deo: non eſſe liberum arbitrium ad bona opera: nullũ opus iuſti eſſe perfectum coram Deo, aut meritorium: Omnia tam bona quàm mala neceſſariò fieri ex certa quadam prædeſtinatione: nullam eſſe neceſſariam ſatisfactionem pro peccatis: nulla opus eſſe peccatorum confeſsione: bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem, aut vitam æternam: mandata Dei eſſe impoſsibilia; & alia huiuſmodi paradoxa, de quibus infrà ſuis in locis. Quæ omnia maximè incitant homines ad ſcelera, & impietatem. At contra tota doctrina Romanæ Eccleſiæ homines ad bona opera & pietatem vehementer inflãmat. *Coccius art. 13 citato.* VII.

Tertiò, quòd Eccleſia Romana ſit Catholica, & quidẽ quòd illa non olim duntaxat tẽpore antiquorum Patrum fuerit Catholica, ſed quòd ea etiam hoc tempore non minus ſit Catholica, quã VIII.

olim:

Digitized by Google

Supra c. 20. huius cõtr. §. 14. Bozius de ſignis Eccle.

olim: & ſuprà oſtendimus, & idem fusè probat Thomas Bezius. Nam quamuis videtur fides Romana defeciſſe in varijs locis Europæ, tamen in Aſia, Africa & vaſtiſsimis illis Indijs orientalibus & occidentalibus mirum in modum creuit creſcitque adhuc indies. Porrò, hac nota deſtitutas eſſe aduerſariorum Eccleſias, nulli dubium eſt.

IX. Denique, quòd Romana Eccleſia ſit Apoſtolica, ſatis conſtat ex continua ſucceſsione à Sancto Petro vſque ad Paulum V. qui iam præeſt Romanæ Eccleſiæ: Quam ſucceſsionem breuiter recenſet Coccius, & quam nunquam oſtendent Aduerſarij.

Coccius l. 8. citato art. 2.

V. Sed neque poteſt negare Caluinus, quin SS. illi Patres, Irenæus, Auguſtinus, Optatus, & alij quàmplures, dum diſputarunt contra Hæreticos antiquos, vſi fuerint hoc argumento, quòd deſumitur ex continua ſucceſsione Romanorum Pontificum; Sed dicit eos id feciſſe, quod vſque ad eorum ætatem nihil mutatum fuerit Romæ in doctrina ab Apoſtolis tradita. Verùm neque adhuc quicquam mutatum eſt in doctrina, quæ fuit Romæ tempore S. Auguſtini: & præterea eadem durat Succeſſio. Neque enim dicimus (quòd falsò nobis imponit Caluinus) ſolam ſuccèſsionem perſonarum, ſine vera doctrina, ſufficere: Verùm ſucceſsionem tam perſonarum, quàm doctrinæ, vrgemus: cùm conſiſtere non poſsit doctrina ſine perſonis quæ docent.

Calu. l. 4. Inſt. c. 2. ſect. 3 ſub finem.

Calu c. 2. citato ſect. 2.

CA-

CAPVT XXIII.

Romanæ vrbis Eccleſiam eſſe ſupremam inter Chriſti Eccleſias viſibiles, conuincitur ex Scripturis.

PRAETER argumenta hactenus allata ex proprietatibus, officijs, & ſignis veræ Eccleſiæ, quibus probauimus Romanam Eccleſiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam: Sunt & alia pleraque, quæ ex Scripturis ſacris deduci poſſunt; de quibus Bellarminus & Sanderus. Nos breuitati conſulentes duo duntaxat præcipua loca afferemus, quibus euincitur; Romanam Eccleſiam non tantùm eſſe veram Eccleſiam, ſed etiam illam, quę in vrbe Roma eſt, cæteris omnibus mundi Eccleſijs à Chriſto prælatam eſſe, quatenus ei præſidet ſucceſſor S. Petri Apoſtolorum Principis. I. *Bellarm. & Sanderus locis citatis ſuprà c. 21. § 27. in fine.*

II. Prior locus extat apud S. Matthæum: refert enim S. Matthæus, quòd Chriſtus ita loquutus ſit ad Beatum Petrum: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo Claues Regni Cœlorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* *Mat. 16. v. 18 & 19.*

III. In primis quòd Chriſtus Sancto Petro loquatur, & non alijs Apoſtolis, apertè docet contextus verborum: nam primùm omnium ponit Chriſtus nomen antiquum S. Petri: *Beatus es* (inquit) *Simon*, deinde nomen patris illius, *Bariona*, id eſt *filius Ionæ*, ſeu, *Ioannis*: vt & alibi apud S. Ioannem. Poſtea reuelationem oſtendit ſoli B. Petro factam eſſe: *Reuelauit* (inquit) *pater meus tibi*: non dixit, *Ioa. 1. v. 42. & Ioan. 21. v. 15.*

vobis, ſicut ſolet loqui, cùm omnes alloquitur. Adiecit præterea: *Quia tu es Petrus*: quod ſoli S. Petro conuenire certum eſt: illi enim ſoli impoſitum fuit hoc nomen, Ioannis 1. v. 42.

IV. Adiungit porrò Chriſtus: *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. vbi particula, *Et*, cauſalis eſt, non copulatiua; idem ſignificans quod, *Quia*, *Quoniam*, *Nam*: quemadmodum & litera *Vau*, apud Hebræos. Enimuerò particulam, *Et*, ita ſæpiſsimè vſurpari in Scripturis, ne aduerſarij quidem ipſi negare poſſunt: verbi gratia cùm dicitur in Geneſi: *En morieris propter mulierem quam tuliſti, & habet virum*. hoc eſt, *quia habet virum*. Sic in Pſalmis: *Da nobis auxilium de tribulatione, & vana ſalus hominis*, id eſt, *quia vana ſalus hominis*. Similiter apud Prophetam Iſaiam: *Salus mea non morabitur, & dabo in Sion ſalutem*, id eſt, *quia dabo*. Et rurſus: *Ecce tu iratus es, & peccauimus*: hoc eſt, *quia peccauimus*. Quę loca fatetur Caluinus ipſe ita eſſe intelligenda. Simili modo & in nouo Teſtamento: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, id eſt, *quia benedictus*: vt agnoſcunt Cal. & Beza ibidem poſt Theophylactum. Item: *& nemo illi dabat*, id eſt, *quia nullus ei quicquam dabat*, vt vult Cal. ibidem. Item, *& propè erat paſcha*, id eſt, *quia propè erat*, vt interpretatur ibidem Beza: denique: *Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit & peccatum eſt iniquitas*, hoc eſt, *quia peccatum eſt iniquitas*: Beza ibidem. Quibus addi poſſunt, & iſta: *Exaudita eſt oratio tua & vxor tua pariet*: id eſt, *quia vxor tua pariet*. Et: *Scrutamini Scripturas, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*: id eſt, *quia illæ ſunt*.

Gen. 20. *v.* 3. *Pſal.* 59. (*vel* 60.) *v.* 13. & *Pſal.* 107. (*vel* 108.) *v.* 13. *Iſai.* 46. *v. vlt.* *Iſa* 64. *v* 5 *Cal. in ead. loca.* *Luc.* 1. *v.* 42. *Luc.* 15. *v.* 16. *Ioan.* 2. *v.* 13. 1. *Ioan.* 3. *v.* 4. *Luc.* 1. *v.* 13. *Ioan.* 5. *v.* 39.

V. Senſus igitur huius loci eſt. Sicut tu dixiſti mihi, tu es Chriſtus Filius Dei viui: Ita ego dico tibi,

quòd

quòd te meritò vocaui Petrũ, *nam ſuper hãc Petram* *Ioan. 1. v.*
quæ tu es, ædificabo Eccleſiã meã. Quorſũ enim dixiſ- *42.*
ſet illi Chriſtus, tu eſt Petrus (cùm omnes ſcirent,
Petrum eſſe Petrum) niſi vt indicaret, Petrum
non ſine cauſa ita fuiſſe appellatum: nimirũ quia
ſuper ipſum, vt ſuper fundamentum & petram,
fundaturus erat ſuam Eccleſiam. Reuocat itaque
Dominus Petrum in memoriam nominis illi o-
lim impoſiti: Deinde cauſam & rationem huius *Ioan. 1. v.*
appellationis aſsignat, quia ſuper ipſum tanquam *42.*
ſuper petram quandam firmiſsimam ædificaturus
erat ſuam Eccleſiam. *Secundùm metaphoram Petræ*
(inquit S. Hieronymus) *rectè dicitur ei: ædificabo* *S. Hier. in*
Eccleſiam meam ſuper te. *c. 16. S.*
Matt ſuper illa verba: Quia tu es Petrus.

Solet namque Scriptura, cùm refert nomen ex
vocis interpretatione alicui impoſitum, etiam ad-
iungere cauſam huius appellationis: ſic dicit Do-
minus ad Abram: *Non vltra vocabitur nomen tuum* VI.
Abram, ſed appellaberis Abraham. Deinde rationem *Gen. 17.*
ſtatim adiungit ex ipſa nominis etymologia de- *v. 5*
ſumptam: *Quia Patrem multarum gentium conſtitui* *Gen. 32.*
te. Sic quando Iacob vocatus eſt Iſrael. Sic quan- *v. 28.*
do Seth nomen ſuum accepit: Sic quando Noe: Sic *Gen. 4.*
quando cæteri antiqui Patres veteris Teſtamenti. *v. 25.*
Sic in nouo Teſtamento, quando ipſe Dominus *Gen. 5.*
noſter vocatus eſt Ieſus. *Vocabis* (inquit Angelus *v. 29.*
Ioſepho) *nomen eius Ieſũ; ipſe enim ſaluũ faciet po-* *Matth. 1.*
pulum ſuum à peccatis eorum. Vbi & hoc obſeruan- *v. 21.*
dum eſt, quòd quando additur ratio appellatio-
nis deſumptæ ab etymologia nominis, ſoleat ali-
quando litera ו *Vau*, hoc eſt, (*&*) ſumi pro כי (id *Cain e-*
eſt) (*quia*) eodem planè modo quo & hoc loco: *nim ſig-*
vt videre eſt, Geneſ. 4. v. 1. In Hebræo enim ita *nificat*
ad verbum ſcribitur de Eua: *Concepit & peperit* *poſſeſſio-*
Cain & dixit, poſſedi hominem per Deum; hoc eſt, *nem ſeu poſſeſſum.*

K 2 quia

ſanctus Cyprianus) *Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Et iterum eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit; Paſce oues meas. Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater &c. Si cui remiſeritis peccata, &c. Tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit: & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis* (*nimirum ante iſta verba Chriſti ad B. Petrum, paſce oues meas*) *ſed exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & Cathedra vna monſtretur.* Hactenus ſanctus Cyprianus.

Matt. 16. v. 18. 19. Ioa. 21. v. 17. Ioan. 20. v. 21 22. & 23.

XI. Iam verò has Chriſti promiſsiones non ad ſolam Petri perſonam pertinere, ſed etiam ad eos omnes, qui in eodem officio illi erant ſucceſſuri, vſque ad finem mundi, ita probamus. Primò, B. Petrus hic conſtituitur fundamentum Eccleſiæ, & petra, ſupra quam illa ædificatur: atqui Eccleſia Chriſti ſemper manet: ergo & fundamentum illius. Non enim poteſt res vlla conſiſtere ſine ſuo fundamento.

XII. Deinde claues iſtæ manent ſemper in Eccleſia, vt omnes agnoſcũt, ergo & ille cui claues ſunt datæ. Similiter poteſtas ligandi & ſoluendi ſemper manet in Eccleſia. Neque enim data eſt iſta poteſtas, aut datæ ſunt claues illæ, propter B. Petrum ſolùm, ſed propter Eccleſiam, quæ ſemper manet. Eccleſia igitur & Claues, & poteſtatem ligandi atque ſoluendi ſemper retinet in Petro, & eius ſucceſſoribus.

XIII. Atque hoc eſt, quod dicit S. Leo cùm ſcribit, B. Petrum in hodiernum vſque diem Eccleſiam gubernare (videlicet per ſuos ſucceſſores) idque adeò, vt eius dignitas in indigno etiam hærede nõ deficiat. Porrò alius ſucceſſor B. Petri, quàm Romanus Pontifex nunquam hactenus agnitus eſt in Eccleſia Chriſti: eſt igitur Romanus Pontifex B. Petri ſucceſſor & ſupremus Eccleſiæ Epiſcopus: eſtque Romana Eccleſia non tantùm vera Chriſti Eccleſia, ſed & cæteris omnibus ab ipſo Chriſto prælata.

S. Leo ſer. 2. in anniuerſario aſſũptionis ſuæ ad Pont.

XIV. Secundus locus: *Paſce agnos meos, paſce oues meas:* ait Dominus S. Petro. Quibus verbis non tantùm cõmẽdauit Dominus B. Petro, agnos ſuos, qui populũ ſignificant: ſed etiam oues ſuas: quibus ſignificantur Paſtores & Patres populi: *Prius agnos,* (inquit Euſebius) *deinde oues Petro commiſit, quia non ſolùm Paſtorem, ſed Paſtorũ Paſtorẽ eum conſtituit: paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oues: Paſcit filios, paſcit & matres: Regit & ſubditos & Prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt quia præter agnos & oues in Eccleſia nihil eſt.* Hactenus Euſebius. Et ſanctus Bernardus: *Oues meas, inquit Chriſtus. Cui non planũ non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes. Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil.* Ita ſanctus Bernardus. Et ſanctus Leo: *Omnes propriè regit Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.*

Ioan. 21. v. 15. 16.

Euſ. Emiſſ. ſer. in Nat. S. Ioa. Eu.

S. Bernar. de conſid. ad Eugẽ. l. 2. c. 8. S. Leo ſer. 3. de aſſũpt. ſua ad Pont.

XV. Præterea beato Petro, non alijs Apoſtolis, hæc dicta eſſe conſtat: ſiquidem Chriſtus ter illum ſolum interrogat: *amas* (inquiens) *me*: imò & addit *plus his*, vt ſanctum Petrum manifeſtè diſcernat à cæteris Apoſtolis.

Ioa. 21. v. 15.

XVI. Denique conſtat hanc promiſsionem Chriſti nõ ſpectare ad ſolã perſonã B. Petri, ſed etiam ad ſucceſſores eius, qui perpetuò in Eccleſia remanſuri

ſuri erant. Nam officium Paſtoris ordinarium eſſe atque perpetuò in Eccleſia permanere & Apoſtolus apertè teſtatur, & agnoſcunt noſtri aduerſarij. *Eph. 4. v. 11. Cal. & Beza ibid. Cóf. Rupell. art. 25.*

Eò etiam maximè, quòd non minùs egeamus nos iam Paſtore ſupremo, quàm indigebant illi, qui erant in primitiua Eccleſia, dum adhuc viuerent Apoſtoli: Imò quòd nunc multò magis indigeamus tali Paſtore. Denique manent perpetuò oues Chriſti, manebit igitur perpetuò & earum omnium Paſtor. Eſt igitur Romana Eccleſia non tantùm vera Chriſti Eccleſia, ſed illa etiam, in qua reſidet ſucceſſor S. Petri, & ſummus Paſtor totius Eccleſiæ Chriſti. XVII.

Cæterùm hæc duo loca adeò ſunt perſpicua, vt eludi non poſsint, niſi voces penè omnes ad metaphoricas, aut certè improprias ſignificationes detorqueātur. Quod eſt vſitatum aduerſariorum perfugium, cùm apertis ſacræ Scripturæ verbis oppugnantur. Verumenimuerò contra omnes huiuſmodi aduerſariorum corruptelas firmiſsimè retinenda eſt illa Catholica Catholicæ Eccleſiæ Regula; ex ſancto Auguſtino deſumpta; *Nunquā eſſe recedēdum à propria ſignificatione verborum Sacræ Scripturæ, niſi cogamur ab ea recedere, authoritate alicuius euidentioris dogmatis fidei, cui propria verborum ſignificatio manifeſtè repugnat.* Alioqui enim ſi quoties libebit, toties etiam liceret propriam verborum ſignificationem repudiare, nihil erit certum, nihil firmum in tota ſacra Scriptura. XVIII. *S. Aug. to. 3. de doctrina Chriſt. l. 3. c. 16.*

Enimuerò facile erit vnicuiq; ad metaphoras aut improprias vocum acceptiones confugere, cùm apertiſsimis verbis Scripturæ vrgetur. Atqui hic nihil eſt, quod cogat nos recedere à proprio ſenſu verborum. Nemo igitur, niſi æternæ ſuæ ſa-

Digitized by Google

luti prodigus, huiuſmodi nugis nuperrimè ab aduerſarijs in odium duntaxat Romani Pontificis excogitatis fidem adhibebit.

XX. Quin potiùs antiquorum Patrum, totiuſq; Eccleſiæ ſenſum & conſenſum firmiſsimè amplectetur. Patres enim antiqui de ipſo S. Petro duo loca citata, iuxta literalem ſenſum, accipienda eſſe quamplurimis in locis affirmant: Quæ poſt alios ſcriptores Catholicos diligenter collegerunt Bellarminus & Coccius. Sed quia res hęc adeò eſt perſpicua, vt ne ab aduerſarijs quidem negetur; (quémadmodum ſequenti capite planum faciemus) non putamus operæ pretium eſſe in citandis authoribus moram trahere longiorem.

Bellar. l. de R. Pōt. c. 10. & 14. Coccius to. 1. l. 7. art. 4.

XXI. Verū obſtrepunt aduerſarij, & clamitant, Patres antiquos affirmare, nunc ſuper fidem Petri, nunc ſuper Confeſsionem Petri, fundatam eſſe Eccleſiam. Quaſi verò quiſpiam eſſet inter nos, qui exiſtimaret Eccleſiam eſſe ædificatam ſuper humeros, aut dorſum S. Petri: aut ſuper Petrum infidelem, aut mutum; & non potiùs ſuper B. Petrum fidelem, & confitentem, atque fidei myſteria palam profitentem. Quare eadem eſt ſententia, ſiue dicamus, Eccleſiam ædificari ſuper Petrum, ſiue ſuper fidem Petri, ſiue ſuper confeſsionem Petri: Neque enim ſeparamus S. Petrum à ſua fide, aut à ſua fidei publica profeſsione & doctrina: tantùm aſſerimus ſuper fidem & confeſsionem ſolius Petri, non alterius, Eccleſiam Chriſti ædificatam eſſe.

XXII. Atque hinc eſt quòd ijdem Patres, qui alicubi dicunt, Eccleſiam eſſe fundatam ſuper fidem vel confeſsionem Petri, alibi dicant eam eſſe fundatã ſuper ipſum Petrum. Imò in eodem etiam loco, aliquando dicunt, illam eſſe fundatam ſuper fidem,

fidem, vel confeſsionem Petri, aliquando ſuper ipſum Petrum: vt videre eſt apud S. Epiphanium, & ſanctum Chryſoſtomum. *S. Eph. cont. har. 59. qua eſt Catharorũ. S. Chryſ. hom. 55. in Matt.*

XXIII. Non ignoramus, S. Auguſtinum alicubi per Petram intelligere ipſum Chriſtum. Verùm communem aliorum Patrum expoſitionem non reijcit: Immò eandem confirmat authoritate ſancti Ambroſij: ſeque illam alibi ſequutum eſſe teſtatur. Neque enim reprehendendi ſunt, ſed potiùs laudandi, qui plures ſenſus, etiam litterales, eorumdem verborum ſacræ Scripturæ aſtruunt, dummodò communem, & receptum Eccleſiæ ſenſum non damnent: vt ſuprà etiam diximus ex ipſo S. Auguſtino. *S. Aug. to. 1 li. 1. retract. c. 21. Cont. 1. c. 15. §. 5. & ſeq.*

XXIV. Certè ipſi aduerſarij agnoſcunt interpretationem hanc S. Auguſtini eſſe duram, & coactam. Nam cùm neq; in verbis Chriſti, quę præcedunt, neque in confeſsione B. Petri vlla fiat expreſſa mentio Petræ: non poteſt particula (*hanc*) id demonſtrare, niſi violenter, quod nuſquam extat in tota illa ſententia. Quare aduerſarij relicta hac interpretatione ſancti Auguſtini, per petram intelligunt, vel fidem Petri, vt Caluinus: vel Confeſsionem Petri, vt Beza. Et ambo etiam fatentur, quòd vox Syriaca *Cepha*, eadem ſit vtrobiq;, cùm dicit Dominus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram.* Immò quòd in Græco quoque ſermone Πέτρος & Πέτρα, non re, ſed terminatione tantùm differant. *Cal. ad hac verba S. Ma. in ſua harmon: Beza in cap. 16. Matt. ad v 18.*

XXV. Porrò etſi Caluinus laudet agnominationem, quam ponit ſanctus Auguſtinus, nimirum, quòd Petrus nominetur à Petra, ſicut Chriſtianus à Chriſto: tamen Beza multò veriùs ſcribit, quòd Dominus Syriacè loquens, nulla vſus ſit agnominatione, ſed vtrobique dixit *Cepha*. Non rectè igitur ob- *Cal. loc. citat. Beza loc. citat.*

Digitized by Google

tur obijciunt nobis aduerſarij interpretationem ſancti Auguſtini, quam ipſimet agnoſcunt non eſſe literalem.

CAPVT XXIV.

Romanam Eccleſiam eſſe omnium ſupremam, probatur ex Patribus antiquis, & ex confeſſione ipſorum aduerſariorum.

I. PAtres antiqui vnanimi conſenſu non tantùm affirmant Romanam Eccleſiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, ſed etiam illam eſſe Principalem, & ſupremam omnium Eccleſiarum: atque adeò Caput totius Eccleſiæ viſibilis; aliaque complura ſcribunt in laudem Romanæ Eccleſiæ, Romanique Pontificis: quæ peti poſſunt ex Catholicis Scriptoribus, qui loca Patrũ de hac re collegerunt: præſertim ex Bellarmino & Coccio. Nos breuitatis cauſa duos duntaxat Patres afferemus: ex quibus facilè intelligi poteſt, quid cæteri de hac re ſenſerint.

Bellar. l. 2. de Ro. Pont. c. 13. & ſeq. Cocc. to. 1. l. 7. art. 4. 5. 6. & 7.

II. Primus eſt antiquiſsimus ille ſanctus Irenæus, qui ipſa Apoſtolorum ætate vixit: *Quoniam valdè longum eſt,* (inquit) *in hoc volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſsiones: maximæ & antiquiſsimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſsimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ: Eam quam habet ab Apoſtolis Traditionem, & annunciatam hominibus fidem; per ſucceſsiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes: Confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim*

S. Iren. l. 3. adu. hær. c. 3.

enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, omnes qui ſunt vndique fideles. Hactenus ſanctus Irenæus. Et poſteà enumerat ſucceſsionem omnium Romanorum PONTIFICVM vſque ad ſua tempora.

III. Alter eſt S. Auguſtinus, cui plurimùm tribuunt aduerſarij: *Quis neſciat* (inquit ſanctus Auguſtinus) *primum Apoſtolorum eſſe beatiſsimum Petrum.* Hoc quidem ſanctus Auguſtinus de S. Petro. De Romana verò Eccleſia ita loquitur: *In Romana Eccleſia ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ principatus.* Si ſancto Auguſtino credimus, nihil eſt clariùs: nam ſemper fuiſſe principatum Cathedræ Apoſtolicæ in Romana Eccleſia apertè teſtatur.

S. Aug. to. 9. tr. 56. in Euang. S. Ioan. S. Aug. to. 2. ep. 162. ad Epiſc. Donat.

IV. Verùm opus non eſt multa antiquorum Patrum loca citare: Nam & ipſi aduerſarij agnoſcũt antiquos Patres fuiſſe in hac ſententia. Ita enim de hac re ſcribit Martinus Bucerus Caluini olim præceptor & Mæcenas, idque non tantùm ſuo nomine, ſed etiã nomine omniũ Lutheranorum. *Ingenuè* (inquit) *confitemur apud veteres Eccleſiæ Patres Romanam Eccleſiam præ cæteris primatum obtinuiſſe, vt quæ Cathedram D. Petri habeat, cuiuſque Epiſcopi ſucceſſores Petri ferè ſemper habiti ſunt.* Ita Bucerus.

Bucerus in Præparatorijs ad Conc.

V. Præterea Caluinus, etſi valdè inuehatur in Romanã Eccleſiam, veritate tamẽ coactus, ſcribit in hunc modum: *Hoc primùm præfari volo me non negare, quin magnum Romanæ Eccleſiæ honorem vbique deferant veteres: reuerenterquè de ea loquantur.* Et paulò pòſt: *Opinio enim illa, quæ neſcio quo modo, inualuerat, fundatam & conſtitutam eam fuiſſe* PETRI *miniſterio, ad conciliandam authoritatem, & gratiam plurimùm valebat. Itaque in occiden-*

Cal. l. 4. Inſt. c. 6. ſect. 16.

Digitized by Google

Cal.l.4. Inſt.c.7. ſect.11. *occidente ſedes Apoſtolica honoris cauſa vocabatur.* Et alio in loco: *Fateor extare veras Epiſtolas priſcorum Pontificum, quibus ſedis ſuæ amplitudinem magnificis elogijs venditant: quales ſunt aliquæ Leonis.*

VI. Verba iſtorum actorum citantur ab ipſis Luther. in l. Colloq. Altenigenſ. Extant etiã apud Sanderũ l.1. de Iuſtif. c.3.

Lutherani verò in ſuis actis Synodicis agnouerunt, quòd olim fuerit primatus Romani Pontificis, etiam tempore Concilij Nicæni primi, & S. Cypriani, Hieronymi, Auguſtini. Qualem etiam dicunt ſe libenter accepturos, ad fouendam concordiam in fide, pietate & politia Eccleſiaſtica. Satis enim animaduerterunt primatum hunc Summi Pontificis multùm prodeſſe ad vnionem & concordiam in doctrina, & politia Eccleſiaſtica.

VII. De Smalcald. art. & ſubſcriptione habetur in l. à facultate Theol. VViteb. edito cõtra Gaſp. Peucer. an. 1597. in princ. 6 c. eiuſdem lib. fol. 60. pag.1. Habẽtur iſta eodẽ c.6 fol. 70. pag.1.

Atqui hinc eſt, quòd Lutherani in articulis ſuis Smalcaldicis (quos anno 1537. confecerunt, Exhibendos videlicet generali Concilio, quod Mantuæ tunc dicebatur futurum) inter reliquos articulos hunc etiam approbârunt de ſummi Pontificis Romani authoritate; quibus etiam articulis ſubſcripſit Philippus Melanchton. Qui & poſteà anno 1548. longè clariùs approbat authoritatem Romani Pontificis, dum ita ſcribit in Epiſtola, quam miſit Domino Theopulo oratori: *Adhac* (inquit Philippus) *Romani Pontificis authoritatem & vniuerſam politiam Eccleſiaſticam reuerenter colimus: modò nos non abijciat Romanus Pontifex.* Ita ibi Philippus.

Verùm enimuerò quænam fuerit veriſsima Philippi ſententia de hac re, clariùs conſtat ex epiſtola quadam, quam ſcripſit anno 1535. de diſſentionibus Eccleſiaſticis & Conciliatione controuerſorum articulorum. In qua etiam rationes affert pro primatu Romani Pontificis. Verba Philippi ſunt iſta, dum loquitur de quibuſdam ex ſuis

ſuis, qui reclamabant & aduerſabantur Concordiæ cum Catholicis: *Quidam eorum* (inquit Philippus) *nihil aliud agi putant, niſi vt quædam libertas barbarica quæratur, excuſſa Monarchia Pontificis, & repudiatis veteribus ordinationibus Eccleſiaſticis.* Et paucis interiectis: *Concedunt noſtri politiam Eccleſiaſticam rem licitam eſſe, quemadmodum videlicet, ſunt aliqui Epiſcopi, qui præſunt pluribus Eccleſiis; item quòd Romanus Põtif. praeſt omnibus Epiſcopis. Hãc canonicã politiã, vt ego exiſtimo, nemo prudẽs improbat, neq; improbare debet, ſi intra fines ſuos maneat.* Et paucis interiectis: *Quantũ ad opes & reditus illi Regũ & Principum donationes ſuns. Quare quod ad hunc articulum attinet, de ſuperioritate Pontificia, & Epiſcoporum authoritate non eſt diſſenſio; & facilè poſſunt retinere authoritatem ſuam Romanus Pontifex, & cæteri Epiſcopi. Opus eſt enim in Eccleſia Gubernatoribus, qui vocatos ad myſteria Eccleſiaſtica ordinent, & iudicia Eccleſiaſtica exerceant, & inſpiciant doctrinam Sacerdotum. Et vt maximè, ſi nulli eſſent Epiſcopi tamen creari tales oporteret.* Et paulò pòſt: *Prodeſſet etiam meo iudicio Monarchia illa Romani Pontificis ad hoc, vt doctrinæ conſenſus retineretur in multis nationibus. Quare facilè poteſt conſtitui concordia in hoc articulo, de ſuperioritate Pontificia, ſi de cæteris articulis conuenire poſſent.* Hæc Philippus.

Extat integra iſta epiſt. Philippi in cent. Theolog. ad Ioan. Schvvebelium miniſtrũ Bipont. Eſtque iſta epiſt. inter cæteras ordine 74. iuxtà edit. Bipontinã an. 1597.

IX. Conſimilia iſtis ſcribit Martinus Bucerus, conſentientibus etiam omnibus ſymmyſtis ſuis Argentinenſis Eccleſiæ (hi erant Capito, Hedio, & Niger, magni fautores Caluini, teſte Beza.) Nã in eadem centuria Epiſtolarum extat Epiſtola cum in hac inſcriptione: *Martinus Bucerus conſenſum in omnibus cum Philippo Melanchtone teſtatur, tam ſuo quàm vniuerſa Eccleſia Argentinenſis nomine.* Epiſtola enim hæc Buceri proximè adiungitur Epiſtolæ Philippi iam citatæ.

Beza in vita Cal. an 1538. ſub fin. Centuria Epiſt Schvvebel epiſt. 75.

Porrò

X. Porrò in ipſa Epiſtola, cùm agit Bucerus de hac Monarchia Eccleſiaſtica (quam ille Politiam vocat) ita ſcribit: *Nihil autem minùs volumus, quàm vt regno Chriſti ſua deſit politia, ſeu præcipiendi authoritas. Nuſquam enim certiori ordine, & commodiore omnia ſunt conſtituta, nuſquam debet eſſe obedientia maior, ſubiectio plenior, poteſtatis reuerentia religioſior. Iam externa poteſtas etiam quæcunque eſt, à Deo eſt. Et Dei ordinationi reſiſtit, qui huic non obtemperat*. Denique ſub finem eiuſdem Epiſtolæ ita concludit: *A nobis itaque nihil prorſus fuerit, quod plenæ Eccleſiarum concordiæ reſtituendæ vllo pacto obſtat per nos: Licet Romanus Pontifex, & cæteri Epiſcopi omnes ſuam poteſtatem, immò & ditiones obtineant; tantùm poteſtate ſua vtantur in ædificationem Eccleſiæ, non in deſtructionem: Cùm nulla prorſus poteſtas ſit, quam non ſacroſanctam habeamus, & habendam doceamus. Nihil æquè quæramus atque diſciplinam Eccleſiæ.* Hactenus Bucerus cum ſocijs, qui perſpicuè videbant nec doctrinæ conſenſum, nec diſciplinam Eccleſiaſticam, conſeruari diu poſſe ſine vllo ſupremo viſibilis Eccleſiæ capite, & Monarcha.

XI. Poſtremò, quotquot hoc tempore ſunt inter aduerſarios, qui res politicas probè nôrunt, & ergà Monarchiam Regum ac Principum benè affecti ſunt: libenter agnoſcunt, vnum debere eſſe ſupremum Epiſcopum in Eccleſia Dei: Idque concedendum eſſe Romano Pontifici, ſi in cæteris omnibus rebus controuerſis inter nos conueniret. Satis enim vident omnia argumenta, quibus ſtabilitur Monarchia Regum, & Principũ ſecularium, probare ſimiliter Monarchiam Eccleſiaſticam. Et contrà, omnia illa argumenta, quibus impugnatur Eccleſiaſtica Monarchia, non minùs petere

tere Monarchiam Regum, & Principum omnium Chriſtianorum.

CAPVT XXV.

Soluuntur argumenta Aduerſariorum contrà Romanam Eccleſiam.

PRAECIPVA argumenta, quæ ex Scripturis obijciunt aduerſarij, ſunt iſta. Primū: Chriſtus eſt caput Eccleſię, & Petra, & fundamentum, *præter quod nemo poteſt aliud ponere.* 1. ad Corinth. 3. Reſpondeo, eiuſdem rei poſſunt eſſe plura capita, quando vnum alteri ſubijcitur: Nam *mulieris caput eſt vir, viri Chriſtus, Chriſti Deus*: vt ſcribit Apoſtolus. Atque ita mulier tria habet capita, virum, Chriſtum, & Deum: ſed vnumquodque alteri ſubiectum: ſic Petrus vel Romanus Pontifex eſt caput Eccleſiæ, ſed ſub Chriſto, & Chriſto ſubiectus: quia Chriſtus eſt caput Petri, & Romani Pontificis. Præterea Chriſtus eſt caput omnis Eccleſiæ, tam huius ſæculi, quàm futuri teſte Apoſtolo. Item tam veteris, quàm noui Teſtamenti: At ſanctus Petrus vel eius ſucceſſor, eſt caput duntaxat Eccleſiæ huius ſæculi, & noui ſolùm Teſtamenti. Hinc dicit Chriſtus: *Super hāc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: hoc eſt, *Eccleſiam noui Teſtamenti, quæ tunc ædificanda erat.* I. *1. Cor. 11. v. 3.* *Ad Eph. 1. v. 22.* *Matt. 16. v. 18.*

Imò ex ratione capitis optimè colligimus, quòd præter Chriſtum, qui eſt caput omnis Eccleſiæ tam viſibilis quàm inuiſibilis, teſte Apoſtolo, ſit etiā aliud caput viſibile in Eccleſia viſibili: alioqui enim viſibilis Eccleſia eſſet monſtrū: ſiquidē eſſet Corpus viſibile ſine capite viſibili. II. *Ad Eph. 1. v. 22.*

Neceſſe

Neceſſe ergò, vt præter inuiſibile Caput, quod eſt Chriſtus, ſit etiam viſibile Caput in Eccleſia viſibili: nimirum ſucceſſor S. Petri.

III. Adhæc: duplices ſunt actiones, quas Chriſtus exercet in Eccleſia inuiſibiles, vt vocatio, iuſtificatio, ſanctificatio, &c. has per ſe ipſum exercet, atque operatur. Aliæ ſunt viſibiles actiones, vt concionari, adminiſtrare Sacramenta, gubernare viſibiliter Eccleſiam, &c. Iſtas non exercet Chriſtus per ſe ſolùm, ſed etiam per homines viſibiles, qui gerunt eius perſonam. Quare ſicut Chriſtus verè non diceretur baptizare, niſi eſſet aliquis homo viſibilis, qui in perſona Chriſti viſibiliter baptizaret: aut verè gubernare viſibiliter ſingulas particulares Eccleſias, niſi eſſet in ſingulis particularibus aliquis, qui in perſona Chriſti ſingulas viſibiliter gubernaret: Ita neque diceretur Chriſtus verè gubernare viſibiliter totam Eccleſiam niſi eſſet aliquis, qui in eius perſona viſibiliter gubernaret totam Eccleſiam. Is autem alius eſſe non poteſt, quàm Romanus Pontifex.

IV. *1. Cor. 3. v. 11.* Porrò de petra, ſeu fundamento Eccleſiæ idem iudicandum eſt. Nam Chriſtus eſt quidem ſummum fundamentum omnium credentium: ſed ſecundarium fundamentum, & ſubordinatum Chriſto eſt etiam doctrina Apoſtolorum & Prophetarum: vt expreſsè dicit Apoſtolus ad Epheſios: & fatetur etiam ipſe Caluinus. *Eph. 2. v. 20. Calu. ibid. & l. 1. Inſt. c. 7. ſect. 2.* Quòd ſi doctrina omnium Apoſtolorum, fundamentum eſt Eccleſiæ, cur non erit & doctrina S. Petri? Nam cùm dicimus, B. Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ, per Petrum non intelligimus ſolam perſonam ſancti Petri, ſed doctrinam B. Petri in Romana Eccleſia prædicatam.

V. Prætereà cùm ſanctus Ioannes in Apocalypſi dicat

Digitized by Google

dicat *Ciuitatem Dei habere duodecim fundamenta, quæ ſunt nomina duodecim Apoſtolorum Agni.* Quid mirum ſi primus Apoſtolorum S. Petrus dicatur Petra, ſeu fundamentum Ciuitatis Dei? V. *Apoc. 21. v. 14.*

Deinde & illud obſeruandum eſt, quòd cùm dicit Apoſtolus; Non eſſe aliud fundamentum præter Chriſtum: vox (*præter*) idem ſignificet, quod (*cõtra*) vt & alibi ſæpè in Scripturis: quemadmodum ſuprà à nobis probatum eſt. Nam alioqui omnes Apoſtoli dicuntur fundamenta: vt iam diximus: Verùm illi non contrà Chriſtum, ſed ſub Chriſto, & ſubiecti Chriſto, ſunt fundamenta Eccleſiæ. VI. *1. ad Cor. 3. v. 11. Suprà c. 35. § 2. Contr. 1.*

Denique ſi verum ſenſum verborum ſancti Pauli ad Corinthios exactiùs indagemus, manifeſtum erit, aduerſarios verba illa Apoſtoli ad alienum ſenſum trahere. Neque enim loquitur Apoſtolus de fundamento ædificij totius Eccleſiæ Chriſti, de quo ſolo eſt præſens quæſtio: Sed de fundamento particularium, & priuatarum actionum vniuſcuiuſque fidelis. Nam ſanctus Paulus apertè ſcribit, ſe poſuiſſe fundamentum illud, de quo ipſe loquitur, & vnumquemque ædificare ſuum proprium opus ſuper hoc fundamentum. Cæterùm magnum eſt diſcrimen inter iſta fundamenta: quãdoquidem hic Chriſtus ipſe eſt, qui fundamentum conſtituit Petrum: *Ego dico tibi* (inquit Dominus ad Petrum) *quia tu es Cephas*: ibi ſanctus Paulus eſt, qui diu poſteà fundamentum illud poſuit, de quo ipſe loquitur: *Vt ſapiens architectus* (inquit) *fundamentum poſui.* Hic ipſe Chriſtus eſt, qui ædificat: *Super hanc Cepham* (inquit Dominus) *ædificabo*: Ibi quiuis priuatus eſt qui ædificat: *Vnuſquiſque videat* (ait Apoſtolus) *quomodo ſuperædificet.* Hîc Eccleſia Chriſti eſt, quæ ſuperæ- VII. *1. ad Cor. 3. v. 11. 1 Cor. 3. v. 10. Matt. 16. v. 18. 1. Cor. 3. v. 10. Matt 16. v. 18. 1. Cor. 3. v. 10.*

S difica-

Matt.16. dificatur: *Aedificabo* (inquit Dominus) *Eccleſiam*
v.18. *meam:* Ibi opus vniuſcuiuſq; hominis priuati ſu-
perędificatur: *Si cuius opus mãſerit* (inquit Apoſt.)
1.Cor.3. *quod ſuperædificauit, mercedem accipiet* De funda-
v.14. mento igitur bonorũ operum, quæ ad iuſtitiam
& vitam æternam pertinent, agit Apoſtolus: quo-
§.3 huius cap. rũ fundamentũ eſſe ſolum Chriſtum paulò antè
diximus: Nos autẽ hîc agimus de fundamento ex-
ternæ gubernationis Eccleſiæ, & doctrinæ ſanæ
fidei: quale fundamentum ſunt S. Petrus Petrique
ſucceſſores. Quare quod de fundamento afferunt
aduerſarij ex verbis S.Pauli, ad hanc noſtram di-
ſputationem nequaquam pertinet.

VIII. Secundum argumentum. Petrus ter Chriſtum
Ioan.18. negauit: nõ poterat igitur eſſe Petra, contra quam
v.25. portæ inferi non præualerent. Reſpondeo, quan-
do Petrus negauit Chriſtum, nondum fuerat fun-
damentum Eccleſiæ: nam Matthæi 16. promiſsio
Ioan.21. tantùm facta eſt illi: *Aedificabo: Tibi dabo* (inquit
v.15. Dominus.) Vbique in futuro loquens: ſed poſteà
Ioan.21. data eſt illi poteſtas antea promiſſa: idq;
poſt illam negationem Petri, & poſt reſurrectio-
nem etiam Chriſti: *Paſce* (inquit) *agnos meos, paſce
oues meas.*

IX. Tertium argumentum. Etiam poſt datam il-
lam poteſtatem, Ioan.21. Petrus fuit reprehenſus
à S.Paulo Gal.2. Reſpondeo: Illud ipſum olim
Tert. l. 5. aduerſus Marcion. cap 3. obiecerunt Marcioniſtę Catholicis, teſte Tertul-
liano: quibus reſpondet Tertullianus alio in loco
his verbis: *Vtiq;* (inquit) *cõuerſationis fuit vitiũ, non
Tert. de praeſcr. adu. hær. cap. 23. in fin. prædicationis.* Et rectè reſpondet Tertullianus: nam
poterat fortè S.Petrus tunc peccâſſe, ſed in fide er-
rare non poterat, quia benè ſciebat, legem Mo-
ſaicam non eſſe neceſſariam Gentibus ad ſalu-
tem, neq; vnquam docuit, illam eſſe neceſſariam:
Imò

Imò quando de hac re controuerſia orta fuit, ipſe
apertè docuit eam non obligare Gentes, vt in a- *Act. 15. v.*
ctibus Apoſtolorum videre licet. Quare ſi qua in *10. & 11.*
re peccauit ſanctus Petrus, cõuerſationis fuit pec-
catum, non autem doctrinæ, aut prædicationis: de
quo ſolo nos hîc diſputamus. Quanquam non de-
ſint multi, qui exiſtiment S. Petrum ne peccâſſe *Bell. l. 1.*
quidẽ: de quibus vide Bellarminũ & Baronium. *de Rom.*

Quartum argumentum. S. Paulus reprehendit *Pont. c.*
illos qui dicebant, ſe eſſe Cephæ, id eſt Petri. Re- *vl. in fin.*
ſpondeo: Iſti diuidebãt Chriſtum à Petro & Pau- *Bar. to. 1.*
lo: & Chriſto opponebãt Petrum & Paulum tan- *an. 51 an.*
quam æquales, illoſque faciebant quaſi Chriſtos: *52 & ſeq.*
Id quod demonſtrat S. Paulus illis verbis: ***Nun-*** X.
quid diuiſus eſt Chriſtus? Præterea tribuebant Petro *1. Cor. 1.*
& Paulo interiora & inuiſibilia dona Spiritus *v. 13.*
ſancti atque effectum ipſum Sacramentorum: *1. Cor. 1. v. 13.*
imò & redemptionem noſtram, non ſecus quàm
ipſi Chriſto. Hinc illa verba S. Pauli eodem loco: *1. Cor. 1.*
Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine *v. 13.*
Pauli baptizati eſtis?

Nos autem docemus, Rom. Pontificem ſubeſſe XI.
Chriſto, non æqualem eſſe Chriſto: vnde & vica-
rius Chriſti appellatur, vt Chriſto ſubiectus, ne-
que ab eo diuiſus: Præterea docemus, Rom. Pon-
tificem non dare ſpiritualia & interiora dona Fi-
dei, Spei, & Charitatis: ſed eſſe duntaxat Vicari-
um Chriſti in doctrina fidei, & exteriori guber-
natione Eccleſiæ.

Quintum argumentum. Apoſtolus ad Corint. XII.
& ad Epheſios enumerat diuerſa Eccleſiæ officia: *1. Cor. 12.*
Et tamen nihil dicit de Petro. Reſpondeo inpri- *v. 28.*
mis, non eſt opus vt Apoſtolus vbiq; faciat men- *Eph. 4.*
tionem S. Petri. Satis enim eſt, quòd alicubi oſten- *v. 11.*
derit S. Petrum fuiſſe pręcipuũ Eccleſiæ mẽbrum:

Digitized by Google

Gal. 1. v. 18. Id quod apertè declarat, cùm dicit, *ſe profectum Hieroſolymam, vt inuiſeret Petrum, manſiſſeque apud eum diebus quindecim.*

XIII. Deinde his eiſdem locis ſatis perſpicuè meminit S. Petri. Nam vbique primo loco ponit Apoſtolos, & omnes Chriſtiani ſciebant ſanctum Petrum eſſe primum inter Apoſtolos: iuxtà illud S. Matthęi: *Primus Simon qui dicitur Petrus.* Hinc illud ſancti Auguſtini: *Quis neſciat primum Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum?*

Matt. 10. v. 2.

S. Aug. to. 9. tr. 56. in Euang S. Ioan.

XIV. Denique Apoſtolus re vera his in locis non agit de ordinaria Hierarchia Eccleſiaſtica, ſed de extraordinarijs donis, quæ dabantur membris Eccleſiæ primitiuæ. Nam enumerat etiam ibi Euangeliſtas, Prophetas, gratias curationum, ſeu ſanitatum, genera linguarum, &c. quæ conſtat eſſe dona extraordinaria: vt benè obſeruârũt S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, & alij, dum eadem verba interpretantur.

XV. Sextum argumentum. Multi ex Romanis Pontificibus fuerunt impij, & varijs peccatis addicti, vt teſtantur omnes Scriptores, etiam Catholici: Igitur ſicut illi in moribus grauiter errârunt, ita poterant & in doctrina errare. Reſpondeo: Illud ipſum olim fuerat argumentum Donatiſtarum contra Catholicos, cui ſæpè reſpondit S. Auguſtinus. Diſpar namque eſt ratio conuerſationis, & doctrinæ: quia error in conuerſatione ſoli erranti nocet, ſed error in doctrina nocet etiam alijs, imò toti Eccleſiæ. Hinc illa Chriſti admonitio: *Omnia quacumque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere.* Immò Caluinus ipſe hoc argumentum aduerſariorum multis verbis refutat, tanquam Anabaptiſtarum inuentum: benè enim ſciebat Caluinus, inter ſuos Miniſtros

S. Aug. to. 2. ep. 105. ad Gener & tom. 7. cont. litt. Petiliani Donat. l. 2. c. 5. 6. 51. Matt. 23. v. 2. Cal. l. 4. Inſt. c. 1. ſect. 3. & ſeqq.

non

non paucos eſſe malos & impios. Quare mirum eſt, quòd eius ſectatores toties hoc argumentum repetant.

Habent aduerſarij & alia varia argumenta, quæ refutare opus non eſt: non enim deſumuntur ex Verbo Dei, ſed nituntur omnia mendacijs, vel fabulis confictis ab antiquis hæreticis, aut Schiſmaticis, aut certè ab illis, qui parùm fauebant Romanæ Eccleſiæ. Quæ ſigillatim proſequuntur per ſingulas ætates Sanderus & Baronius. Quare aduerſarijs rectè conuenit illud Apoſtoli: *A veritate auditum auertent: ad fabulas autem cõuertentur.* XVI. *Sand l. 7. cit. Baro. in omn.* 2. *to.* 2. *Tim.* 4. *v.* 4.

Vnum exemplum minimè dubium afferemus calumniarum, quas contrà Eccleſiam Romanam iactitant aduerſarij. Et vt illud etiam omittamus, quòd Caluinus in paucis verbis quinque habeat aperta mendacia de vnico tantùm ſummo Pontifice Romano Ioan. 22. Vt probat clarè Bellarminus: Certè de tota Eccleſia Romana tria ſplendida cõfingit mendacia idem Caluinus. Dicit enim tria capita Theologiæ omnium Pontificum Romanorum & Cardinalium hæc eſſe. Primum, nullum eſſe Deum. Secundum, omnia de Chriſto eſſe mendacia. Tertium, nullam aliam eſſe vitam poſt hanc. XVII. *Cal. l.* 4. *Inſt. c.* 7. *ſect.* 28. *Bell. l.* 4. *de Rom. Pont. c.* 14. *cum agit de* 36. *Papa. Cal. l.* 4. *Inſt c.* 7. *ſect.* 27.

Verùm enimuerò ad omnes aduerſariorum calumnias ſufficit illa vnica S. Auguſtini reſponſio, quam ille olim dedit Donatiſtis, Catholicos ſimiliter calumniantibus: *Non audiamus* (inquit) *quid ille, vel ille dicat, ſed quid dicat Dominus: Non audiamus hæc dico, hæc dicis, ſed hæc dicit Dominus, & quid Scriptura ſacra de Eccleſia nobis loquantur.* XVIII. *S. Aug. to.* 7 *de vn. Eccl. c.* 2. *&* 3.

Præterea quod alibi de Eccleſia in genere dicit S. Auguſtinus contrà Donatiſtarum mendacia, rectè hoc tempore accommodari poteſt ad XIX. *S. Aug. to.* 7 *de vn Eccl. c.* 12.

Romanam Eccleſiam, hunc in modum: *Quid de*
Ro.1.v. 8 & 12. *Romana Eccleſia, eiuſquè fide in Sanctis Canonicis libris ſcriptum ſit, ſcio. Quid de illa eiuſquè à fide defectione, vos dicatis neſcio. Certè ſicut nos legimus Eccleſiam Romanam eiuſquè fidem ex codicibus, quos & vos veneramini, ſic & vos ex codicibus, quos & nos veneramur, quemadmodum defecerit à fide legite nobis. An placeat vobis, vt contra Eccleſiam Romanam, quam nobis Spiritus ſanctus per Scripturas ſuas commendauit & tradidit, vndelibet prolata, qualibet hominum maledicta credamus? hoc quidem vobis placet. Quibus autem iuſtiùs placeat, & vos videtis: ſed victi animoſitate,*
Ro.15.v.14 Rom.16.v.19.& 20.
Ro.1.v.7. *non vultis vinci veritate.* Et paulò pòſt: *Ecce eſt Ro-*
Ro.1.v.8. *mana Eccleſia, cui communico. Vbi tibi lego nomen eius, ibi mihi lege, crimina eius. Si autem aliundè clamas, vel recitas: Nos poſt vocem Paſtoris noſtri per os Apoſto-*
Io.10.v.27. *li Pauli nobis apertiſſimè declaratam voces veſtras non admittimus, non credimus, non accipimus. Quæ ſunt*
Rom 1.v.7.& 8. *oues meæ, inquit Paſtor cœleſtis, vocem meam audiunt, & ſequuntur me: Vox eius de Eccleſia Romana non eſt obſcura. Quiſquis ab eius grege errare non vult, hunc audiat, hunc ſequatur.* Hæc S. Auguſt.

XX. Denique & hoc notatione dignum eſt, quòd aduerſarij nunquam auderent tam abſurda, & in-
Ro.1.v.7.8. audita affirmare de Romana Eccleſia, adeò antiqua, & adeò ab antiquis omnibus Patribus commendata; imò ab ipſo Apoſtolo S. Paulo: niſi ſibi perſuaderent illam à vera Chriſti doctrina defeciſſe. Hinc enim eſt quòd Romam dicant eſſe Babylonem: quòd Romanum Epiſcopum eſſe ipſum Antichriſtum affirmare non vereantur. Sed
Cal. l. 4. Inſt. c. 1. ſect. 10. in fin. ſi probatum fuerit, Eccleſiam Romanam nihil docere, quod non ſit conſonum Verbo Dei: non ſolùm retundentur facilè omnia aduerſariorum tela

Digitized by Google

tela contra Romanam Eccleſiam, ſed etiam cogentur illi fateri cum Caluino diſceſsionem ab iſta Eccleſia, eſſe abnegationem Dei & Chriſti; nec vllum atrocius crimen fingi poſſe. Hoc verò infrà in ſingulis controuerſijs, Deo fauente, demonſtrabimus.

CAPVT XXVI.

De Adoratione, & oſculatione pedum Romani Pontificis.

INTER cætera quæ aduerſarij criminantur in Romana Eccleſia iſtud præcipuum eſt, & in quo plures etiam offenduntur, quòd dicatur Papa adorari, & quòd pedum oſculo ſalutetu. Quare de hac re nonnihil hîc dicendum erit: idque ex ipſa ſacra Scriptura. I.

Hîc tamen præmonendum eſt, ne Adorationis nomine fallamur: duplicem eſſe Adorationem in Scripturis ſacris: vnam, quæ ſoli Deo debetur, aliam, quæ hominibus tribuitur ſine vllo peccato, imò cum laude & merito. De vtraque Adoratione ſunt illa Scripturæ verba: *Adorauerunt* (inquit Scriptura) *Deum, & deinde Regem.* Sunt & alia pleraque Scripturæ loca, quæ comprobant hanc hominum Adorationem, de qua ſola hîc agimus. Hæc enim duntaxat eſt, quæ ſummo Pontifici datur, non illa quæ ſolius Dei propria eſt: Nam hæc, vt Vicario Dei exhibetur: illa vt vero Deo. Sunt autem quatuor Scripturæ ſacræ teſtimonia, quibus euidenter probatur iſta Summi Pontificis Adoratio. II. *1. Paral. vlt. v. 20 Gen 23. v. 7. Gen 27. v. 29. Gen. 49. v. 8.*

Primum Teſtimonium eſt illud, quod habet Iſaias Propheta his verbis: *Hæc dicit Dominus Labor Aegypti, & negotiatio Aethiopiæ, & Sabaim viri* III. *Iſaia 45. v. 14.*

ſublimes, ad te tranſibunt & tui erunt: poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Vbi conſtat Prophetam alloqui Eccleſiam, non ipſum Chriſtum: Nam omnia verba, & affixa, ſeu pronomina in Hebræo textu ſunt fœminini generis, nõ maſculini. Præterea ex omnibus, quæ ſequuntur & quæ præcedunt, manifeſtum eſt promiſsionẽ iſtam eſſe factam Eccleſiæ Chriſti. Dicit ergo Propheta, *quòd labor & negotiatio* (id eſt, diuitiæ, quæ laboribus & negotiatione acquiruntur) *Aegypti, & Aethiopia; & Sabaim quoque viri ſublimes* (per quos intelliguntur Principes Gentium) *tranſibunt ad Eccleſiam: & erunt Eccleſia & ambulabunt poſt Eccleſiam vincti manicis* (quibus ſignificantur leges Eccleſiaſticæ) *& quòd adorabũt Eccleſiam, & eam deprecabuntur, ſeu orabũt.*

IV. Vbi etiam attendendum eſt, quòd verbũ Hebræum hoc loco poſitum שחה in vltima coniugatione (in qua hîc ponitur, vt & alibi ferè ſemper) ſignificet, *ſe proſternere coram alio*, non quauis de cauſa, *ſed cauſa adorationis*: vt nôrunt omnes Hebræi: Hoc enim verbo frequenter etiam explicatur Adoratio ſoli Deo debita. Quare loci iſtius hic eſt germanus ſenſus: *Proſternent ſe coram te adorationis cauſa, & te orabunt.* Habemus ergo ex ipſa Scriptura Adorationem Eccleſiæ, & conſequenter Adorationem ſupremi Capitis, & totius Eccleſiæ viſibilis.

V. Verùm prætereunda hîc non eſt Caluini calliditas, qui vt fucum faceret lectori, omittit bis pronomen *te* in Latina ſua verſione, ne ſcilicet videretur adoratio iſta & deprecatiõ referri ad ipſam Eccleſiam, ſed ad Deum & Chriſtum: Non enim vertit, *adorabunt te, & obſecrabunt te*: ſed ita: *adorabunt atque obſecrabunt*; cùm in Hebræo bis

Cal. in commen. ſuis in Iſa. c. 45.

bis ponatur particula *te*, in fœminino genere, vt proinde neceſſariò referatur iſta adoratio & obſecratio ad Eccleſiam. Hanc tamen particulam Geneuenſes auſi non ſunt omittere, neque in ſuis Biblijs gallicis, nec in illo ſuo Vatablo corrupto: imò nec ipſemet Caluinus in priore editione ſuorum commentariorum in Iſaiam, quam edidit gallicè anno 1552. ſed in poſteriori ſua editione latina anni 1559. (quam nouum opus cenſeri debere affirmat) cautior effectus, bis particulam illam omittit: idque non inconſideratè, ſed de induſtria, vt ex priori eius editione conſtat.

v.14. edit. an. 1559. Geneua apud Ioa. Criſpinũ. אֵלַיִךְ. *ad te. f. g. Cal. in ep. ad Reginam Angliæ, ante commẽt. in Iſaiam edition. illius an. 1559.*

VI. Secundum teſtimonium extat apud eundem Prophetam Iſaiam: in quo longè clariùs declaratur eximius ille honor, quo Reges & Principes terræ decoraturi erant Eccleſiam: ita enim alloquitur Deus Eccleſiam Chriſti: *Erunt reges nutricij tui & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Vbi non tantùm explicatur humilis illa adoratio, quę quis etiam vultu in terram demiſſo ſe alteri proſternit: Sed præterea additur noua metaphora amplexuum & oſculorum pedum, quibus Chriſtiani Imperatores, Reges, & Principes, honorant Chriſti Vicarium, & in eo Eccleſiam, atque adeò ipſum Chriſtum. Qui enim auidiſsimè, maximoque feruore properant ad amplexus & oſcula pedum alicuius, videntur puluerem pedum illius quaſi lingere, ſeu abſumere: Verbum enim Hebræum לחך ſignificat *quouis modo abſumere*: vt videre eſt numerorum 22. verſ. 4. & 3. Reg. 18. v. 38.

Iſa. 49. v. 23.

VII. His itaque verbis prædixit Iſaias, quòd Reges & Reginæ, hoc eſt, tam viri, quàm fœminæ prin-

cipes proni in terram ad pedes Eccleſiæ tanto affectu ſe proſternant, vt amplexibus, & oſculis etiam ipſum puluerem pedum Eccleſię abſumpturi videbuntur. Quod & olim completum fuiſſe, & adhuc impleri in Romana Eccleſia cernimus, in humilibus nimirum, & pijs illis ſubmiſsionibus, amplexibus, & oſculis pedum: quibus ſummum Eccleſiæ Caput in terris, Romanum videlicet Pontificem, proſequuti ſunt, & iã nunc proſequũtur Chriſtiani omnes Principes Catholici, tam viri, quàm fœminæ. Quod cùm fuerit tot ſæculis antea à Propheta prædictum, non eſt quòd hoc venerationis genus aut inſolens, aut à ratione pietateve Chriſtiana alienum exiſtiment aduerſarij.

VIII. Tertium teſtimonium eſt eiuſdem Prophetæ, in quo minùs apertè hanc futuram pedum Adorationem præmonſtrat. Nam inter multa alia, quę prædicit de maieſtate, & poteſtate futuri Regni Chriſti: hanc etiam promiſsionem à Deo Eccleſiæ factam eſſe teſtatur: *Et venient* (inquit) *ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: & adorabunt veſtigia pedũ tuorum omnes, qui detrahebant tibi.* Quod paulò clariùs habetur Hebraicè ad hunc modum: והשׁתחוו על־כפות רגליך hoc eſt, *& adorabũt ſuper curuaturas pedum tuorum*: Quo nihil apertiùs dici poteſt pro Adoratione pedum Eccleſiæ, eiuſque Capitis viſibilis. *Curuatura enim pedum* per ſynecdochen ſignificant *ipſos pedes*: quemadmodum & Ioſue 3. v.13. Nam quæ ibi vocantur *curuatura pedum*, ſequenti verſu 15. vocantur *pedes.* Sic *curuatura manuum* ſignificant ipſas *manus*, 1. Reg. 5. v. 4. & 4. Reg. 9. v. 35. Quibus Prophetæ verbis conuincitur etiam Caluinus, vt paulò pòſt dicemus. Non vno igitur loco, ſed pluribus prædixit

Iſai. 60. v.14.

Digitized by Google

dixit Propheta Iſaias, hanc Adorationem, quòd *§. 16. huius cap.*
res eſſet excellens, honoremque Eccleſiæ Chriſti maximè commendaret.

IX. Quartum teſtimonium videre licet apud S. Ioannem in Apocal. vbi ille expreſsis verbis teſtatur Deum ipſum tale feciſſe promiſſum Angelo, id eſt, Epiſcopo Eccleſiæ Philadelphiæ: *Ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos, & ſcient, quia ego dilexi te.* *Apoc. 3. v. 9.* Quod idem eſt ac ſi dixiſſet: *Faciam vt veniant & adorent ipſos pedes tuos.* Idem enim eſt in Scriptura iuxta Hebraicam phraſim, *adorare ante aliquid*, quod *adorare illud.* Sic Elcana & vxor eius Anna dicuntur *adoraſſe coram Domino*, vel *ante Dominum*, hoc eſt, *adoraſſe ipſum Dominum.* *1. Reg. 1. v. 19.* Sic S. Ioannes in hoc eodem libro Apocalypſeos ſcribit, quòd *omnes gentes venient, & adorabunt ante Deum*, hoc eſt, *adorabunt ipſum Deum.* *Apoc. 15. v. 4.* Deniq; quod dicitur apud S. Lucã: *Si adoraueris ante me*, S. *Luc. 4. v. 7.* Matthæus his verbis exprimit; *Si cadens adoraueris me.* *Matt. 4. v. 9.* Idem ergo eſt in Scriptura, *adorare ante aliquid*, quod *adorare illud.*

X. Porrò ſi Deus in ea fuit voluntate, vt homines adorarent pedes Epiſcopi Philadelphiæ, multò magis acceptum & gratum erit Deo, quòd Chriſtiani homines pio affectu ad pedes ſupremi Epiſc. totius Eccleſię ſe proſternãt, eiq; oſculi ſigno exhibeant Adorationem, non ciuilem duntaxat, ſed etiam religioſam, nempe propter Deum, Deique cauſa; *Et ſcient* (inquit Dominus) *quia ego dilexi te*. *Apoc. 3. v. 9.* Hoc igitur negari non poteſt, niſi expreſsæ Scripturæ negentur.

XI. At neque eſt iſtud diuerſum à conſuetudine antiquæ Eccleſiæ, vt opponunt aduerſarij; ſed ei potiùs valde conſentaneum. Enimuerò olim hæc pedum oſcula non ſoli Pontifici Romano, ſed *S. Hieron. ep. 6. ad Pammachium*

alijs

Aduerſus errores Ioan. Hieroſol nu. 25. iuxta edit. Mariani Victorij. S. Chryſ. hom. 14. in 1. Ep. ad Tim.

alijs etiam viris ſanctis exhibita fuiſſe liquet. *Cùm ad eum* (inquit S. Hieronymus de beato Epiphanio agens) *omnis ætatis & ſextus turba conflueret, offerens paruulos, pedes deoſculans, fimbrias vellens.* Imò S. Chryſoſt. vehementer hortatur populum, vt omnium etiam Monachorum pedibus ſeſe proſternant eoſque venerentur. *Accede* (inquit) *tange ſacros pedes: longè enim honorabilius eſt illorum pedes, quàm aliorum caput attingere.*

Baron. to. 2. an. 294 nu. vlt.

XII. Adhæc antiquiſsimam fuiſſe conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, vt illi qui Summum Pontificem ſalutarent, proſtrati pedes eius oſcularentur, ſatis probat vetus illa hiſtoria Martyrij S. Suſannæ virginis; quàm recitat Baronius.

Tertull. de Pœnit. c. 9.

XIII. Huius etiam rei non obſcurè meminit Tertull. qui S. Suſannam centum annis anteceſsit. Hic enim cùm deſcribit ritum, quo ſuo tempore in Romana Eccleſia pœnitentes recipi ſolebant, inter cætera dicit, quòd pœnitentes ſolebant presbyteris aduolui, & charis Dei adgeniculari: quod nihil aliud eſt, quàm genibus flexis adorare.

Tertull. de pudicitia c. 13. Iſa. 49. v. 23. Iſa. 60. v. 4. Tertull. de pudic. cap. 13.

Et alibi dicit idem Tertull. quòd ſolebant omnium veſtigia lambere: vbi videtur alludere ad illa verba Prophetæ Iſaiæ ſuperiùs citata: *Puluerem pedum tuorum lingent ſeu lambent: & adorabunt veſtigia pedum tuorum.* Quòd ſi omniũ Chriſtianorum veſtigia lambebant, procul dubio & ſummi Pontificis, qui eos in Eccleſiam recipiebat, quique benedictus Papa tunc vocari ſolebat, vt eodem loco teſtatur Tertull.

Sed neque derogat hæc Adoratio quicquam de honore Dei, aut Chriſti: Imò hunc magis illuſtrat: quia honor iſte exhibetur Romano Pontifici, non propter ſuam propriam Sanctitatem, aut propter qualitatem vllam, quæ eius, vt priuata eſt per-

eſt perſona, propria ſit: ſed ſolùm propter authoritatem illam & poteſtatem ſpiritualem, quam à Chriſto accepit: quæque Dei & Chriſti eſt propria: Proinde in ipſo, & per ipſum adoratur & honoratur Chriſtus, cuius perſonam ipſe repræſentat: iuxta illa Tertull. verba: *Ergo* (inquit) *cùm te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras.* *Tertull. de Pœnit. Cap. 10.*

XVI. Id quod ipſemet Caluinus veritate coactus fatetur, cùm de Adoratione Eccleſiæ loquitur. Nam exponens illa Iſaiæ verba citata, *adorabunt veſtigia pedum tuorum*: ſeu vt ipſe vertit, *incuruabunt ſe ad plantas pedum tuorum*. Ita ſcribit: *Quæret aliquis, an non hic honos, de quo loquitur Propheta, nimius ſit, ac maior quàm vt Eccleſiæ debeatur? Nam incuruare ſeſe, & proſternere, ſigna honoris ſunt, quem nemo hominum admittere debet. Reſpondeo hunc honorem non membris, ſed Capiti exhiberi, nempe Chriſto, qui adoratur in Eccleſia.* Hæc Caluinus. *Iſaia 60. v. 14. Cal. in c. 60. Iſa ad v. 14.*

XVII. Illud ipſum non obſcurè declarant illa Dei verba apud S. Ioannem in Apocalyp. *Faciam vt adorent ante pedes tuos, & ſciant, quia ego dilexi te.* Ob id enim exhibetur iſte honor ſūmo Pontifici, quòd Deus Romanam ſedem adeò dilexerit, adeoque erga eam fuerit munificus: id quod ſummi amoris indicium eſt. *Apoc. 3. v. 9.*

XVIII. Atque hinc eſt, quòd omnibus Pontificibus Romanis ſiue bonis, ſiue malis exhibeatur eadem veneratio: quia non propter ipſorum bonitatem honorantur, ſed propter officium, quod à Chriſto acceperunt.

XIX. Sic etiam vocantur omnes Sancti & Sāctiſsimi, non à Sanctitate, quæ ipſorum eſt, ſed à Sanctitate Chriſti cuius perſonam & vices in terra gerunt: atque à Sanctitate officij, quod à Deo acceperunt. Quemadmodum & S. Paulus Præſidem Iudææ *Act. 26. v. 25.*

Feſtum

Feſtum vocauit optimum, non propter eius probitatem (infidelis enim erat & improbus) ſed propter officium,quod gerebat: Tali enim appellatione ſolebāt tunc inſigniri prouinciarum pręſides, vt benè notauit Baronius.

Vide Baron. to. 1. an. 58. n. 33.

XX. Porrò,quia pedes in Scripturis,teſte Apoſtolo, ſignificant diuinam miſsionem, & vocationem, quæ in Romano Pontifice eſt ampliſsima: idcirco pedibus ipſius maior exhibetur veneratio.

Rom. 10. v. 15.

XXI. In eius verò calceis crux eminet, quam omnes oſculantur: vt intelligant, non illi, ſed Chriſto crucifixo, quem ille repræſentat, hunc honorem deferri.

XXII. Denique & hinc facilè diluitur illud quod aduerſarij ſolent obijcere, S. Petrum recuſaſſe adorationem Cornelij Centurionis. Neque enim adorabat Cornelius S. Petrū propter Chriſtum, vt faciunt Chriſtiani, ſed propter ipſum Petrum, quem putabat eſſe aliquem Deum, ſicut de Sanctis Paulo, & Barnaba exiſtimauerunt etiam Lycaonij: vt ſentit Hieron. vel certè exiſtimauit Petrum eſſe aliquem ſupra hominem, vt apertè demonſtrat reſponſio illa S. Petri: *Surge, & ego ipſe homo ſum.* Proinde admonendus & corrigendus erat Cornelius. Adoratio enim bonitatem aut prauitatem ſuam deſumit à cauſa & ratione. Cauſa ob quam Catholici eam exhibent Romano Pontifici, optima eſt: Nimirum Chriſti inſignis poteſtas, imò ipſe Chriſtus in ſuo vicario gubernans & regens Eccleſiam. Quare bona eſt iſta adoratio & Deo grata: cauſa adorationis Cornelij falſa erat, & mendax proinde adoratio illā praua erat, & reprehenſione digna.

Act. 10. v. 25. & 26. Act. 14. v. 10. S. Hier. aduerſus vigil. poſt Ep. 53. n. 12. iuxta edit. Mariani Victorij. Act. 10. v. 26.

XXIII. Scio aduerſarios illud ſępiſsimè exprobrare Alexandro tertio ſummo Pontifici, quòd Imperatorem

Digitized by Google

torem Fridericum pedibus ſuis inſolenter conculcauit. Sed hanc inſulſam fabellam ſolidè & copiosè iam refutauit Baronius: idque eorum teſtimonijs, qui tunc præſentes adfuerunt, & totius rei ſeriem accuratè literis mandauerunt: Nihil enim inſolitum factum eſt, ſed ſolita duntaxat adoratione exceptus fuit à Friderico Pontifex.

Qui plura deſiderat de oſculatione pedum Romani Pontificis, conſulat Ioſephum Stephanum, qui integrum librum de hac re conſcripſit. Nobis ſat erit hoc ipſum ſacrarum literarum teſtimonijs breuiter confirmaſſe. XXIV.

CAPVT XXVII.

De Oecumenicis Concilijs.

COncilia Oecumenica ſeu generalia repræſentant Corpus totius Eccleſiæ Catholicæ: quare de illis deinceps diſſerendum erit. Nam poſtquam egimus de Capite Eccleſiæ, ſequitur iam vt de corpore agamus. Sed paucis: nã multa hac in re iam concedunt aduerſarij, quæ olim negabant. Vt igitur verus huius controuerſiæ ſtatus intelligatur, obſeruandum eſt, tria eſſe quæ nobis iam concedunt aduerſarij, ipſa rerum experientia edocti. I.

II.
Primum eſt, vtiles valde eſſe huiuſcemodi ſynodos, neque ſpernendam earum authoritatem. Nam cùm cuiuis vero Paſtori obtemperandum eſſe moneat Apoſtolus: Multò magis tam multis ſimul congregatis obtemperandum erit. Ob quam etiam cauſam volunt aduerſarij, vt omnes obtemperent ipſorum ſynodis. Hinc illud Caluini: *Nos certè* (inquit) *libenter concedimus , ſi quo de dogmate incidat diſceptatio , nullum eſſe* *Hebr. v. v.7.* *Calu l.4. inſt. c.9. ſect. 13.*

nec

Cal. eadem ſect. 19. *nec melius, nec certius remedium, quàm ſi verorum Epiſcoporum ſynodus conueniat.* Hæc ille. Denique ratio ipſa hoc conuincit (vt agnoſcit etiam Caluinus.) Nam facilius poſſunt multi ſimul congregati diſcernere veritatem à falſitate, quàm ſi quiſque ſeorſim domi id tentare vellet.

III. Mat. 18. v. 20. Cal. c. 9. citato. ſect. 2. & 9. ſeqq. Secundum quod admittunt aduerſarij, eſt, generales ſynodos non errare, in fidei dogmatibus, quando congregantur in nomine Chriſti. Nam agnoſcunt Chriſtum id promiſiſſe etiam duobus aut tribus congregatis in nomine eius. Ita Caluinus. Addit quidem eas errare quando non congregantur in nomine Chriſti: Id quod nemo Catholicorum negat, vt dicemus paulò pòſt.

IV. Beza 3. vol. tract. Theol. tr. 6. de Eccl. notis pa 138. edit. an. 1583. Cal. l. 4. inſt. c. 9. ſect. 1. Cal. eod. c. 9. ſect. 8. Eodem c. 9. ſect. 9. Tertium quod concedunt aduerſarij, eſt, prima concilia generalia fuiſſe legitima, eaque minimè erraſſe in fidei dogmatibus. Ita expreſsè Beza, qui admittunt etiam 5. & 6. ſynodum: & dicit omnes ſuæ Religionis homines, ita ſentire. Caluinus etiam de antiquis Concilijs ita ſcribit: *Veneror ea ex animo, ſuoq; in honore apud omnes eſſe cupio.* Et poſtea cùm agit de antiquis Concilijs, dicit præter Quatuor illa prima Concilia generalia, videlicet, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum & Chalcedonēſe, ſe recipere ſimiles priſcas ſyonodos: Quod intelligi non poteſt, niſi de quinta & ſexta ſynodo: Nam ſeptimam planè reijcit paulò pòſt.

V. Luth. in l. contra Reg. Angliæ. Hic quoque obſeruandum eſt, quòd in in principio Lutherus reiecerit omnia prorſus Concilia: ſed Caluinum poſtea propter Seruetum & ſimiles Antitrinitarios coacti sūt recipere prima illa quatuor Concilia. Deinde propter Lutheranos Vbiquitarios, qui confundunt proprietates duarum naturarum Chriſti compulſi ſunt etiam admitte-

re quin-

re quintam & ſextam ſynodum. Et hæc ſunt quæ concedunt etiam ipſi Caluiniani.

Catholici autem hęc quinq; docent de Oecumenicis Cōcilijs. Primum eſt, Conciliū generale non poſſe ſine vllo Verbo Dei condere nouos articulos fidei, ſed illius officium eſſe clariùs explicare & proponere omnibus credēdū illud ipſum Verbum Dei, quod Eccleſia accepit à Chriſto & Apoſtolis. Conciliū enim generale legitimum nihil determinat in fidei dogmatibus, quod nō habetur in ipſa Scriptura, vel Traditione Apoſtolica, vel certè quod nō euidēter deducitur ex Scriptura aut Traditione. Id quod Conciliū Tridentinū apertè profitetur. Neq; enim ſunt iam expectandæ nouę reuelationes è cœlo. Quare mera calūnia eſt quod ait Caluinus, Catholicos docere quòd penes Eccleſiam ſit condere nouos fidei articulos, & Catholicos ſua libidine, contemptoque Dei Verbo, cudere noua Fidei dogmata. *Concil. Trid. ſeſſ. 4. Calu. l. 4 inſt c. 8. ſect 10. in fine.*

VII. Secundum eſt. Agnoſcimus Concilia generalia errare poſſe in illis, quæ non ſpectant ad fidem: & in hoc ſenſu dicit Sanctus Auguſtinus, vnum Concilium plenarium emendari per aliud: Non quidem in fide, quæ nunquam mutatur, ſed in conſtitutionibus Eccleſiaſticis, quæ iuxta diuerſa tempora mutari ſæpe ſolent, & debent. Vnde & ibidem apertè ſcribit, priora poſterioribus tunc emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat: experimenta enim rerum Conſtitutiones & leges Eccleſiaſticas mutare & emendare poſſunt, ſed fidem mutare & emendare non poſſunt. *S. Aug to. 7. de Baptiſmo cōtra Donat l. 2 c. 3.*

VIII. Quare non rectè obijcit nobis Caluinus, quòd Sanctus Leo Papa reprehenderit Cōcilium Chalcedonenſe: cùm ipſemet Caluinus eodem loco fa- *Calu. l. 4. Inſt. c. 9. ſect. 11.*

T teatur,

re quintam & ſextam ſynodum. Et hæc ſunt quæ concedunt etiam ipſi Caluiniani.

Catholici autem hęc quinq; docent de Oecumenicis Cõcilijs. Primum eſt, Conciliũ generale non poſſe ſine vllo Verbo Dei condere nouos articulos fidei, ſed illius officium eſſe clariùs explicare & proponere omnibus credẽdũ illud ipſum Verbum Dei, quod Eccleſia accepit à Chriſto & Apoſtolis. Conciliũ enim generale legitimum nihil determinat in fidei dogmatibus, quod nõ habetur in ipſa Scriptura, vel Traditione Apoſtolica, vel certè quod nõ euidẽter deducitur ex Scriptura aut Traditione. Id quod Conciliũ Tridentinũ apertè profitetur. Neq; enim ſunt iam expectandæ nouę reuelationes è cœlo. Quare mera calũnia eſt quod ait Caluinus, Catholicos docere quòd penes Eccleſiam ſit condere nouos fidei articulos, & Catholicos ſua libidine, contemptoque Dei Verbo, cudere noua Fidei dogmata. *Concil. Trid. ſeſſ. 4.* *Calu. l. 4 Inſt c. 8. ſect. 10. in fine.*

VII. Secundum eſt. Agnoſcimus Concilia generalia errare poſſe in illis, quæ non ſpectant ad fidem: & in hoc ſenſu dicit Sanctus Auguſtinus, vnum Concilium plenarium emendari per aliud: Non quidem in fide, quæ nunquam mutatur, ſed in conſtitutionibus Eccleſiaſticis, quæ iuxta diuerſa tempora mutari ſæpe ſolent, & debent. Vnde & ibidem apertè ſcribit, priora poſterioribus tunc emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat: experimenta enim rerum Conſtitutiones & leges Eccleſiaſticas mutare & emendare poſſunt, ſed fidem mutare & emendare non poſſunt. *S. Aug. to. 7. de Baptiſmo cõtra Donat. l. 2 et 3.*

VIII. Quare non rectè obijcit nobis Caluinus, quòd Sanctus Leo Papa reprehenderit Cõcilium Chalcedonenſe: cùm ipſemet Caluinus eodem loco fa- *Calu l. 4. Inſt. c. 9. ſect. 11.*

T teatur,

teatur, illud quod S. Leo reprehendit, nō ſpectaſſe ad fidem: Et etiam agnoſcat, Catholicos docere, Concilia errare poſſe in his quæ ad fidem non ſpectant. Et non minùs ineptè in alio loco reprehēdit Caluinus ipſum Concilium primum Nicęnum de rebus quæ nihil ſpectant ad fidem.

Calu. eod. c. 9. ſect. 10.

IX. Tertium eſt. Agnoſcimus illa Concilia errare poſſe, quæ vel non legitimè ſunt congregata, vel non legitimè procedunt. Nam talia reuera non congregantur in nomine Chriſti; cuiuſmodi fuerunt, Ariminenſe Arrianorum: Epheſinum 2. Eutychianorum: Conſtantinopolitanum ſeptimum Iconoclaſtarum: quæ proinde fruſtra nobis obijciunt aduerſarij.

X. Quartum eſt. Etiamſi Concilium legitimè cōgregatum, & rectè videatur procedere: nihilominus definitiones illius certæ omnino non erunt, ſecundum multorum Catholicorum ſentētiam; niſi his accedat etiam approbatio Sūmi Pontificis Romani, ſi ipſe non adſit Concilio. Ratio eſt, quia antequam Concilium approbetur à Summo Pontifice, illud adhuc eſt imperfectum corpus Chriſti, ſine Capite viſibili: Et tale Corpus titubare, & cadere poteſt.

Vide Bell. l. 2 de Eccl. militāte c. 11.

XI. Atq; hinc eſt, quòd Concilium Tridentinum petierit confirmationem Pij IV. qui & illud poſtea ſolēniter approbauit. Id quod petierunt quoque alia antiqua Concilia: illa etiam quę recipiunt aduerſarij, verbi gratia, Nicænum primum, Chalcedonenſe, ſexta ſynodus, vt alia poſteriora Concilia omittamus.

Concil. Trid. ſeſſ. vl. in fin. Conc. Nican. 1. de quo Bar. to. 3. an. 325. n. 171 Chalcedonenſe act. 3 in fin. in Ep. ad S. Leō. Papā. Sexta ſynodus in Ep. ad Agathonem Papam.

XII. Quintum eſt. Aſſerimus Synodum Oecumenicam approbatam à Romano Pontifice, non poſſe errare in fide. Ratio eſt, quia neceſſe eſt aliquod eſſe iudicium ſupremum in Eccleſia Dei, cui omnes

debent

debent ſe ſubmittere, fidemq; indubitatam in rebus controuerſis adhibere: vt ſuprà probatũ eſt. Sed aliud iudiciũ ſupremũ ab iſto eſſe non poteſt. *Suprà c. 17. huius Contro.*

Deinde videmus à principio Eccleſiæ huc vſq; omnes hæreſes, & controuerſias de fidei dogmatibus ſublatas fuiſſe per Concilia generalia: Quare qui hoc negant, viam aperiunt omnibus antiquis hæreſibus. Quod cùm experientia didiciſſent aduerſarij in Antitrinitarijs, Anabaptiſtis, Vbiquitarijs, & alijs ſimilibus, coacti fuerunt recipere ſex illa antiquiora Concilia, vt dictum eſt: ſed omnium legitimorum Conciliorum generalium par eſt, & æqualis authoritas. XIII. *§. 4. huius c.*

Denique ipſi aduerſarij agnoſcunt, nullum eſſe melius aut certius remedium ad tollendas hæreſes: erit ergò hoc certum remedium, vel nullum planè erit: quod eſt negare diuinam Prouidentiam & amorem erga ſuam Eccleſiam. XIV. *Calu. l. 4. inſt. c. 9. ſect. 13.*

Porrò, quòd dicunt aduerſarij, poſteriora Conciliá non eſſe legitima, quia non ſeruauerunt debitum modum, & formam: Id planè falſum eſt. In primis quia nõ eſt cuiuſuis priuati hominis de hac re iudicare, ſed totius Eccleſiæ: quæ cùm hæc omnia Concilia, vt legitima à tot annis receperit, nõ debemus iam illa in dubium reuocare. XV.

Deinde cùm aduerſarij recipiant ſex prima Cõcilia: ex his petenda erit legitima forma Synodorum: quæ eadem planè eſt cum illa, quæ in poſterioribus eſt obſeruata: vt in ſingulis illis ſex primis Synodis euidenter oſtendit Baronius per ſingulas ætates. Verumenimuerò Caluinus nullum agnoſcit legitimum modum ſynodi, nec vllam ſynodum congregari in nomine Chriſti, niſi vbi ex ſola Scriptura omnia probãtur, repudiatis omnibus Eccleſiaſticis Traditionibus, ſed Traditio- XVI. *Calu. c. 9. citato ſect. 2.*

debent ſe ſubmittere, fidemq; indubitatam in rebus controuerſis adhibere: vt ſuprà probatũ eſt. Sed aliud iudiciũ ſupremũ ab iſto eſſe non poteſt. *Suprà c. 17. huius Contro.*

XIII. Deinde videmus à principio Eccleſiæ huc vſq; omnes hæreſes, & controuerſias de fidei dogmatibus ſublatas fuiſſe per Concilia generalia: Quare qui hoc negant, viam aperiunt omnibus antiquis hæreſibus. Quod cùm experientia didiciſſent aduerſarij in Antitrinitarijs, Anabaptiſtis, Vbiquitarijs, & alijs ſimilibus, coacti fuerunt recipere ſex illa antiquiora Concilia, vt dictum eſt: ſed omnium legitimorum Conciliorum generalium par eſt, & æqualis authoritas. *§. 4. huius c.*

XIV. Denique ipſi aduerſarij agnoſcunt, nullum eſſe melius aut certius remedium ad tollendas hæreſes: erit ergò hoc certum remedium, vel nullum planè erit: quod eſt negare diuinam Prouidentiam & amorem erga ſuam Eccleſiam. *Calu. l. 4. inſt. c. 9. ſect. 13.*

XV. Porrò, quòd dicunt aduerſarij, poſteriora Concilià non eſſe legitima, quia non ſeruauerunt debitum modum, & formam: Id planè falſum eſt. In primis quia nõ eſt cuiuſuis priuati hominis de hac re iudicare, ſed totius Eccleſiæ: quæ cùm hæc omnia Concilia, vt legitima à tot annis receperit, nõ debemus iam illa in dubium reuocare.

XVI. Deinde cùm aduerſarij recipiant ſex prima Cõcilia: ex his petenda erit legitima forma Synodorum: quæ eadem planè eſt cum illa, quæ in poſterioribus eſt obſeruata: vt in ſingulis illis ſex primis Synodis euidenter oſtendit Baronius per ſingulas ætates. Verumenimuerò Caluinus nullum agnoſcit legitimum modum ſynodi, nec vllam ſynodum congregari in nomine Chriſti, niſi vbi ex ſola Scriptura omnia probãtur, repudiatis omnibus Eccleſiaſticis Traditionibus, ſed Traditiones *Calu. c. 9. citato ſect. 2.*

Contr. 1 *c.* nes Eccleſię eſſe partes Verbi Dei, & quidem prę-
28. *& ſeq.* cipuas, ſuprà iam ſatis probatum eſt,

XVII. *Lyrinenſ. in l. cõtra Hær. c.* 9. *&* 10. *S. Aug. to.* 7. *de Bapt. contra Donat. l.* 2. *c.* 7. *in fine & c.* 8. *&* 9.

Imò hæc vnica fuit cauſa, cur S. Cyprianus & alij tot Sancti Epiſcopi in Concilijs illis Africanis errauerint, cùm ſtatuerunt, omnes baptizatos ab hæreticis rebaptizandos eſſe. Illi enim varijs Scripturæ locis veriſimiliter iſtud confirmabant, ſed antiquam Eccleſiæ traditionem, quam ſciebant huic errori aduerſari, reijciebant vt pugnantem cum ſacris literis: Quemadmodum egregiè declarat S. Vincentius Lyrinenſis, & ante illum S. Auguſtinus in varijs locis.

XVIII. *S. Aug. to.* 7. *l.* 3. *de Bapt. contra Donat. c.* 4. *S. Aug. l.* 3. *citato, c.* 2. 5. 6. 7. 8 *&* 9. *Ioan.* 14. *v.* 6.

Et quod amplius eſt, Sanctus Auguſtinus apertè ſcribit, quòd ipſemet iuiſſet in ſententiam Sancti Cypriani, propter eius rationes veriſimiles ex Scripturis petitas, niſi vniuerſalis Eccleſia contrarium ſtatuiſſet. Et, vt multis verbis docet idem S. Auguſtinus, conſuetudinem Eccleſię maximè oppugnabant illi, qui erant in errore S. Cypriani: inter cætera & illud ex Scriptura obijcientes (quod nobis iam ſolent obijcere aduerſarij:) Dominus dicit: *Ego ſum veritas*, non dicit: *Ego ſum conſuetudo:* quibus benè reſpondet S. Auguſtin. conſuetudinem Eccleſiæ non pugnare cum veritate, ſed eſſe ipſiſsimam veritatem.

XIX. *Calu. c.* 9. *citato ſect.* 7. *Ioa.* 11. *v.* 47. *Beza* 1. *ad Tim.* 3. *v.* 15.

Argumenta aduerſariorum leuia ſunt. Caluinus inducit exemplum Caiphæ, & Concilij Iudæorum, in quo condemnatus fuit CHRISTVS: Affert & idem argumentum poſt Caluinum Beza. Sed quis ignorat illud Concilium nec vniuerſale fuiſſe, quippe ad quod non vocatus fuit ipſe CHRISTVS, aut vllus qui in illum credebat: nec legitimum, quod Chriſti nomine, & authoritate conuocatũ nõ fuit, qui tum militantis & viſibilis Eccleſiæ fuit ſupremũ Caput. Imò quod indice-

dicebatur contra veram Eccleſiã ab Eccleſia malignãte. Vera enim Eccleſia erat illa, quæ Chriſto adhærebat, & in illum credebat: ſed quæ Chriſto erat incredula, Eccleſia erat Satanæ. Et miror ſanè quòd Caluinus & Beza illud Conciliũ adducant, vt verũ & legitimũ, quod aduerſus ipſum Chriſtum congregatum fuerat, & ab illis, qui veram fidem non habebant; imò qui grauiſsimo infidelitatis peccato fœdati fuerunt, ipſo Chriſto teſte. Porrò talem Eccleſiam, taleque Concilium libenter relinquimus aduerſarijs. XX.

Ioan. 15. v. 22. Pſal. 117. v. 22. Iſa. 6. v. 9. & 10. Iſa. 8 v. 14. Dan. 9. v. 26. Mat. vlt. v. vlt. Ioan. 4. v 16.

Adhæc, perſpicuè prædictum fuit à Prophetis, quòd Chriſtus non reciperetur à Iudæis: & quòd tũc deficeret à fide Synagoga Iudæorum. At verò de Eccleſia Chriſti planè contrariũ docent Scripturæ, nimirum Chriſtum, Chriſtique Spiritum manſuros cum ea in æternum. XXI.

Sed neq; firmius eſt aliud illud argumentum à Caluino & Beza vſurpatum; népè quòd Sanctus Auguſtinus noluerit vrgere authoritatẽ Concilij Nicæni contrà Maximinum Arrianum. Nã neq, poſſumus nos vrgere authoritatẽ noui Teſtamẽti contra Iudæos: non quòd de eo dubitemus, ſed quia Iudæi nouum Teſtamentum non recipiunt. Ad eundem modum, cùm Arrianus ille non reciperet Concilium Nicænum, ſed planè reijceret, fruſtrà illius authoritatem vrſiſſet S. Auguſtinus. Alioquin enim ſatis cõſtat S. Auguſt. minimè dubitaſſe de fide in Conc. Nicæno explicata: quã ipſi aduerſarij amplectũtur, vt veriſsimũ Dei verbũ.

Cal c. 9. cit ſect. 8. S. Aug. to. 6 l. 3. contrà Maxim. Arri. Epiſ. c 14. Beza Vol. 2. Tract. Theol. tr. 3. de pace Chriſtia. Eccleſ. conſtituenda: non procul à fin. p. 118. iux. edit. Gen. an. 1582.

Qui plura de Cõcilijs poſtulat, legat Bellar. l. 1. & 2. de Eccl. milit. & Cocciũ, to. 1. l. 7. ar. 21. & 22.

Cal ſect. 8 et Rup. Conf. ar. 5. in fine.

CAPVT XXVIII.

De authoritate antiquorum Patrum.

DE Patribus antiquis eorumque ſcriptis non- XXII. 1.

dicebatur contra veram Eccleſiā ab Eccleſia ma- *Ioan. 15,*
lignāte. Vera enim Eccleſia erat illa, quæ Chriſto *v. 22.* XX.
adhærebat, & in illum credebat: ſed quæ Chriſto *Pſal. 117.*
erat incredula, Eccleſia erat Satanæ. Et miror ſanè *v. 22.*
quòd Caluinus & Beza illud Conciliū adducant, *Iſa. 6. v.*
vt verū & legitimū, quod aduerſus ipſum Chri- *9. & 10.*
ſtum congregatum fuerat, & ab illis, qui veram fi- *Iſa. 8. v. 14.*
dem non habebant; imò qui grauiſsimo infideli- *Dan. 9.*
tatis peccato fœdati fuerunt, ipſo Chriſto teſte. *v. 20.*
Porrò talem Eccleſiam, taleque Concilium li- *Mat. vlt.*
benter relinquimus aduerſarijs. *v. vlt.*

Adhæc, perſpicuè prædictum fuit à Prophetis, *Ioan. 4. v. 16.*
quòd Chriſtus non reciperetur à Iudæis: & quòd XXI.
tūc deficeret à fide Synagoga Iudæorum. At verò *Cal c. 9.*
de Eccleſia Chriſti planè contrariū docent Scri- *cit. ſect. 8.*
pturæ, nimirum Chriſtum, Chriſtique Spiritum *S. Aug.*
manſuros cum ea in æternum. *to. 6. l. 3.*

Sed neq; firmius eſt aliud illud argumentum à *contrà Maxim.*
Caluino & Beza vſurpatum; nēpè quòd Sanctus *Arri. E-*
Auguſtinus noluerit vrgere authoritatē Concilij *piſ. c 14.*
Nicæni contrà Maximinum Arrianum. Nā neq, *Beza Vol.*
poſſumus nos vrgere authoritatē noui Teſtamēti *2. Tract.*
contra Iudæos: non quòd de eo dubitemus, ſed *Theol. tr.*
quia Iudæi nouum Teſtamentum non recipiunt. *3. de pace*
Ad eundem modum, cùm Arrianus ille non reci- *Chriſtia. Eccleſ.*
peret Concilium Nicænum, ſed planè reijceret, *conſtituenda: non*
fruſtrà illius authoritatem vrſiſſet S. Auguſtinus. *procul à*
Alioquin enim ſatis cōſtat S. Auguſt. minimè du- *fin. p. 118.*
bitaſſe de fide in Conc. Nicæno explicata: quā ipſi *iux. edit.*
aduerſarij amplectūtur, vt veriſsimū Dei verbū. *Gen. an. 1582.*

Qui plura de Cōcilijs poſtulat, legat Bellar. l. 1. *Cal. ſect.*
& 2. de Eccl. milit. & Cocciū, to. 1. l. 7. ar. 21. & 22. *8. ci. Rup.*

CAPVT XXVIII.

De authoritate antiquorum Patrum.

Conf. ar. 5. in fine.

DE Patribus antiquis eorumque ſcriptis non- XXII. 1.

 nulla

nulla hic dicenda ſunt: tùm quòd illi fuerint olim præcipua membra veræ Chriſti Eccleſiæ, vel aduerſariorum ſententiâ: tum quòd in particularibus controuerſijs frequenter nobis vtendum ſit Patrum authoritate, & teſtimonijs.

II. Scimus quidem eos homines fuiſſe, & errare potuiſſe (ſed neque ſunt illi Dij aut Angeli, qui eos errorum inſimulant:) ſcimus quoque vnum aut etiam plures Patres aliquando erraſſe, dum ab aliorum ſententia recedunt.

III. Sed hoc conſtanter aſſerimus, Patres antiquos ab Eccleſia receptos, nihil vnquam communi & vnanimi conſenſu ſcripſiſſe, quod aduerſetur ſacris litteris, aut vlli dogmati fidei.

IV. Porrò ex Scriptis Patrum antiquorum non vno tantùm modo, ſed quatuor diuerſis modis deſumi poſſunt efficacia argumenta.

Primò ex communi conſenſu omnium, aut ſaltem plurimorum, nullo refragãte. Nam ſi omnes erraſſent in re ad ſalutem neceſſaria, erráſſet & tota antiqua Eccleſia, quod ipſi aduerſarij agnoſcunt falſum eſſe: vt ſuprà oſtendimus. *Cap. 7. huius Contr.*

V. Deinde promiſſum illud Chriſti, quod pollicitus eſt ſe ſemper adfuturum ſuæ Eccleſiæ, factum eſt propriè Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ; illis enim promiſit ſe adfuturum, quos miſit baptizare, & prędicare, nēpè Paſtores Eccleſiæ. *Mat. vlt. v. pen. & vlt.*

VI. Adhæc Paſtores & Doctores idcircò ſunt conſtituti à Deo in Eccleſia, Apoſtolo teſte: *vt non circumferamur omni vento doctrinæ: Sed vt permaneamus in vnitate fidei, donec omnes occurramus Chriſto in nouiſſimo die:* At verò ſi omnes Paſtores & Doctores Eccl. errare poſſent, facilè circũferremur varij doctrinarũ ventis, neq; cõſiſtere poſſet perpetuò vnitas fidei: atq; ita malè prouiſum fuiſſet Eccleſiæ, ne vnquam erraret. *Ad Eph. 4. v. 11. 12. 13. 14.*

Deni-

Deniq; ſi omnes Paſtores & Doctores Eccleſię docerent contrà fidem, nulla reſtaret vera, & ſincera prędicatio Verbi Dei in Eccleſia: cùm ſoli Paſtores & Doctores legitimè vocētur ad fidē prædicandā: Porrò ſine ſincera Verbi Dei prędicatione Eccleſ. Chriſti cōſiſtere nō poſſe agnoſcūt etiā aduerſarij: vt ſuprà oſtēdimus. VII.

Secundo modo ex Patribus antiquis ſumimus argumenta, tāquam ex teſtibus fideliſsimis illius fidei, quæ illorum ætate in Eccleſia Catholica prædicabatur: fatentur enim aduerſarij, veram & ſinceram fidē fuiſſe eorum tempore prædicatam, hos igitur adducimus, vt teſtes iſtius fidei: nam ſi illis non credimus, qui tūc vixerunt, quibus tandem credemus? Enimuerò & oculati fuerunt teſtes, & minimè ſuſpecti: vt egregiè declarat S. Auguſtinus contrà Pelagianos diſputans. VIII. *Sup. c. 8. huius Contr. §. 15.* *S. Aug. to. 7. con. Iulian. Pelagianum, l. 2. c. vlt.*

Tertio modo deſumimus argumenta ex Patribus, vt ex Doctoribus, quorū ſcripta fuerūt recepta & approbata ab antiqua Eccleſia. Solebat enim antiqua Eccleſia Scriptores illos impugnare & dānare, qui aliquid contra veram fidem ſcribebant, ne ſcripta huiuſmodi poſteritati nocerent: & contrà, eorum ſcripta approbare, qui veram fidem edocebant. Extat & adhuc Decretum Romani Concilij de his ſcriptis antè mille & ducentos ferè annos editum. Hi igitur Scriptores, qui approbati ſunt ab antiqua Eccleſia, fide digniſsimi ſunt, quòd vetus Eccleſia, etiam aduerſariorum ſententia, in iudicio fidei non errauerit. IX. *V. de to. 2 Concil. inter decreta S. Gelaſij Papa.*

Quarto modo ex Patribus ſumimus argumēta, vt ex viris ſanctis & beatis. Nā vel habuerūt ſincerā fidē: & ſi ita eſt, eandem debemus amplecti: vel eam fidem non habuerunt, & ſi ita eſt, nec Sancti fuerunt, nec Deo placere potuerunt, Apoſtolo teſte. X. *Ad Heb. 11. v. 6.*

Hoc ipſo argumento Catholici olim conuicerūt Arrianos: vrgebant enim eos, vt Patres, qui antè Arrium ſcripſerant, reciperent, vel eis dicerent anathema, vt teſtantur Socrates, & Sozomenus. XI. *Socrat. l. 5. c. 10. Sozom l. 7. c. 12. hiſt. Eccl.*

Huc ſpectant verba illa S. Auguſtini, quibus perſpicuè declaratur, quodnam fuerit iudicium antiquæ Eccleſiæ de hac re. Ita enim alloquitur S. Auguſtinus Hæ- XII.

Digitized by Google

Deniq; ſi omnes Paſtores & Doctores Eccleſię docerent contrà fidem, nulla reſtaret vera, & ſincera prędicatio Verbi Dei in Eccleſia: cùm ſoli Paſtores & Doctores legitimè vocētur ad fidē prædicandā: Porrò ſine ſincera Verbi Dei prędicatione Eccleſ. Chriſti cōſiſtere nō poſſe agnoſcūt etiā aduerſarij: vt ſuprà oſtēdimus. VII.

Secundo modo ex Patribus antiquis ſumimus argumenta, tāquam ex teſtibus fideliſsimis illius fidei, quæ illorum ætate in Eccleſia Catholica prædicabatur: fatentur enim aduerſarij, veram & ſinceram fidē fuiſſe eorum tempore prædicatam, hos igitur adducimus, vt teſtes iſtius fidei: nam ſi illis non credimus, qui tūc vixerunt, quibus tandem credemus? Enimuerò & oculati fuerunt teſtes, & minimè ſuſpecti: vt egregiè declarat S. Auguſtinus contrà Pelagianos diſputans. VIII. *Sup. c. 8. huius Contr. §. 15.* *S. Aug. to. 7. con. Iulian. Pelagianum l. 2. c. vlt.*

Tertio modo deſumimus argumenta ex Patribus, vt ex Doctoribus, quorū ſcripta fuerūt recepta & approbata ab antiqua Eccleſia. Solebat enim antiqua Eccleſia Scriptores illos impugnare & dānare, qui aliquid contra veram fidem ſcribebant, ne ſcripta huiuſmodi poſteritati nocerent: & contrà, eorum ſcripta approbare, qui veram fidem edocebant. Extat & adhuc Decretum Romani Concilij de his ſcriptis antè mille & ducentos ferè annos editum. Hi igitur Scriptores, qui approbati ſunt ab antiqua Eccleſia, fide digniſsimi ſunt, quòd vetus Eccleſia, etiam aduerſariorum ſententia, in iudicio fidei non errauerit. IX. *Vide to. 2 Concil. inter decreta S. Gelaſij Papæ.*

Quarto modo ex Patribus ſumimus argumēta, vt ex viris ſanctis & beatis. Nā vel habuerūt ſincerā fidē: & ſi ita eſt, eandem debemus amplecti: vel eam fidem non habuerunt, & ſi ita eſt, nec Sancti fuerunt, nec Deo placere potuerunt, Apoſtolo teſte. X. *Ad Heb. 11. v. 6.*

Hoc ipſo argumento Catholici olim conuicerūt Arrianos: vrgebant enim eos, vt Patres, qui antè Arrium ſcripſerant, reciperent, vel eis dicerent anathema, vt teſtantur Socrates, & Sozomenus. XI. *Socrat. l. 5. c. 10. Sozom l. 7. c. 12. hiſt. Eccl.*

Huc ſpectant verba illa S. Auguſtini, quibus perſpicuè declaratur, quodnam fuerit iudicium antiquæ Eccleſiæ de hac re. Ita enim alloquitur S. Auguſtinus Hæreticos XII.

reticos ſui temporis, dum eos vrget authoritate & teſtimonio antiquorum Patrum, qui ipſum præceſſerũt: N*ullas* (inquit) *nobiſcum, vel vobiſcum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt. Neque nobis, neque*
S. Aug. to. 7. cont. Iulian. Pelag. l. 2. c. vlt. *vobis, irati ſunt: neque nos, neq; vos, miſerati ſunt. Quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerũt docuerũt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt. Nondum vobiſcum apud iſtos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra: nec nos, nec vos, eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contrà vos ſententias recitamus: nondum vobiſcum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus*. Hæc S. Auguſtinus.

Poſtremò, S. Vincentius Lyrinenſis Gallus, qui eodem tẽpore cum S. Auguſtino vixit, id ipſum præclarè probat multis rationibus & exemplis per totum ferè
XIII. illum librum egregium, quem aduerſus profanas omnium hæreſeon nouationes ſcripſit & inſcripſit. Noſq; ijſdem verbis, quibus ipſe ſuum illũ aureum libellum clauſit, hoc caput, de Patrum authoritate, atq; adeò totam hanc diſputationem de Eccleſia, meritiſsimò concludemus. Ita enim ſcribit in fine totius libri: *Quòd ſi neque Apoſtolica definita, neq; Eccleſiaſtica decreta temeranda ſunt: quibus ſecundùm ſacroſanctam vniuerſitatis & antiquitatis conſenſionem cuncti ſemper Hæretici, & ad extremum Pelagius, Celeſtius, Neſtorius* (hi enim poſtremi erant Hæretici ætate S. Vincentij) *iure meritoq; damnati ſunt: neceſſe eſt profectò omnibus deinceps Catholicis, qui ſeſe Eccleſiæ matris legitimos filios probare ſtudent, vt ſanctæ ſanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur: Profanas verò profanorum nouitates deteſtentur, horreſcant, inſectentur, perſequantur*. Hactenus S. Vincentius.

Vide præſertim c. 4. & 40. eiuſdem libelli.

Cap. 43.

Hęc de primis & generalibus Fidei principijs, Verbo Dei nimirũ, & Eccleſia, paulò fortaſsis fuſiùs, quã exigebat cõpẽdiaria harũ rerũ tractatio. Sed quia duo iſta
XIV. generalia principia ſummi ſunt momẽti: & eiuſmodi, ex quibus cætera omnia pendeant: idcircò paulò accuratiùs, atq; prolixiùs de his egimus. Deinceps verò breuiùs (Deo benè fauente) de ſingulis particularibus controuerſijs diſputabimus.

ORDO

R. P. IACOBI

GORDONI HVNTLAEI SCOTI,

E SOCIETATE IESV DOCTORIS THEOLOGI,

CONTROVERSIARVM EPITOMES

TOMVS SECVNDVS:

In quo de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contra Caluinianos breuiter diſputatur: idquè ex ipſis ſacris litteris præſertim.

Digitized by Google

APPROBATIO.

L*Vdouicus Leſcazius Rector Collegij Burdigalenſis, Societatis* IESV, *& in ſacra Theologia Doctor, & Gabriel à Porta eiuſdem Theologicæ facultatis in eodem Collegio publicus Profeſſor; fidem facimus, nos attentè euoluiſſe hunc* ſecundum Tomum Controuerſiarum fidei, De Euchariſtia, contra Caluinum alioſque Sacramentarios, à R. P. Iacobo Gordono Huntlæo eiuſdem Societatis Doctore Theologo *doctè & diligenter elaboratum, nihilq; in eo reperiſſe, quod veræ & orthodoxæ fidei principijs repugnet, quinimò dignum eſſe, qui ad errorum huius ſæculi tenebras depellendas publicâ luce donetur. Datum Burdigalæ, in dicto Collegio, IV. Iunij,* 1617.

LVDOVICVS LESCAZIVS.
GABRIEL A PORTA.

APPROBATIO.

LEGI *ſecundum hunc Tomum Controuerſiarum R. P. Iacobi Gordoni Huntlæi*, nihilque in eo non conſentaneum Catholicæ religionis dogmatibus reperi, quam ob cauſam, & quia multas eximias diſputationes complectitur, ad reuincendos Hæreticorum huius ſæculi errores, dignum iudico, vt in lucem edatur. Scripſi Lutetiæ XII. Maij, CIƆ.IƆC.XVIII.

Fronto Ducæus.

ORDO

Digitized by Google

ORDO, SCOPVS, ET SVMMA HVIVS SECVNDI TOMI.

IN duabus controuerſijs Tomi primi huius epitomes diſſeruimus de generalibus fidei principijs, Verbo Dei, & Eccleſia: nunc de ſingulis quæſtionibus controuerſis agendum nobis erit: atque in ſingulis oſtendendum Romanam Eccleſiam ab antiqua illa fide, Apoſtolico ore laudata, nulla ex parte defeciſſe: & conſequenter Romanam Eccleſiam eſſe veram illam Chriſti Eccleſiam, extra quam remiſsio peccatorum aut vita æterna obtineri non poteſt. I. *Rom. 1. v. 7. 8. 12.*

Sed quia multa ſunt quæ in doctrina Romanæ Eccleſiæ reprehendunt hoc tẽpore aduerſarij, ab illis initiũ faciemus, quæ crebriùs & vehementiùs impugnare ſolent; cuiuſmodi eſt realis præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento Euchariſtię: de qua hoc ſecũdo tomo diſputamus. II.

Porrò de hoc tanto & tam alto myſterio tractaturi (quod vel ipſo Caluino iudice omnẽ humanæ mentis intelligentiam multùm excedit) meritò vtendum nobis erit ea excuſatione, qua olim vſus eſt S. Hilarius, cùm contra Arianos ſuæ ætatis de diuino Trinitatis myſterio diſputaret. Ad hunc enim modum ſecundum ſuum librũ de Trinitate orditur: *Sufficiebat quidẽ credentibus Dei ſermo, qui in aures noſtras Euangeliſtæ teſtimonio cum ipſa veritatis ſua virtute transfuſus eſt*: cùm dicit III. *Cal l. 4. Inſt. c. 7. ſect. 7. 24. & 32* *S. Hilar. l. 2. de Trin. in princ.*

Dominus: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Ita S.
Mat. 28. v. 19. Hilarius: pari profectò ratione & nos dicere poſſumus, cùm dicit Dominus, HOC EST CORPVS
Matt. 26. v. 26. 28. MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS. Et paulò pòſt ita proſequitur S. Hilar. quod dicere inſtituerat: *Sed compellimur hæreticorum, & blaſphemantium vitijs illicita agere, ardua ſcandere, ineffabilia eloqui, inconceſſa præſumere. Et cum ſola fide expleri, quæ præcepta ſunt oporteret, adorare ſcilicet Patrem, & venerari cum eo Filium, ſancto Spiritu abundare* (& nos quoq; dicere poſſumus: adorare Chriſtum verum Filium Dei in Euchariſtia) *cogimur ſermonis noſtri humilitatem ad ea, quæ inenarrabilia ſunt, extendere, & in vitium vitio coarctamur alieno, vt quæ contineri religione mentium oportuiſſet, nunc in periculum humani eloquij proferantur. Extiterunt enim plures qui cæleſtium verborum ſimplicitatem pro voluntatis ſuæ ſenſu, non pro veritatis ipſius abſolutione ſuſciperent, aliter interpretantes, quàm dictorum virtus poſtularet.*

IV. HVCVSQVE S. Hilarius; qui prudenter monet propter naſcentes hæreſes (quæ ex verbis Scripturę malè intellectis oriuntur) neceſſe eſſe multa & ſubtilia diſputare de profundis fidei myſterijs, quæ alioqui humiliter credenda, non humana ratione diſcutienda eſſent.

V. IGNOSCENDVM igitur nobis eſt, quòd arduum hoc myſterium & ſublime diſcutiendum ſuſceperimus. Id enim exigit temporū noſtrorum malitia: id efflagitant tot hæreſes, quæ contra auguſtiſsimum & ſacroſanctum hoc myſterium & olim ortæ ſunt, & in dies oriuntur. Quæ etiam cauſa eſt quòd de hoc Sacramento fuſiùs & accuratius diſſerere decreuerimus: totumque hunc ſecundum tom. in eius explicationem atque propugnationem inſumere.

TER-

TERTIA CONTROVERSIA,

DE REALI PRAESENTIA humanitatis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ.

CAPVT I.

De certaminibus à Satana diuerſis temporibus excitatis contrà Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum.

INSATIABILE Satanę odium in hoc 1.
Sacramētum ex eo ſatis elucet, quòd
nulla fuerit ferè ætas, vſque ab ipſo
Chriſto Domino noſtro, in qua ille
humanæ ſalutis inimicus non exci-
tauerit aliquos, qui vel manifeſtò vel occultè hoc
Sacramentum impugnarent. Nam ſtatim in pri- *Io. 6. v. 4.*
ma huius Sacramenti promulgatione, (quæ facta *Io. 6. v.*
eſt à Chriſto Domino noſtro, vno anno & eo *54. 55. 56.*
ampliùs ante eius inſtitutionem) poſt præclaram *Io. 6. v. 61*
illam Chriſti concionem de neceſſaria manduca- *Io. 6. v.*
tione carnis ſuæ, orta eſt magna diſſenſio inter *67.*
ipſos Chriſti Diſcipulos. Multi enim ex illis di- *S. Aug.*
xerunt: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* *tom 8. in illa verb.*
immò *abierunt etiam multi retro, & iam non cum* *Pſal. 68.*
Chriſto ambulabant. Fuitque iſta *prima hæreſis quæ* *v. 5.*

Adorate ſcabellũ pedum eius. *vnquam exſtitit inter diſcipulos Chriſti*: vt rectè notauit S. Auguſtinus: qui & alibi affirmat *omnes ferè ſeptuaginta illos Chriſti diſcipulos à Chriſto tunc receßiſſe.*

II. Porrò horum anteſignanum fuiſſe Iudam Apoſtolum, Chriſti proditorem, ſatis declarant illa verba Euangeliſtæ: *Sciebat enim ab initio Ieſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.* Vbi ſanctus Euangeliſta expreſsè meminit traditoris: quòd is præcipuus eſſet inter illos qui non credebant: vndè & acerbè tunc illum reprehendit Christus, Diabolumque appellauit: *Nonne ego* (inquit Dominus) *vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus eſt. Dicebat autem* (addit Euangeliſta) *Iudam Simonis Iſcariotem.*

Ioan. 6. v. 65. *Io. 6. v. pen. & vlt.*

III. Cæterùm in prima hac hæreſi, & tanta Diſcipulorum Chriſti conturbatione, maximè enituit fides ſancti Petri: *Domine* (inquit) *ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus: & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.* Id quod olim etiam obſeruârunt ſancti Patres Cyprianus, Auguſtinus, Cyrillus. Habemus ergo hîc primos huius Sacramenti oppugnatores, habemus & eorum Coryphæum Iudam proditorem: habemus etiam veram Dei Eccleſiam, quæ verbis Chriſti fideliter & conſtanter adhæſit: cæteros videlicet Apoſtolos omnes, præter Iudam: & horum Principem ac ducem S. Petrum. Cuius ſucceſſores deinceps ſemper reſtiterunt omnibus hæreticis, qui hoc Sacramentum aliquando auſi ſunt oppugnare. Et quanquam S. Petus non ſatis intellexerit myſterium quod in verbis Chriſti latebat, tamen non dubitauit quin veriſsima eſſent quæ docebat. *Nunquid iam Petrus intelligebat* (inquit ſanctus Augu-

Ioan. 6. v. 69. *S. Cyp. ep. 69. S. Aug. to. 9. tr. 27. in Ioan. S. Cyril. l. 4. in Io. c. 28.* *S. Aug. tom. 8. in Pſal. 54. ad v. 22.*

Digitized by Google

Auguſtinus) *ſecretum illius ſermonis Domini? Nondum intelligebat, ſed bona eſſe verba, quæ non intelligebat, piè credebat.* Ita S. Auguſtinus.

Eadem prima ætate qua vixerunt Apoſtoli orta eſt ſecundo loco apud Corinthios alius pernicioſus error de hoc Sacramento, vt rectè notauit olim ſanctus Cyrillus Alexandrinus. Quod & ſatis compertum eſt ex illis quæ ſcribit ipſe ſanctus Paulus ad Corinthios. Nam cùm de hoc Sacramento loquitur, ita ſcribit: *Audio ſciſſuras* (ſeu vt Græcè eſt σχίσματα) *eſſe inter vos: & ex parte credo, nam oportet & hæreſes eſſe.* Denique affirmat *multos fuiſſe inter illos qui non dijudicabant* (ſeu diſcernebant) *corpus Domini à communibus cibis: eoſque proinde punitos fuiſſe à Deo, tum infirmitatibus varijs, tum etiam morte.* Verùm vt ſanctus Petrus oppoſuit ſeſe primæ illi hæreſi, ita ſanctus Paulus (alter Architectus Romanæ Eccleſiæ) hanc ſecundam hæreſim profligauit, & antè extinxit, quàm altiores ageret radices. IV. *S. Cyrill. aduerſus Neſtorij blaſphemias, contradictionum l. 4. c. 5. 1. Cor. 11. v. 18. 19. Ib. v. 29. 30.*

Tertio loco hac ipſa ætate Simon Magus eiuſque ſectatores Menander & Baſilides bifariam hoc Sacramentum oppugnârunt. Nam primùm quidem materiam huius Sacramenti à Chriſto inſtitutam (panem videlicet & vinum) in aliam prorſus ineptam & fœdam tranſmutârunt: atque in hunc modum totam iſtius Sacramenti naturam & vim ſuſtulerunt. Huius rei teſtis eſt ſanctus Epiphanius. Deinde negabant etiam tum veram Chriſti carnem in hoc Sacramento contineri, vt teſtatur ſanctus Ignatius, qui eodem vixit tempore: cuius verba antè mille & ducentos ferè annos citauit Theodoretus contra hæreticos ſui temporis: extantque illa adhuc integra apud S. Ignatium in antiquioribus & correctioribus libris V. *S. Epiph. contra hæreſ. 21. S. Ignat. in ep. ad Smyrn. Theodoretus Dialog. 3.*

bris

Franc. Turrian. de Sacra. Euchar. contra Andreã Volanũ tr.1.c.7.
S Ep.cõt. hæ. 21. S. Aug. to. 6. De hæreſibus ad Quod vultdeũ hær.1. Philaſtrius de hæreſibus hæreſi 1. poſt Chriſtum. Theod. l. 1.hæretic. fabularũ in princ.

bris græcis, & nominatim in vetuſtiſsimo libro græco, qui Florentiæ aſſeruatur in celeberrima illa Bibliotheca Medicæa, teſte Turriano: etſi illa iam ex multis recentioribus libris, neſcio qua incuria exciderint. Porrò Sanctus Ignatius in verbis illis quæ recitat Theodoretus, & extant in Medicæa Bibliotheca, ad hunc modum loquitur de Simone Mago eiuſque ſectatoribus: *Euchariſtias* (inquit) *& oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitauit. Qui igitur contradicunt dono Dei;* συζητοῦντες ἀποθνήσκουσι, id eſt, *altercantes intereunt.* Hactenus ſanctus Ignatius. Authorem huius tertiæ hæreſeos Simonem Magum à S. Petro etiam fuiſſe victum, teſtantur omnes veteres Scriptores, cùm ſcribunt de hæreſibus, vt SS. Epiphanius, Auguſtinus, Philaſtrius, Theodoretus.

VI.
S Ep. cõt. hær. 30. S Ep. cõt. hæreſ. 41. 46 47. S Aug. hær. 64. ad Quod vult deũ tom. 6.

Quarto loco eadem ætate extiterunt Ebionitæ, qui alteram partem huius Sacramenti corrumpebant; non enim aſſumebant vinum in calice, ſed ſolam aquam, teſte S. Epiphanio, quos poſteà imitati ſunt Marcioniſtæ, Tatiani, Encratitæ, & alij, qui à Latinis appellati ſunt Aquarij: de quibus S. Epiphanius & S. Auguſt. Hi omnes Hæretici (vt & vniuerſi ſequentes) ab Eccleſia Romana condemnati fuerunt.

VII.
Clemens Alexãd. l. 3. Strom. S. Epiph. hæreſ 26.

In ſecunda ætate poſt Chriſtum, hoc eſt, ab anno Domini 100. vſque ad 200. fuerunt alia ſeptem genera hæreticorum, qui hoc Sacramentum oppugnârũt. Primò Gnoſtici, nam hi panem & vinum cum Simone Mago cõmutârunt in alia infanda: & carnem infantis piſtillo in mortario contuſam pro carne Chriſti vſurpabant. De his

Clemens

Clemens Alexandrinus eiuſdem ætatis ſcriptor; & poſt illum Sanctus Epiphanius, S. Aug. & Theodoretus. *S. Aug. hær. 6.*

Secundò fuerunt Marcoſij à Marco quodam dicti: vino ſolo ſine pane vtebantur, & quidem albo duntaxat, cui præſtigijs quibuſdam inducebant rubrum colorem: illudque excreſcere faciebant in maiorem quantitatem: mutabant etiam formam verborum Chriſti: Mulieribus quoque permittebant conſecrationem iſtius Sacramenti. Denique dicebant illius Marci ſanguinem, non Chriſti eſſe in illorum calice. De his S. Irenæus & S. Epiphanius. VIII. *S. Iren. l. 1. c. 4. S. Epiph. hæreſ. 34.*

Tertiò Orphitæ non verbis Chriſti, ſed ſerpentis acceſſu conſecrabant ſua Sacramenta: quo modo naturam & vim Sacramenti euertebant. Hinc à Serpente nomen acceperunt. Nam ὄφις eſt Serpens. De his Sanctus Epiphanius, S. Aug. & Theodoretus. IX. *S Epiph. hæreſ. 37. S Aug. hæreſ. 2. Theod. l. 1. in Sethianis.*

QVARTO Archontici prorſus reijciebant & anathematizabant Euchariſtiam, quòd illa fieret in nomine Dei Sabaoth, quem illi dicebant malum eſſe Deum: teſtes S. Epiphanius & Theodoretus. X. *Epiph. hæreſi 40. Theod. l. 1. in Aſcodrytis.*

Quinto Cataphryges, qui & Montaniſtæ, corrumpebant & contaminabant materiam huius Sacramenti, nam ei commiſcebant ſanguinem infantis anniculi. S. Epiphanius & S. Auguſtinus ita teſtantur. XI. *S. Epiph. hæreſ. 48. S. Aug. hæreſ. 26.*

Sextò Pepuziani eodem modo labefactabant huius Sacramenti materiam; & præterea concedebant mulieribus confectionem illius. Ita S. Ephiphanius & S. Auguſtinus. XII. *S. Epiph. hæreſ. 49. S. Aug. hæreſ. 27.*

Septimò Artotyritæ conficiebant hoc Sacramentum ex pane & caſeo: nam ἄρτος panis, τυρὸς eſt XIII.

S. Epiph. hereſi 49 S. Augu. hereſi 28. S. Philaſt. in lib. de hæreſibus XIV.

caſeus, quare & iſti inſtitutionem Chriſti peruerterunt. Teſtes S. Epiphanius, S. Auguſtinus, S. Philaſtrius.

In tertia ætate poſt Chriſtum ab anno Domini ducenteſimo ad trecenteſimum, fuerunt aliæ tres Sectæ hæreticorum, quorum opera vſus eſt Satan ad deprauandum hoc Sacramentum.

Dionyſ. Alex. in reſponſione ad 4. Quaſt. Pauli Samoſaten. extat iam hac Epiſt. in To. 2. Auctarij Biblioth. Patrum S. Hier. de ſcriptoribus Eccleſ. in Dionyſio Alexand. Baron. To. 2. Annalium Anno Domini 265. nu. 6. 7. & 8 Turrianus Tract. 1. de Euc. c. 10. & 1.

Primo loco fuit Paulus Samoſatenus. Hic enim inter alios multos errores, quos ſparſit contra Diuinitatem Chriſti, docebat etiam corpus Chriſti & ſanguinem in Euchariſtia eſſe corruptibilia, quòd illa dicerentur frangi, diuidi, & fundi; vt teſtatur S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, qui eodem vixit tempore, in epiſtola quam paulò ante mortem ſcripſit ad eundem Paulum Samoſatenum: cuius epiſtolæ meminit etiam S. Hieronymus, quam & inſignem appellat. In eadem epiſtola benè refutat S. Dionyſius illam Samoſateni rationem, ex eo quod Spiritus ſanctus dicatur etiam diuidi & effundi, Actor. 2. verſ. 3. & 17. qui nihilominus eſt incorruptibilis. Multa etiam alia præclara habet de hoc Sacramento in eadem Epiſtola: ex qua non pauca recitat Baronius, & ante illum (ex græco manſcripto libro, quem apud ſe habebat) Franciſcus Turrianus.

Secundo fuerunt Manichæi, qui tres errores excitarunt contra hoc Sacramentum. Primus eſt quòd auferebant omnino alteram partem materiæ, videlicet calicem: tum quòd illicitam prorſus exiſtimarent vini potiònem (quod paradoxum poſtea ex illis deſumpſerunt Mahumetani) tum etiam quòd docerent Chriſtum habuiſſe corpus non verum, ſed phantaſticum ſine ſanguine. Ob quam cauſam ſtatutum fuit aliquando in Romana Eccleſia, vt tempore Paſchatis publicè in Eccleſis

cleſijs omnes communicarent ſub vtraque ſpecie, XV.
vt nimirum hac ratione deprehenderentur Manichæi occulti. vide S. Leonem. Secundus error Manichæorum fuit, quòd putarent corpus Chriſti eodem modo eſſe in alijs omnibus ferè rebus quo eſt in Euchariſtia: Id quod etiam docent iam non pauci ex Lutheranis, qui Vbiquitarij vocantur. Hi enim contendunt humanam etiam naturam Chriſti eſſe vbique. De quibus infra ſuo loco. Tertius Manichæorum error fuit, quòd dicerent manducatione ipſa, non conſecratione, hoc Sacramentum fieri corpus Chriſti, vt iam etiam contendunt nonnulli ex Lutheranis. Docebant enim Manichæi Chriſtum ligari in pane, ſicut & in alijs rebus, ſed manducatione ſolui. De his tribus erroribus Manichæorum ſcribit Sanctus Auguſtinus, qui multis annis in eorum hæreſi vixerat. Hinc illa verba Sancti Auguſtini, *Noſter* (inquit) *panis & calix non quilibet, quaſi propter Chriſtum in ſpicis & inſarmentis ligatum ſicut illi deſipiunt, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur.*

S. Leo I. Papa ſer. 4. de Quadrageſima c. 5.

S. Aug. hæreſi 46. To 9. & l. 20. contra Fauſtum manichæum c. 13. Tom: 6. S. Auguſt. c. 13. citato.

TERTIO loco fuerunt Cathariſtæ. Hi erant etiam ex diſcipulis Manichæorum, ſed illud habebant peculiare, quòd fœda quadam permiſtione corrumperent ſubſtantiam ipſius panis, quo vtebantur ad confectionem Euchariſtiæ, vt narrant Sanctus Auguſtinus & Sanctus Leo. Huc ſpectat & illud quod narrat Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus de pręſtigiatrice quadam muliere, quæ cùm ſe Euchariſtiam conficere, & ſacrificium offerre impudenter & impiè iactitaret, pleroſque in hanc hæreſim præſtigijs ſuis, hac quoque ætate, pertraxit. XVI.

S. Aug. hæreſi 46. S. Leo Epiſt. 2. & Serm. 5. de Ieiunio 10. menſis Firmiliã. Epi. ad S.

IN quarta ætate ab anno trecenteſimo ad quadringenteſimum tres aliæ fuerunt hæreticorum

Sectæ

quòd cùm eſſet laicus, auſus ſit Euchariſtiam impudenter contrectare: immo quòd etiam attentauerit Euchariſtiam conficere & ſacrificare. De his Maſſalianis videtur loqui S. Magnetes (qui hac ætate putatur vixiſſe) cum ita ſcribit: *Cum accepiſſet Chriſtus panem & vinum dixit: Hoc eſt corpus meũ.* οὐ γὰρ τύπος σώματος, οὐδὲ τύπος αἵματος, ὡς τινὲς ἐρραψῴδησαν πεπωρωμένοι τὸν νοῦν, ἀλλὰ κατ' ἀλήθειαν, αἷμα καὶ σῶμα Χριστοῦ, hoc eſt: *Nõ enim figura corporis aut figura ſanguinis, ſicut quidã nugati ſunt, ſtupefacti mente, ſed ſecundum veritatem ſanguis & corpus Chriſti.* Hæc Magnetes. Nam Maſſaliani, cùm nullam virtutem tribuerent Euchariſtiæ, veriſimile eſt quòd putauerint illam tantùm eſſe figuram corporis & ſanguinis Chriſti.

S. Epiph. in fine librorum contra hæreſes, vbi ponit Doctrinam Cath. Eccl.

S. Magnetes lib 3. Apologiatum aduer. Theoſthenem

Vide Turrianum Tract. 1 de Euchar. c. 17.

In quinta ætate ab anno Domini 400. ad 500. fuerunt Neſtoriani, qui duos errores ſparſerunt contra hoc Sacramentum. Primus erat quòd in Euchariſtia eſſet ſola caro hominis Chriſti ſine eius diuina natura, proindeque affirmabant Euchariſtiam non dare vitam: vnde & Catholicis obijciebãt ἀνθρωποφαγίαν hoc eſt, manducationem humanæ carnis. Ob hanc hæreſim condemnati fuerunt illi in Epheſina prima Synodo, Canone 11. vide S. Cyrillum Alexandrinum in declaratione eiuſdem Canonis 11. & in reſponſione, ſeu oppoſitione ad 11. aut reprehenſionem Theodoreti; vbi teſtatur S. Cyrillus Neſtorium obieciſſe Catholicis ἀνθρωποφαγίαν. Secundus error Nonnulli ex Neſtorianis negabant corpus Chriſti remanere in Euchariſtia, ſi illa reſeruaretur in alium diem, vt iam etiam docent nonnulli Lutherani. De his enim ita ſcribit S. Cyrillus Alexandrinus: *Porrò* (inquit) *alios eſſe audio qui myſticam benedictionem nihil ad ſanctificationem proficere dicant, ſi*

XX.

S. Cyrill. Epiſt. ad Caloſirium Epiſcopum

quid

Vide Baron. To. 1. Annalium, Anno Domini 57. n. 152. in fine.

quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Inſaniunt verò qui hoc aſſerunt, neque enim alteratur Chriſtus, neque ſanctum eius corpus immutatur, ſed benedictionis vis & facultas & viuificans gratia, perpetuo in ipſo exiſtit. Hactenus S. Cyrillus.

XXI. In ſexta ætate ab anno Domini 500. ad 600. fuerunt multi ſectatores Eutychetis, Dioſcori & Seueri (hi vocabantur etiam Acephali & Barſaniani, & Semidalitæ) qui vt narrat ſanctus Damaſcenus, *non celebrabant publicè myſteria nec conſecrabant. ſed Symbolis à Dioſcori diſcipulis relictis, & ad eos ab illis allatis, tantum admiſcebant ſimila quantum conſumptum erat, & illam farinam tritici ſummo digito deguſtantes, pro ſacrificio habebant: idemque ipſis in communionis parte numerabatur.* Ita S. Damaſcenus. Huc etiam ſpectant tria illa miracula, quæ facta ſunt in confirmationem veritatis Euchariſtiæ cõtra Seuerianos hæreticos: de quibus Ioannes Moſcus in prato Spirituali cap. 29. 30. & 79. quibus multi conuerſi ſunt. Nam Seueriani iſti indignè tractabant Euchariſtiam Catholicorum, more hæreticorum huius temporis.

S. Damaſ. in libro de hæreſibus.

XXII. In ſeptima ætate ab anno Domini 600. ad 700. fuerunt tres aliæ ſectæ Hæreticorum, qui oppugnarunt hoc Sacramentum. Primo orti ſunt illi qui vocabantur Armeni; Hi enim tres habebant errores de hoc Sacramento: nam & ſacrificabant etiam agnum more Iudæorum: & panem Euchariſtiæ conficiebant ex farina & oleo, veram Euchariſtiæ materiam deprauantes: denique dicebant in Euchariſtia Catholicorum eſſe nudum panem; in ipſorum, corpus Chriſti, verum non quale habuit Chriſtus in hoc mundo, ſed iam conuerſum in diuinitatem. De his ſcribunt Nicephorus & Euthymius.

SECVN-

SECVNDO loco fuerunt Pauliciani (qui & Pauliani) ita appellati à duobus fratribus Paulo & Ioanne. Hi innumeris contumelijs afficiebant Euchariſtiam Catholicorum. Et corpus Chriſti dicebant nihil aliud eſſe quam illa verba Chriſti: ACCIPITE ET MANDVCATE, &c. Et manducare nihil aliud eſſe quàm credere verbis Chriſti: Negabant etiam Chriſtum in cœna dediſſe ſymbola panis, & vini; nam ſola verba eum dediſſe contendebant. Iſti fuerunt fæces quædam Manichæorum. Nam duos ponebant deos, malum & bonum: Negabant etiam Chriſtum habere verum corpus, aliaque innumera habebant figmenta Manichæorum & Monothelitarum; de quibus fusè Euthymius. *Niceph. l. 18. Hiſtor. Eccleſ. ca. 13. Euthy. in ſua Panop. parte 2. tit. 20.* XXIII. *Euthy. 2. parte Pano. Tit. 21.*

TERTIO eadem ætate apud Latinos in Hiſpania (nam Pauliciani & Armeni fuerunt tantum in Græcia) orti ſunt quidam, qui in calice conſecrabant lac, non vinum: quos propterea reprehendit Concilium 3. Bracarenſe. XXIV. *Conc. 3. Bracarenſe can. 1.*

IN octaua ætate ab anno Domini 700. ad 800. incœperunt Iconoclaſtæ, qui vt reijcerent imagines, dicebant nullam eſſe admittendam imaginem & figuram præter Euchariſtiam, quam aſſerebant eſſe imaginem corporis & ſanguinis Chriſti. Verba ipſorum recitantur & refutantur in 2. Concilio Niceno (quod & ſeptimum Oecumenicum vocatur à Græcis) non tamen negabant Iconoclaſtæ corpus Chriſti eſſe verè in Euchariſtia, immo hoc ipſum eodem loco apertè confitentur: ſed quia iſta verba illorum fuerunt ambigua, & videbantur ſignificare Euchariſtiam eſſe nudam figuram ſine veritate, ſicut eſt imago rei abſentis, merito reprehenſus fuit modus iſte XXV. *Concil. 2. Nicen. Actione 6. Tom. 3. in fine.*

dus iſte loquendi à Patribus Niceni Concilij. Atqui hinc eſt quod Patres qui ſcripſerunt tempore Iconoclaſtarum vel poſtea, ſoleant ſæpius inculcare *Chriſtum non dixiſſe, hæc eſt figura corporis mei, ſed hoc eſt corpus meum: neque dixiſſe, hæc eſt figura ſanguinis mei, ſed, hic eſt ſanguis meus.* Ita S. Damaſcenus, Theophylactus, Euthymius, Paſchaſius & alij.

S. Damaſc. l. 4 de fide Orthod. c. 14 Theophyl. & Euthym. in cap. 26. Matt. Paſchaſ. in l. de Euchar. inſtit.

XXVI. IN nona ætate ab anno Domini 800. ad 900. duo extiterunt qui quamuis non fuerint hæretici, tamen non ſatis rectè ſcripſerunt de hoc Sacramento: adeò quidem vt non paucis dederint occaſionem errandi. Primus fuit Ioannes quidam Scotus, non ille Scholaſticus ordinis S. Franciſci: ſed alter ordinis S. Benedicti, qui vixit hac ætate nona, obijtque anno Domini 883. ſecundum Baronium, vel vt alij volunt 884. Vir fuit alioqui eruditus, is enim tranſtulit opera quædam S. Dionyſij Areopagitæ è Græco ſermone in Latinum. Sed libellum quendam edidit, in quo de Euchariſtia diſſerens nonnulla ſcripſit obſcura atque ambigua, quæ multis Catholicis diſplicuerunt. Edidit & quædam de Prædeſtinatione, in quibus videtur ſequi Pelagianos: ob quam cauſam ſcripſit contra illum Lugdunenſis Eccleſia. De his porrò delatus fuit ad Nicolaum I. Pontificem Maximum, vt conſtat ex Epiſtola Nicolai I. ad Carolum Caluum, tunc Regem Galliæ, poſtea Imperatorem. Verba Nicolai extant apud Baronium. Verùm ille poſtea reſipuit, & Monaſterium Sancti Benedicti ingreſſus, adeò pie vixit, vt poſt mortem à multis veneraretur tanquam Martyr, præſertim in Anglia, vbi interfectus fuit, teſte Guillelmo Malmeſburienſi Anglo. Quòd verò errorem ſuum reuocauerit, ſatis indicat etiam Nicolaus Pa-

Baron. To. 10. Anno Domini 883. n. vl.

Scriptum hoc Lugdunenſis Eccleſiæ extat To. 3. Auctarij Biblioth. Patrum. Baron. To. 10. Anno 878 n. vlt. Guillelm. Malmeſburienſis.

us Papa in Epiſtola citata, dicit enim: *Illum multa quidem fuiſſe ſcientiæ, ſed quod à quibuſdam frequenti rumore dicebatur, olim non ſanè ſapere:* quibus verbis declarat illum olim diſipuiſſe, ſed tunc temporis reſipuiſſe. Verùm enimuero, etſi ille reſipuerit, tamen liber eius apud quoſdam delituit, etiam vſque ad tempora Berengarij. Nam Berengarius iactabat ſe ſuam hæreſim de Euchariſtia ex hoc libro Ioannis Scoti deprompſiſſe; ob quam cauſam liber iſte tempore Berengarij, poſt ducentos & amplius annos, damnatus fuit in Concilio Vercellenſi cui præſidebat Leo Papa 9. teſte Lanfranco Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui eidem Concilio interfuit & præſens omnia vidit.

de Geſtis Anglorũ lib. 1. ca. 16.

Lanfrancus in libro de Euchar. Sacram. contra Berengarium non procul à principio.

SED ne quis erret in nomine huius Ioannis Scoti, obſeruandum eſt duos fuiſſe eo nomine, qui eodem ferè tempore vixerunt amboque fuerunt natione Scoti: quos multi proinde confundunt, ſed non rectè. Prior fuit Ioannes cognomẽto Mailroſius, natione Scotus, Bedæ Diſcipulus, & Albini Alcuini Angli condiſcipulus. Hic circa annum Domini 790. cum alio ſocio Clemente etiam Scoto venit ex Scotia in Galliam, tempore Caroli Magni, vel ſpontè, vel potius (vt referunt Angliæ & Scotiæ Annalium ſcriptores) miſſus cum Clemente ab Achaio Rege Scotiæ ad Carolum Magnum, qui viros doctos magno amore proſequebatur, à quo optimè recepti fuerunt: præſertim quòd familiares eſſent Albino, quem Carolus Magnus carum habebat. Et Clemens quidem Pariſijs retentus eſt à Carolo Magno, vt initium daret Pariſienſi Academiæ: Ioannes verò Ticinum ſeu Papiam miſſus eſt, vt ibi Academiam inchoaret. Hic etiam erat ordinis Sancti Benedicti, & Sancti Auguſtini Benedictinorum

XXVII.

Polydor. Virg. in hiſt. Anglorum Hector. Boet. & Ioan. Maior in hiſtor.

 Cœno-

Scotorũ. Baleus de Scriptoribus Britannię Cent. 14. cap. 32.

Cœnobio, quòd Ticini eſt, præfectus fuit à Carolo Magno, Anno Domini 792. obijtque Ticini ſenex, circa annum 800. Hæc omnia teſtantur Scriptores rerum geſtarum Anglorum & Scotorum, Polydorus Virgilius, Hector Boëtius, Ioannes Maior, & poſt illos Ioannes Baleus Anglus. Poſterior vocabatur Ioannes Erigena; & quamuis Baleus Anglus hunc cognomine tantùm Scotum, ſed natione Anglum fuiſſe contendat: tamen Nicolaus Papa, & antiqui etiam Angli hiſtoriographi, Matthæus Veſmonaſterienſis & Rogerus Houedenus, hunc etiam natione Scotum fuiſſe teſtantur. Qui ambo Nicolai Papæ verba de hoc Ioanne recitant. Hic ille eſt qui vertit ſancti Dionyſij libros anno 858. & contra quem ſcripſerunt Lugdunenſes, quique vixit tempore Nicolai Papæ, ac Caroli Calui. Nam prior ille Ioannes diu ante tempora Nicolai mortuus eſt. Idem Ioannes Erigena poſteaquam edidiſſet librum de Euchariſtia redijt in Angliam, & pœnitentia ductus factus eſt religioſus ordinis ſancti Benedicti. Sed poſtea ab Alphredo Anglorum Rege translatus eſt Oxonium, vt ibi doceret: tandem ad Malmesburienſe Monaſterium ſe recepit, vbi inter legendum à Diſcipulis crudeliter necatus fuit, & inter Martyres à multis numeratus, vt conſtat ex eius Epitaphio, quod ex Gulielmo Malmesburienſi refert Baronius. Iſtum ſecundum à priori bene diſtinguit ſanctus Antoninus. Nam de priori agit ſecunda parte hiſtoriæ, titulo 14. cap. 4. 5. 12. in vita Caroli Magni. At de ſecundo agit tit. 16. eiuſdem ſecundæ partis cap. 2. in 5. 3. in vita Caroli Calui, nepotis Caroli Magni. Porrò Baleus delirat planè ſuo more, cùm ſcribit ſanctum ANTONINVM priorem illum Ioannem reprehendere: non enim repre-

Baleus Cent. 2. c. 24

Nicolaus Papa apud Baron. tom. 10. an. 878. in fi.

Veſmon. ad an. 883 Houed. ad eund. an. 883. in fi.

De Lugdun. Vide tom 2. Auctarij Bibliot. Patrum.

Baron. to. 10. an. 883 n. vl.

Baleus de Scriptor. Britan. Cent. 14. c. 32.

reprehendit priorem, ſed poſteriorem, qui vixit tempore Caroli Calui. Diſcernunt & hos duos rectè Robertus Gaguinus de Francorum Regum geſtis in Carolo Magno, & in Carolo Caluo in fine; & Franciſcus Belleforeſt. Genebrardus quoque in ſua Chronographia, nam de priore agit libr. 3. in fine ad annum 791. & libro 4. ad annum 807. De poſteriori verò agit li. 4. ad annum 879.

Belleforeſt 10. r. Annal. Gall. li. 2. ca. 54.

XXVIII.

Secundus qui hac nona ætate malè ſcripſit de Euchariſtia, fuit author illius libri de corpore & ſanguine Chriſti, qui Bertramo adſcribitur: quamuis non deſint qui valdè probabiliter exiſtimant hunc librum falsò attribui Bertramo: inter quos ſunt Claudius de Sainctes, & Belleforeſt. Sed cuiuſcunque tandem ſit liber ille, ſatis conſtat eum nimis obſcurè & inſidioſè ſcriptum eſſe à quodam qui non ſatis rectè cenſebat de Sacramento Euchariſtiæ. Quare author ille non abs re in fine libri ſeſe excuſat, aſſerens, *ſuæ eſſe deputandum inſipientiæ, ſi ea quæ ſcripſit minus placuerint*. Et abſque dubio inſipienter ſcripſit, tàm iſte, quàm alter ille Ioãnes Scotus: nam iſtorum ſcriptis effectum eſt, vt non pauci inciperent dubitare de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia: inter quos fuit quidam Frudegardus nomine: id quod euidenter conſtat ex epiſtola illa egregia, quam ad illum ſcripſit Paſchaſius Radbertus Abbas Corbeienſis, qui hac eadem ætate vixit. Nam Paſchaſius vir pius & doctus opportunè ſeſe oppoſuit huic errori: adeoque eruditè ſcripſit de hoc Sacramento, vt nullus amplius vſque ad Berengarij ætatem (hoc eſt per ducentos ferè annos) inueniatur, qui auſus fuerit ſcripto aliquo edito hoc diuinum myſteriũ in dubium reuocare: fuitque proinde tota decima

Claudius de Sainctes, Repetitione 2. de Veritate Euchariſt. c. 14. Bellefor. c. 59. cit.

ætas ab anno Domini 900. ad 1000. libera ab his Satanæ apertis ſaltem aſſultibus.

XXIX. Porrò in vndecima ætate circa annum Domini 1050. cœpit Satan omnibus viribus & magis apertè atque acerbè, quàm vnquam antea, hoc Sacramentum impugnare per Berengarium, eiuſque ſocios & aſſeclas. Nam qui fuerunt ante Berengarium in nona ætate, etſi occultis ſcriptis quoſdam peruerterint, tamen non ſunt auſi apertè & publicè aggredi hoc Sacramentum. Id quod declarat Paſchaſius cùm ita ſcribit: *Quamuis* (inquit) *ex hoc quidam de ignorantia errent, nemo tamen eſt adhuc in aperto, qui hoc ita eſſe contradicat, quod totus orbis credit & confitetur.* Ita Paſchaſius. verùm à tempore Berengarij non deſtitit Satan vlla ætate ab aperta oppugnatione huius Sacramenti.

Paſchaſ. in expoſ. Inſtit. Sacram. Eucharistia.

XXX. Sed de Berengario, & illis qui eum inſecuti ſunt, dicendum erit infrà. Nam & plerique ſectarij huius ætatis ſuam originem ad hos referunt. Interea ex his quæ attulimus, id ſatis conſtare poterit, quod in principio huius capitis diximus, Satanam à prima huius Sacramenti Inſtitutione ad noſtra vſque tempora nunquam ferè intermiſiſſe huius Sacramenti oppugnationem: etſi hanc aliquãdo occultius, aliquãdo apertius, attẽtauerit.

Infra ca. 7.

XXXI. Id quod non obſcurè olim prædictum fuit à Dauide Propheta, cùm deſcriberet afflictiones & ærumnas futuras Eccleſiæ Chriſti: prædicit enim perturbatores & perſecutores Eccleſiæ inter ſe quidẽ futuros diſsipatos, ſectos, & diuiſos, & tamè ob id non compungi, ſilere, aut quieſcere à perſecutione Eccleſiæ: ita enim loquitur in perſona Eccleſiæ: *Diſsipati ſunt, nec compuncti, tentauerunt me, ſabſannauerunt me, ſubſannatione fremuerunt ſuper me dentibus ſuis.* Quod in Hebræo textu clariùs expri-

Pſal. 34. (vel ſecundum Hebr. 35. v) 15. & 16. Verſ. 16.

Digitized by Google

exprimitur,ad hunc modum : קרעו ולא-דמו
בהנוני לעגי מעוג חרס עלי שנימו
Careù velo-dammu:
Bebhanuni laagè maog: bharoc alai ſcinnemo, Hoc eſt *ſciderunt ſe* (ſic enim vertendum eſt, cùm abſolutè ponitur, vt videre eſt 4. Reg. 17. v. 21.) *& non ſiluerunt* (*Tentauerunt me*) ita enim legēdum eſt cū 70. Interpretibus, vt rectè monet Genebrardus: *ſubſannatores placenta* (ſeu ſubſannantes placentam) *fremendo contra me*) *dentibus ſuis*. Nam vocem Hebraicam : מעוג *maog*: ſignificare placentam, ſeu panem, ſatis conſtat, tum ex ipſa Scriptura, tum ex radice à qua deſcendit, nempe : עוג quæ apud Ezechielem ſignificat panem ſuper prunas coquere. Subſannatores itaque placentæ (id eſt, Euchariſtiæ) inter ſe quidem ſunt diuiſi & contrarij; ſed omnes in eo conueniunt, quòd Euchariſtiam ſubſannent.

Vide Geneb. in hunc Pſ.

3. Reg. 17. v. 12.

Ezech. 4. v. 12.

CAPVT III.

De erroribus noſtra ætatis contra Euchariſtiam, & ſtatu huius quaſtionis.

TRes præcipui errores orti ſunt hac noſtra ætate contra ſacroſanctum & Auguſtū Euchariſtiæ Sacramentum. Primus ille eſt, quē introduxit Lutherus, & quem adhuc defendunt omnes eius diſcipuli. Hi etſi nobiſcum fateantur corpus & ſanguinem Chriſti verè & realiter eſſe in Euchariſtia, contendunt tamen ſubſtantiā panis & vini etiā remanere: atq; hinc eſt quòd aſſerāt corpus & ſanguinem Chriſti eſſe in, ſub, & cum pane & vino. Sed quia iſti cōcedunt realem præ- I.

ſentiam corporis & ſanguinis Chriſti (de qua hic diſputamus) non erit contra illos agendum in hac Controuerſia, ſed in ſequenti, vbi de transſubſtantiatione differendum erit.

II. Secundus error primam ſuam originem accepit hoc noſtro ſæculo ab Andrea Carolſtadio, Lutheri quondam diſcipulo. Nam cùm Lutherus iam reieceſſet tranſſubſtantiationem in ſua captiuitate Babylonica, quam ſcripſit anno 1520. Carolſtadius poſtea anno ſequenti cùm abeſſet Lutherus VVitemberga, cœpit & Miſſam, & Confeſsionem peccatorum, & Imagines, & denique ipſam præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia impugnare, quæ Lutherus adhuc intacta reliquerat. Pòrrò Lutherus reuerſus anno 1522. hæc omnia valdè improbauit, vel id maximè quòd ipſo inſcio hæc facta fuiſſent: curauitq; Carolſtadium proſcribi. Quare Carolſtadius poſtea ſeſe recepit ad Anabaptiſtas. Et quia Lutherus non deſtitit eum acerrimè perſequi, edidit ille librum contra Lutherum, qui typis excuſus eſt Baſileæ anno 1524. In quo libro contendit Euchariſtiam eſſe nudum ſignum & figuram corporis & ſanguinis Chriſti; & particula, Hoc, in verbis, HOC EST CORPVS MEVM, Chriſtum demonſtraſſe corpus ſuum viſibile, quod cum diſcipulis ſedebat ad menſam. Ex qua re ſatis conſtat, quo ſpiritu agitatus fuerit Carolſtadius, qui tam abſurdam expoſitionem verborum Chriſti excogitauit.

Matt.16. v.26.

Lutherus autem initio ſtatim anni 1525. reſpondit ad librum Carolſtadij ſcripto, cui titulum fecit *Contra cæleſtes Prophetas.* Vbi egregiè manifeſtat impietatem Carolſtadij: & inter cætera ſcribit: *ſe non mirari quòd Carolſtadius neget corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, cùm Carolſtadius ei aliquando*

III.

faſſus

faſſus fuerit ſe dubitaſſe an corpus Chriſti eſſet in cœlo.

Sub finem eiuſdem anni, cùm Carolſtadius iam pertæſus eſſet exilij, ſcripſit ad Lutherum veniam poſtulans, atque etiam affirmans ſe ea quę contra Euchariſtiam ſcripſerat, non definiendi, ſed tantùm diſputandi cauſa ſcripſiſſe. Lutherus verò hanc reuocationem Carolſtadij ſtatim curauit typis edi cum ſua præfatione, in qua monet omnes, *vt diligenter caueant doctrinam Carolſtadij, cùm perſpicuum ſit illum de ſua doctrina dubitare: proinde illam non poſſe prodire à Spiritu ſancto.* IV.

Delituit itaque Carolſtadius inter Anabaptiſtas, donec excitatum fuit ab illis bellum Ruſticorum in Germania: quo ſopito coactus fuit ad aratrum confugere, vt ſibi victũ quæreret. Demũ ad Zuinglianos confugit, & Baſileæ miſerè obijt. V.

Hæc omnia veriſsima eſſe atteſtantur non tantùm Catholici Scriptores, inter quos eſt Ioannes Coclæus, ſed ipſimet Zuingliani, Ioannes Sleidanus, & Ludouicus Lauaterus Tigurinus. Lutherani affirmant Carolſtadium etiam Baſileæ ſeditionem excitaſſe, & tandem à dæmone fuiſſe ſtrãgulatum. Ita enim ſcribit Eraſmus Alberus Lutheranus in libro, quem edidit anno 1556. contra Carolſtadium & eius ſocios: idque probat teſtimonio cuiuſdam Miniſtri Baſilienſis Zuingliani. Lauaterus verò & ipſe Zuinglianus, de hac re nihil certi definit: refert quidem Lutheranorum opinionem, ſed certam rei veritatem à Baſilienſibus exquirendam eſſe dicit. VI.

Coclæus in li. de actis & ſcriptis Lutheri. Sleidanus li. 3. & 5. ſua hiſtoria. Lauaterus in hiſtoria de origine & progreſſu controuerſiæ Sacramẽtariæ. Lauaterus in hiſt. cit. in fi. anni 1530

Carolſtadium ſecutus eſt poſtea Huldricus Zuinglius: fatetur quidem Zuinglius Carolſtadium nimis impudenter interpretatum fuiſſe verba illa Chriſti; quare ipſe vocem, *eſt*, in verbis Chriſti; *hoc eſt corpus meũ*, trãſmutauit in *ſignificat*. VII.

Zuing. in li. de vera & falſa relig. c. de Euch.

Matt.26. v.26.

VIII. Zuinglio acceſsit Ioannes OEcolampadius, qui cùm magis eſſet verſatus in lingua Hebræa, quàm Zuinglius,& facilè agnouiſſet Hebræos rariſsimè vti verbo *eſt:* nunquam verò verbum *eſt*, apud eos ſumi pro *ſignificat*, aliam interpretationem verborum Chriſti commentus eſt: Enimuero aſſerit *corpus* in verbis Chriſti ſignificat *figuram corporis*.

OEcolãp. in lib. de Euchariſtia.

IX. Omnes tamen iſti (quos à Zuinglio communi nomine Zuinglianos appellant Lutherani) affirmant corpus Chriſti non aliter eſſe in Euchariſtia,quam res aliqua eſt in ſuo ſigno & figura: neque aliud dari,aut ſumi in hocSacramento, quàm nudum ſignum corporis & ſanguinis Chriſti cum gratia ſpirituali. Atque hæc fuit olim vera opinio Berengarij,de quo plura infra.

Infra c. 17. §. 2.

X. Horum ſententiam adhuc mordicus defendunt non tantùm Anabaptiſtæ,ſed & recentes Ariani & Antitrinitarij, impia illa Caluini progenies,quæ & Chriſti diuinitatem, & ſanctiſsimam Trinitatem oppugnare non verentur.

XI. Tertius error eſt Caluini, & eorum qui eius doctrinam ſequuntur. Caluinus enim reprehēdit tã Lutheranos,quã Zuinglianos:Lutheranos quidē,quòd nimis multum;Zuinglianos autem,quòd nimis parũ tribuãt Sacramẽto Euchariſtiæ. Nam Caluinus cũ Lutheranis fatetur corpus Chriſti verè & realiter exhiberi & ſumi in Cęna Domini: cũ Zuinglianis verò negat corpus Chriſti reipſa eſſe in Sacramēto,aut vſpiam in terra. Contendit enim rem abſentem fieri præſentem, & exhiberi atque manducari reipſa,per ſolam fidem.Ita Caluinus in libro,quem de cœna Domini edidit anno 1539. (quem aureum librum appellat Beza) & poſtea libr.4.ſuarum Inſtitut.c.17.

Beza in vita Caluini anno 1534.

Differunt

Differunt ergo Caluiniani à Zuinglianis in vno capite, nimirum quòd doceant non dari nuda ſigna panis & vini, ſed vnà cum ſignis reipſa exhiberi & ſumi corpus & ſanguinem Chriſti, quod negāt Zuingliani. At in tribus alijs capitibus conueniūt cum Zuinglianis, & diſſentiunt tam à Catholicis, quàm à Lutheranis. Primū eſt quòd contendant verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum* figuratè & impropriè eſſe intelligenda. Secundum, quòd doceant corpus Chriſti & ſanguinem tantùm eſſe in cœlo, non in ipſo Sacramento realiter. Tertium, quòd negent indignos accipere aut manducare corpus Chriſti. XII.

Tota ergo hæc tertia controuerſia in his quinque quæſtionibus præcipuè cōſiſtit, quæ deinceps ordine erunt examinandæ. Prima eſt, an ipſum corpus Chriſti detur & manducetur, an tantùm ſignum eius. Secunda, an ſola fides efficiat realem & veram exhibitionem & manducationem corporis Chriſti. Tertia eſt, an verba illa cœnæ: *Hoc eſt corpus meum*, ſint propriè accipienda, an figuratè. Quarta, an corpus Chriſti ſit non tantùm in cœlo, ſed etiam realiter in Sacramento. Quinta, an indigni manducent corpus Chriſti. XIII.

CAPVT III.

Verum & reale corpus Chriſti dari & manducari in Euchariſtiæ Sacramento.

DEclarandum erit in hoc capite quid exhibeat nobis Chriſtus, & quid nos accipiamus in Euchariſtia. Nā Zuingliani, Anabaptiſtę, noui Arriani, & Anti-trinitarij volūt exhiberi & ſumi ſignū tantùm & figurā corporis & ſanguinis II

Chriſti cum gratia ſeu virtute,aut effectu corporis & ſanguinis Chriſti, non ipſum Chriſti corpus & ſanguinem. Caluinus tamen & illi qui illum ſequuntur,concedunt id quod exhibetur, & ſumitur à nobis, eſſe ipſum verum & naturale corpus Chriſti,quod paſſum eſt pro nobis: imò Caluinus apertè ſcribit *extremæ eſſe dementiæ iſtud inficiari.* Sed quia hoc eſt fundamentum omnium quæ dicenda ſunt de hoc Sacramento, & nonnulli inueniuntur, etiam inter ipſos Caluinianos, adeò rudes, vt id quoque negent, neceſſe eſt vt primò omnium firmis argumentis ſtabiliatur hoc fundameutum,nimirum: *Illud quod Chriſtus nobis exhibet & quod nos accipimus, in hoc Sacramento eſſe veriſſimum corpus & ſanguinem Chriſti.* Porrò tria ſunt præcipua loca Scripturę (vt alia omittamus, breuitati conſulentes) quæ hoc euidenter probant: quibus etiam conuictus Caluinus cogitur id concedere; & præterea apertè damnare errorem Zuinglianorum.

Cal l.4. Inſt c.17. ſeƐt.9 in fin.

II. Primus locus eſt Ioannis 6. verſ.48. & ſequentibus.In quibus verbis quatuor obſeruanda ſunt. Primum eſt, Chriſtus non ſemel, ſed ſæpiùs hîc nominat *carnem ſuam & ſanguinem ſuum*, ſed *caro & ſanguis Chriſti* in Scriptura ſacra nunquam ſumuntur impropriè pro *figura carnis & ſanguinis Chriſti.* Quare abſurdum planè eſt & contra totam Scripturam, exiſtimare voces *carnis* & *ſanguinis Chriſti* hoc in loco,vbi tam ſæpè repetuntur, ſemper & vbique impropriè accipi pro figura corporis & ſanguinis Chriſti. Nam hoc eſſet introducere impropriam acceptionem *carnis & ſanguinis Chriſti*, ſine vllo Scripturæ teſtimonio, imò repugnante tota Scriptura.

III. Secundum eſt, hæc conditio & natura eſt diuinæ

uinæ promiſsionis, quod Deus in ſuis promiſsis nunquam minùs det, quàm apertis & perſpicuis verbis promittit: quamuis ſæpè plus det quàm promittat. Nam qui plus dat, minimè fallit, qui verò minùs dat, fallax eſt & impoſtor. Quare maxima eſt blaſphemia affirmare Chriſtum verum Deum minus dare quàm promiſerat. Cùm ergo Chriſtus toties apertis verbis promiſerit ſe daturum *ſuam carnem, & ſuum ſanguinem ad comedendum & bibendum*, non poteſt vllus ſine magna blaſphemia dicere Chriſtum iſtud verè non præſtitiſſe.

Præſertim verò cùm tam aſſeueranter id promittat, & tam ſæpè: etiam gemina aſſeueratione, & veluti iuramento, *Amen, Amen*, inquit, *dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Hinc illa verba ſancti Auguſtini, dum explicat ſimilia Chriſti verba: *Multum* (inquit ſanctus Auguſtinus) *commendat, quod ita pronunciat. Quodammodo, ſi dici fas eſt, iuratio eius eſt, amen amen dico vobis.* Hæc ſanctus Auguſtinus. Quare Zuingliani efficiunt Chriſtum quodammodo periurum. IV. *Ioan 6. v. 54.* *S. Aug. to. 9. tra. 41 in Euang S. Io. ad v. 34. c. 8.*

V. Tertium eſt, proprietates adiectæ huic pani, quem promittit Chriſtus, perſpicuè probant Chriſtum promittere verum ſuum corpus, & nō eius figuram. Dicit enim Chriſtus *hunc panem eſſe ſeipſum*. v. 51. 58. Item, *hunc panem deſcendiſſe de cœlo*. v. 51. 59. Præterea *hunc panem eſſe dandum pro mundi vita*. v. 52. Adhęc, *hunc panem efficere, vt Chriſtus in nobis maneat, & nos in Chriſto*. v. 57. Denique *hunc panem dare vitam æternam manducanti*, v. 52. 55. 58. & 59. quæ alteri pani conuenire non poſſunt quàm vero Chriſti corpori, quod panis vocatur vſitata illa Hebraica phraſi, qua panis ſignificat omnem cibum.

Quar-

Digitized by Google

VI. Quartum eſt, ſi Chriſtus non volebat aliud dicere quàm quòd daturus eſſet panem, qui ſignificaret ſuũ corpus, fruſtrà permiſiſſet Iudæos tam diu de hac re litigare, ſuóſq; proprios diſcipulos à ſe deficere: facillimè enim credidiſſent, ſi illud claris verbis explicuiſſet: neq; enim difficile erat dare panem, qui eſſet figura corporis eius.

VII. *Ioan. 6. v. 59.* Et ſanè huiuſmodi panis longè fuiſſet inferior Manna cœleſti, cui tamen Chriſtus multùm præfert panem, quem illis daturus erat.

VIII. *S. Hil. l. 8. de Trin. ante med. explicãs illa verba:* Caro mea verè eſt cibus. Horum verborum vim & efficaciam benè animaduertit S. Hilarius contra Arrianos diſputans, cùm ita ſcribit: *De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus, nunc enim & ipſius Domini profeßione, & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt.* Et paulò pòſt: *Anne hoc veritas non eſt? contingat planè his verum non eſſe, qui Chriſtum Ieſum verum eſſe Deum negant.* Ita S. Hilarius.

IX. Caluinus etiam contra Zuinglianos multùm vrget hoc 6. caput S. Ioannis lib. 4. ſuarum Inſtit. c. 17. Sect. 5. 6. & 7.

X. *Mat. 26. v. 26.* Secundus lócus Scripturæ exſtat in ipſa inſtitutione huius Sacramenti: nam cùm Chriſtus dixit: *Hoc eſt corpus meum*, ſi propriè accipiantur verba illa, manifeſtè probant omnium iudicio, verum corpus Chriſti dari & manducari, vt infrà ſuo loco oſtendemus.

XI. *Mat. 26. v. 26. Infr. c. 8. Cal. l. 4. Inſt. c. 17. Sect. 10.* Sed quia hunc locum deprauant non tantùm Zuingliani, verùm etiam Caluiniani (nam & hi contendunt illa Chriſti verba: *Hoc eſt corpus meum,* figurata eſſe, nõ propria) de hoc loco infra diſputandum erit, cùm agemus contrà Caluinianos. Hic ſatis erit annotaſſe ipſos Caluinianos hunc locum vrgere contra Zuinglianos.

XII. Tertius locus eſt prioris epiſtolæ ad Corinthios c.

os c. 10. v. 16. Ibi enim affirmat Apoſtolus, quòd *Euchariſtia ſit communicatio corporis & ſanguinis Chriſti.* Atqui ſecundùm Zuinglianos erit tantùm communicatio figurę corporis & ſanguinis Chriſti. Quia non poteſt res vlla verè cõmunicari, niſi illa reipſa præſens ſit: queadmodum infrà fuſiùs oſtendemus. Hunc locum contrà Zuinglianos adfert etiam Caluinus ſect. 10. citata. *Infrà c. 5. & 6.*

XIII. Hæc ſunt præcipua loca quæ vrgent Caluiniani contra Zuinglianos: quanquam & iſta reuera non minùs faciant contrà errorem ipſorum Caluinianorum; vti paulò pòſt demonſtrabimus.

CAPVT IV.

Diluuntur argumenta Zuinglianorum.

I. SVpereſt vt reſpondeamus ad præcipua Zuinglianorum argumenta. Primum illud eſt, quod ſæpè obijcere nobis ſolent & Zuingliani, & nonnulli etiam Caluiniani. Chriſtus (inquiunt) poſt omnia illa verba Ioannis 6. ſubiecit: *Spiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quicquam.* Nihil igitur curandum eſt, ſiue caro Chriſti nobis detur, ſiue non, cùm illa nobis nihil prodeſſe poſſit. Atq; hinc eſt, quòd Zuinglius verba illa: *Caro non prodeſt quicquam, & vmbonem vocet, & murum aheneum, contra omne telorum genus inconcuſſum.* Imò non veretur numerare carnem & ſanguinem Chriſti inter egena & infirma elementa huius mundi, *à quibus Chriſtum nos liberaſſe* docet Apoſt. ad Gal. 4. v. 3. & 9. & ad Coloſſenſes 2. v. 8. & 20. *Io. 6. v. 64. vel 63. ſecundũ alios. Zuingl. l. de ver. & falſa relig. in c. de Euch. pag. 241. in l. excuſo Tiguri an. 1525.*

II. Verùm hunc murum Zuinglij non eſſe aheneum, ſed luteum potiùs & planè infirmum iam oſtendemus. Nam cùm duobus modis intelligi

poſsint

poſsint iſta verba Chriſti, quocumque tandem modo intelligantur, nihil officiunt Catholicę doctrinæ. Primus modus eſt, quòd Chriſtus locutus ſit de ſua propria carne, quando dixit: *Caro non prodeſt quicquam.* Hūc ſenſum ſequitur Zuinglius, & poſt illum Caluinus, cùm interpretantur illa verba Euangelij ſancti Ioannis. Eſtque iſta interpretatio etiam S. Cyrilli, & S. Auguſt. alicubi, quam & non pauci recentiores Catholici amplectuntur. Et iuxta hanc interpretationem neceſſe eſt, vt *caro Chriſti* in his verbis ſignificet ſolam carnem ſeiunctam à diuinitate, & à diuina hypoſtaſi, qualem imaginabantur Capharnaitæ. Nam nemo niſi Neſtorianus dicet carnem Chriſti vnitā Verbo diuino nihil nobis prodeſſe. Hoc enim in Neſtorio olim damnauit Concilium Oecumenicum Epheſinum primum, can. 11.

S. Cyrill. l. 4. in Io. c. 25 S. Aug. to. 9. tr. 27. in Ioan. Ianſen. Tolet. Maldon. Baradius in Ioan.

III. Porrò iuxta hanc interpretationem nihil continent hæc verba contra Catholicam doctrinam: enimuerò caro Chriſti, quam Catholici aſſerunt eſſe in Sacramento, non eſt nuda caro ſine diuinitate, ſed caro filij Dei, hypoſtaticè Verbo diuino vnita: totum enim & integrum Chriſtum, verum Deum & verum hominē aſſerimus dari, & ſumi in hoc Sacramento. Proinde nemo niſi Neſtorianus negabit carnem Chriſti, vt eſt in Sacramento multùm nobis prodeſſe: nam & hanc vitam æternam nobis conferre, ſępiùs expreſsis verbis docet Chriſtus eodem capite 6. Ioannis v. 52. 55. 58. 59. vt benè obſeruauit ſanctus Auguſtinus.

S. Aug. to. 9. tra. 27. in S. Io. Euan.

IV. Alter ſenſus horum verborum eſt, quem habent S. Cyprianus, ſanctus Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & ſanctus Auguſtinus alibi, quos ſequitur Bellarminus libro 1. de Euchariſtia, capite 14. ad 7. argumentum: immò & ipſe

S. Cyp. ſerm de cœn. Do. in princ.

Beza

Beza ex parte in vltima editione ſuarum anrotationum in nouum Teſtamentū anni 1598. (quamuis in prioribus editionibus ſecutus fuerit priorem expoſitionem) omnes iſti dicūt, quòd Chriſtus non loquatur de ſua carne, cùm dicit: *Caro non prodeſt quicquam:* ſed aut de communi carne hominum, vt vult Beza, aut potiùs, vt interpretantur Patres, de carnali intelligētia ſuorum verborum, quam habebant Capharnaitæ, qui, vt dicit ſanctus Auguſtinus, putabant Chriſtum dicere, ſe corpus ſuum, quod videbatur, ſecaturum in particulas, ſicut carnes pecorum ſecantur in macello, & ſingulis hominibus vnam particulam daturum.

S. Chryſ. Theoph. Euthym in illa verba S. Ioan. S. Aug. to. 8. in illa verba Pſal. 98. Adorate ſcabellū pedum eius. S. Aug. to. 8. loc. cit. & to. 9 tra. 27. in Io. & to. 10. de verb. Apoſt. ſer. 2. c. 1.

Et hic ſecundus ſenſus eſt magis ad litteram, vt benè probat Bellar. loco citato. Non enim dixit Chriſtus: Spiritus meus viuificat, caro mea non prodeſt quicquam: ſed abſolutè & generaliter loquitur de ſpiritu & de carne.

Verùm vt meliùs intelligantur hæc verba, ob- V.
ſeruandum eſt, quòd quando Scriptura declarat VI.
rei alicuius excellentiam, ſoleat iuxta phraſim Hebræam ſæpè vti abſtractis pro concretis: abſtracta enim perfectiùs ſignificant rei præſtantiam, hinc dicimus Deum non tantùm eſſe bonum, viuum; ſapientem, ſed ipſam bonitatem, vitam, ſapientiam. Ad hunc igitur modum in ſacris litteris Spiritus ſæpè ſignificat illud quod eſt valdè, vel omninò ſpirituale: & caro id quod eſt valdè, vel omninò carnale. Verbi gratia Geneſis 6. v. 3. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt,* hoc eſt, prorſus carnalis. Sic Ioan. 8. v. 6. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt,* id eſt, planè carnale. *Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt,* id eſt, planè ſpirituale. Porrò ſi in hac Chriſti ſententia ab-

ſtracta

Digitized by Google

ſtracta mutentur in cõcreta, omnia erunt perſpicua, hoc nimirũ modo. Quod planè ſpirituale eſt, viuificat; quod planè carnale eſt, nõ prodeſt quicquam: Verba quæ ego locutus ſum vobis, planè ſpiritualia ſunt, & planè vitalia: vitam enim æternam credentibus afferunt.

VII. Iam verò iuxtà hanc ſecundam interpretationem verba iſta nobiſcum omninò faciunt contra aduerſarios: nam modus ille quo aſſerimus corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, nequaquam eſt carnalis, ſed prorſus ſpiritualis, quippe qui nulla naturali ratione, ſed ſola fide intelligi poteſt. Contrà verò nulla re magis impediuntur aduerſarij à vera cognitione huius Sacramenti, quàm imaginationibus quibuſdam verè carnalibus, quas de præſentia Chriſti in hoc Sacramento concipiunt, vt infrà oſtendemus.

VIII. Sed neque ſunt duæ iſtæ interpretationes verborum Chriſti adeò inter ſe contrariæ, vt exiſtimant aduerſarij: quandoquidem poſterior expoſitio in ſe continet priorem, ille enim carnalem, & non ſpiritualem habet cognitionem de carne Chriſti, qui imaginatur carnem Chriſti eſſe communem carnem ſeparatam à diuinitate & verbo: aut qui habet aliquam aliam opinionem falſam de carne Chriſti, qualem habebant Capharnaitæ. Quare quod prior ſententia de vna aut altera carnali cogitatione interpretatur, id poſterior ſententia generaliùs interpretatur de omni carnali cogitatione. Nec aliud eſt inter has duas expoſitiones diſcrimen. Vtraque igitur bona eſt, & neutra vel minimùm officit noſtræ doctrinæ de Euchariſtia.

IX. Verùm in eo multùm hallucinatur Zuinglius, quòd exiſtimet verba illa Chriſti: *Caro non prodeſt*

quicquam,

quicquam, dici de carne Chriſti, vt eſt in hoc Sacramento, & ſacramentaliter comeditur; quod nemo Catholicus vnquam cogitauit. Immò & Caluinus ipſe meritò Zuinglianos de hac re reprehendit, cùm ita ſcribit: *Nec rectè etiam illi qui Chriſti carnem prodeſſe dicunt, quatenus crucifixa eſt, comeſam verò nihil nobis afferre: quin potiùs comedere eã neceſſe eſt, vt crucifixa proſit*. Ita Caluinus. Enimuerò caro Chriſti, ſiue crucifixa, ſiue comeſa, numquam ſeparatur à Verbo diuino, cui hypoſtaticè vnita eſt. Quare & crucifixa & comeſa vim viuificandi habet: vt contra Neſtorianos olim definiuit Oecumenicum Concilium Epheſinum primum.

Cal in c. 6. Ioan. ad v. 63.

Conc. I. Eph. Cã. 11. & S. Cyrill. Alex in declarat. eiuſdem 11. Can. X.

Obijciunt etiam Zuingliani, quòd rei præſentis non ſoleat dari memoria, ſed abſentis: atqui Sacramentum hoc inſtitutum eſt in memoriam Chriſti. Eſt igitur Chriſtus abſens non præſens. Reſpondeo, quando res præſens videtur oculis corporeis, non eſt opus alio ſigno, quod nobis excitet illius memoriam, cùm ipſamet apertè videatur: ſed quando res inuiſibilis, opus eſt alio ſigno viſibili, quod nos reducat in eius memoriam, quantũuis illa ſit pręſens. Verbi cauſa, quãdo Spiritus S. deſcẽdit in ſpecie colũbæ ſuper Chriſtum, & in forma linguarum ſuper Apoſtolos: Spiritus S. erat realiter præſens ſub illis ſignis, opus tamen erat illis ſignis viſibilibus, vt eius præſentia cognoſceretur: quia Spiritus S. erat præſens tantùm inuiſibiliter, non autem viſibiliter. Similiter nihil eſt magis præſens nobis, quàm ipſe Deus, ſed quia eius præſentia eſt inuiſibilis, idcircò opus habemus varijs ſignis externis, tam in rebus, quàm in verbis, quibus reuocemur quotidie in eius memoriam. Sic & corpus Chriſti in Euchariſtia præ-

Luc. 12. v. 19.

Matt. 3. v. 16.

Act. 2. v. 3.

ſens eſt realiter, ſed quia non videtur oculis corporeis, opus eſt ſigno externo, quod illud nobis repræſentet.

XI. Solutio hęc adeò ſolida eſt & perſpicua, vt eam veriſsimam eſſe agnoſcat ipſe Caluinus. *Quòd autem hinc nonnulli colligunt* (inquit Caluinus) *abeſſe igitur à cœna Chriſtum, quoniam memoria nonniſi rei abſentis ſit, prompta eſt reſponſio; ſecundùm hanc rationem, qua cœna eſt recordatio, Chriſtum ab illa abeſſe, neque enim adeſt Chriſtus viſibiliter, neque oculis cernitur.* Ita Caluinus.

Cal. in c. 11 prioris ad Cor. ad v. 24. in fin.

XII. Sunt & alia Zuinglianorum argumenta, ſed quæ ſunt illis cum Caluinianis communia, quare diluenda erunt infra, cùm ad Caluinianorum argumenta reſpondebimus.

CAPVT V.

Caluinianos per ſuam fidem non manducare corpus Chriſti, ſed inane illius ſimulachrum.

I. CVM non poſsint Caluiniani negare tot tamq; aperta loca Scripturæ, quæ affirmãt verũ Chriſti corpus nobis exhiberi, & à nobis ſumi: vt præcedenti capite oſtendimus, ſolent verbis quidem hoc ipſum fateri, ſed ſenſu planè diuerſo; atq; hac verborum ambiguitate multos fallunt. Quare hoc in capite primùm detegendæ ſunt illorum fraudes, deinde errores refutandi. Vt autem intelligantur illorum fallaciæ, & appareat id quod hîc refutandum eſt, duo ſunt obſeruanda.

II. Alterum eſt, quòd Caluiniani verbis quidem fatentur non tantùm virtutem, efficaciam, & effectũ corporis Chriſti ſumi in cœna Domini, ſed etiam

Digitized by Google

etiam ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti. Item, fatentur ſubſtantiam corporis Chriſti ſumi verè, realiter,& ſubſtantialiter. Denique fatentur illud ipſum corpus, quod natum eſt ex virgine, totumque & integrũ Chriſtum verè & realiter eſſe præſentem in cœna: idq; tam fidelibus, quàm infidelibus. Ita Caluinus Epiſt. 372. in cõfeſsione, quam cupit exhiberi Lutheranis. Et Beza Epiſtol. 5. ad Alamannum, Lugdunenſis Eccleſiæ turbatorem. Atque his verborum inuolucris Caluiniani deceperunt ſæpè Lutheranos.

Exemplum huius rei minimè obſcurum extat in ipſa confeſsione fidei, quam Beza Lutheranis exhibuit nomine Eccleſiarum Heluetiæ & Sabaudię anno Domini 1557. die 14. Maij. qua egregiè decepit Lutheranos, qui ſibi planè perſuaſerunt Caluinianos omnes eſſe factos Lutheranos. Id quòd ipſis Tigurinis Heluetijs, Caluinianorũ ſocijs, diſplicuiſſe haud obſcurè fatetur ipſe Beza. Nã cùm ei illud obiecisſet Claudius de Sainctes, Beza in prima ſua Apologia ad eundẽ Claudium, quæ extat in ſecundo volumine Tractationum Theologicarum ipſius Bezæ, Tractatione 9. reſpondet: *Quòd rectius factum eſſet, ſi fidei nomen additum fuiſſet*. Item, *quòd optaſſent Tigurini plenius illa fuiſſe ab ipſo perſcripta. Hoc* (inquit) *mihi & communibus amicis* (Caluinum intelligit) *ſignificârunt, quòd vererentur, ne qui noſtro illo ſcripto abuterentur.* Hæc Beza: Quã eius excuſationẽ valdè friuolam eſſe perſpicuè etiã oſtendit Claudius de Sainctes. III.

Pag. 296. in fin. & 297. in prin. iuxta editionem Geneuẽſem, an. 1582. Claudius de Sainctes in ſua reſpon. ad primam illam Apolog. Bezæ.

His etiam technis perſuadent Caluiniani, ſuis diſcipulis ſe verum corpus & ſanguinem Chriſti ſumere: atque inter nos & illos non eſſe quæſtionem de re ipſa aut de vera ſumptione corporis Chriſti, ſed tantùm de modo: Quòd nos carnali- IV.

Digitized by Google

ter velimus illud ſumi, illi verò ſpiritualiter. Ita Caluinus lib.4.Inſtit.c.17.Sect.31. & Pſeudo-Epiſcopus ille Elienſis Anglus, in libro quem nuper ſcripſit contra Bellarm.c.1. *nobis vobiſcum* (inquit) *de obiecto conuenit, de modo lis omnis eſt.* Et paulò pòſt: *Præſentiam credimus, nec minùs quàm vos veram: de modo præſentiæ nihil temerè definimus.* Ita ille. Perinde ac ſi de modo duntaxat præſentię corporis Chriſti, & non de ipſamet præſentia eſſet inter nos controuerſia. Quo nihil à veritate alienius dici poteſt, vt ſtatim declarabimus. Porrò hoc ipſum eſt, quod multos detinet in hæreſi Caluinianorum, dum ſibi perſuadent parum aut nihil intereſſe inter ſuam hæreſim & doctrinam Catholicam.

V. Alterum hîc obſeruandum eſt. Quòd etſi Caluiniani nos, atque etiam Lutheranos ludificare conantur verbis quibuſdam ambiguis, immò & ſummoperè etiam deteſtari videntur errorem Zuinglianorum, adeò vt Beza Epiſt.5. vocet Zuinglianorum doctrinam, *horrendam blaſphemiam*: tamen in rei veritate nihil differunt à Zuinglianis, Anabaptiſtis, Antitrinitarijs, nouiſq; Arrianis, niſi quòd in multis ſint illis etiam deteriores, vt paulò pòſt declarabimus. Nam inprimis quādo dicunt ſubſtantiā corporis Chriſti verè & realiter eſſe pręſentem in cœna, non loquuntur de cœna, quæ peragitur in terra, ſed de alia, quā volunt fide celebrari in cœlo: vt expreſsè docet ipſe Beza, tum Epiſtola 5. citata, in tertio errore illius Alamanni: tum in prima illa Apologia citata, ad Claudium de Sainctes, pag. 299. vbi recitat declarationem confeſsionis illius, quam ipſe & ſocij eius exhibuerunt Catholicis Piſsiaci, anno 1561. Verùm hæc mera eſt illuſio, cū noſtra diſputatiō non

Digitized by Google

non ſit de cœna, quæ fit in cœlis, ſed de illa, quæ celebratur in terra.

Deinde cùm dicunt corpus Chriſti & ſanguinem verè, realiter, & ſubſtantialiter exhiberi & ſumi cum ſignis viſibilibus, non intelligunt id reipſa fieri, quaſi corpus Chriſti & ſanguis ſint præſentia in eodem loco cum ſignis: immò non verentur affirmare corpus & ſanguinem Chriſti loco tantùm diſtare à ſignis, & à cœna Domini, quantùm cœlum diſtat à terra. Verùm hæc omnia fieri volunt per ſolam fidem (id eſt, per ſolam imaginationem noſtram) quæ ſecundùm illos efficit abſentia præſentia, & remota propinqua. Quanquã agnoſcant ſe non poſſe intelligere quomodo hæc fiant. Ita Caluinus cap. 17. citato, Sect. 7. 10. & 31. VI. *Beza Ep. 76.*

Denique quamuis fateantur aduerbijs illis, *ſpiritualiter, corporaliter*, & ſimilibus etiam ſecundùm Grammaticos, non res ipſas, ſed qualitates, ſeu modos rerum ſignificari: vt expreſsè agnoſcit Beza Epiſtola illa 5. in ſecundo errore Alamanni: tamen quando explicant rem ipſam Euchariſtiæ, contendunt per particulam *ſpiritualiter* (quæ illis valdè ſolet eſſe in ore) ipſam etiam ſubſtantiam corporis Chriſti ſignificari: quam dicunt non re ipſa, ſed tantùm fide, & ſpiritualiter (hoc eſt, opinione imaginaria, & falſa) præſentem eſſe, ſpiritum à veritate ſeparantes, contra illud quod monet Chriſtus Dominus: *Nos oportere in ſpiritu & veritate adorare.* VII. *Io. 4. v. 23. & 24.*

Enimuerò & nos fatemur corpus & ſanguinem Chriſti eſſe præſentia ſpiritualiter (quemadmodum loquitur etiam S. Bernard.) hoc eſt, modo ſpirituali, inuiſibili, & ſupernaturali: ſi enim viſibiliter & corporaliter adeſsẽt, nemo Cal- VIII. *S. Bern. in ſer. de S. Mart.*

uinianorũ de hac re dubitaret. Sed dicimus iſtam præſentiam ſpiritualem, non eſſe fictam & imaginariam, ſed habere adiunctam ipſam veritatem. Quemadmodum anima noſtra eſt in corpore ſpiritualiter quidem, ſed & re ipſa, non ſola imaginatione. Et quemadmodum Spiritus ſanctus eſt in homine iuſto ſpiritualiter quidem, ſed in veritate quoque. Denique quemadmodum Deus ipſe eſt præſens in omni loco ſpiritualiter, ſed reipſa & veriſsimè, nõ ſola imaginatione noſtra. At verò aduerſarij ita volunt Chriſti corpus eſſe ſpiritualiter vt reipſa ſit abſens, & præſens tantùm fide, id eſt, imaginatione noſtra ficta & falſa.

IX. Ex quibus manifeſtum eſt, quæſtionem hanc non tantùm eſſe de modo, quo corpus Chriſti eſt præſens in Euchariſtia, (vt aduerſarij conantur perſuadere ignaris) ſed de rei veritate. Nam rem ipſam, id eſt, Chriſti corpus & ſanguinem contendunt abeſſe, & non verè, ſed tantùm per imaginationem nobis dari, & à nobis ſumi.

X. FVNDAMENTVM autem & origo erroris aduerſariorum eſt, quòd exiſtiment illa, quæ ſola fide exiſtunt, verè & realiter exiſtere: immò fidem ſolam reipſa & verè efficere abſentia præſentia, & remota propinqua. Sed hoc aduerſariorum fundamentum valdè abſurdum eſſe, his rationibus conuincimus.

XI. PRIMA ratio eſt. Hæc ipſorum doctrina pugnat cum primis fidei principijs, atque adeò cum natura & ratione ipſius verbi Dei. Eſt enim hoc primum fidei principium & fundamentum: Illud quod fide diuina credimus, eſſe ipſum Dei verbum, in ſe, & ex ſe veriſsimum, ſiue illud credatur à nobis, ſiue non credatur. Quamuis illud vtile no-

le nobis non ſit niſi credamus. Quare non eſt veritas illius quod credimus, quæ oritur ex fide noſtra, ſed vtilitas & fructus illius in nobis. Verùm neceſſe eſt, vt illud, quod credimus, verũ ſit antequã illud credamus, niſi velimus falſum, & non verum credere. Id quod in omnibus Symboli Apoſtolici articulis (quæ prima ſunt fundamẽta fidei) manifeſtiſsimum eſt: ideò enim credimus Deum Patrem omnipotentem, filium cõceptum, natum, paſſum, &c. quia iſta omnia ſunt veriſsima, ſiue nos credamus, ſiue non credamus. Quòd ſi aliquid horum verum non eſſet, antequam crederemus, fides noſtra eſſet falſa: neq; vnquã poſſet fides noſtra efficere, vt falsũ eſſet verum. Et quis quæſo vnquã dixerit, fidem noſtram efficere, vt Chriſtus ſit natus, paſſus aut mortuus pro nobis? Ad eundem modum ideò credimus corpus Chriſti eſſe præſens in Euchariſtia, quia illud reipſa eſt præſens diuina virtute, ſiue nos credamus, ſiue minimè: & quãtumuis crederemus illud eſſe præſens, niſi re vera eſſet præſens, falſa eſſet fides noſtra. Non eſt igitur fides noſtra cauſa, quę efficit, vt corpus Chriſti ſit pręſens in Euchariſtia, ſed contrà, vera eius præſentia eſt cauſa fidei noſtræ.

SECVNDA ratio. Hæc noua Caluinianorum doctrina aduerſatur naturæ fidei. Nam natura fidei actualis (de qua ſola hîc loquimur) eſt, quòd ſit cognitio, aut ſaltem actio aliqua mẽtis noſtræ: at actiones mentis noſtræ non poſſunt res ipſas mutare: ſolius enim Dei proprium eſt per actionem mentis ſuæ mutare, quotieſcunque vult, res ipſas. Quare quod Dei eſt peculiare, id aduerſarij ſibi attribuunt non ſine magna temeritate. XII.

Tertia ratio eſt. Corpus Chriſti quod mente & fide apprehendimus, vt eſt in ſola mente, non XIII.

eſt reale & verum Chriſti corpus, ſed tantùm opus & ſimulachrum mentis noſtræ. Imò tot ſunt eiuſmodi Chriſti corpora quot homines qui cogitant; eſt enim imago Chriſti in mente, & ſinguli ſibi fingunt illud quod mente apprehendunt, & cogitant. Quare exhibere, ſumere, aut comedere tale corpus, nihil aliud eſt, quàm exhibere, ſumere, aut comedere figuram ſeu ideam meram corporis Chriſti, vt volunt Zuingliani.

XIV. Quarta ratio. Error iſte Aduerſariorum pugnat etiam apertè cum ipſa natura Sacramenti. Nam in quouis Sacramento ſunt duo, alterum eſt veritas ſeu ſubſtantia Sacramenti, alterum fructus ſiue effectus Sacramenti, qui etiam vocari ſolet res Sacramenti. Hinc illa communis diſtinctio ex S. Auguſtino deſumpta inter Sacramentum ipſum & rem Sacramenti; quam diſtinctionem probat ipſe Caluinus, eamq; confirmat varijs S. Auguſtini teſtimonijs. Subſtãtia autẽ Sacramenti non pendet à fide ſuſcipientis, ſed ab inſtitutione duntaxat Chriſti, & ſolus fructus Sacramenti eſt, qui pendet à fide ſuſcipientis. Id quod omnes ſemper agnouerũt præter Donatiſtas, qui neſciebant diſtinguere veritatẽ Sacramenti à fructu eiuſdem, quos ob id ſæpè reprehendit S. Auguſtinus. Caluinus ſanè loco citato contra Anabaptiſtas (qui in Donatiſtarum errorem inciderunt) apertè docet, & quidem multis verbis, hæc duo eſſe diſtinguenda in omni Sacramento. Et res alioqui ex ſe eſt clariſsima; adultus namque qui baptizatur ab Hæreticis in eorum perfidia, verum quidem SACRAMENTVM & verum Baptiſma accipit, ſed fructum illius non accipit, remiſsionem videlicet peccatorum. Porrò quòd corpus Chriſti verè exhibeatur; & ſit veriſsimè

Cal. l. 4. Inſt. c. 14. Sect. 15. & 16.

S. Aug. tom. 7. de Baptiſm. contra Donatiſtas l. 3 c. 14. & l. 4. c 25. & l. 6. c 9.

rißimè præſens, pertinet ad ipſam ſubſtantiam Sacramenti,& non ad effectum, vt omnes agnoſcunt,pręter Donatiſtas,& Anabaptiſtas pręſertim verò Caluinus,Nō poteſt ergo præſentia & exhibitio corporis Chriſti pēdere ex fide ſuſcipientis, ſed ſolus fructus Sacramēti eſt,qui pendet ex noſtra fide;neq; enim prodeſt hoc Sacramentum ſine fide, Proinde in hac re, vt & in alijs multis, pugnantia planè docent Aduerſarij, & in Donatiſtarum errorem inſcij labuntur. *Calu. li. 4. Inſtit. c.17. Sect. 11. & 33.*

XV. QVINTA ratio, Ex hac doctrina Aduerſariorum varia ſequuntur abſurda. Primū eſt, quòd in Euchariſtia etiam exhibeantur,& verè ac realiter ſumantur mors & reſurrectio Chriſti non aliter quàm corpus Chriſti. Caluinus ſanè cogitur id fateri, *Materiam* (inquit Caluinus) *aut ſubſtantiam Sacramenti Euchariſtiæ voco ipſum Chriſtum cum ſua morte & reſurrectione.* Sed quis non videt iſta quæ multis ante ſeculis peracta ſunt, non eſſe nunc reipſa & verè præſentia. Immò ex iſtorum doctrina ſequeretur, quòd in omni receptione Sacramenti Euchariſtiæ verè & realiter exhiberentur & ſumerentur omnia prorſus Chriſti beneficia, quæ ille nobis diuerſis temporibus confert. Id quod Beza ingenuè agnoſcit, dum in confeſsione fidei ſuæ apertè ſcribit, *Chriſtum cum omnibus ſuis opibus hîc offerri.* Et neceſſe planè eſt, vt hæc fateantur omnes Caluiniani, quia omnia hæc fide percipiuntur. At nihil eſt abſurdius, quā affirmare omnia prorſus Chriſti beneficia, quorum aliqua olim præterierunt, alia poſt multos annos ſubſequentur, eſſe verè & reipſa præſentia, & verè atque realiter exhiberi, quotieſcunque aliquis ſumit Euchariſtiam; ita enim reipſa darentur & ſumerentnr illa, cùm non eſſent, & ante- *Caluin. Se. 11 citata.* *Beza c.4. Conf. ſuæ fidei. Art. 44.*

Digitized by Google

quàm eſſent. Et quid magis ridiculum eſt, quàm aſtruere rem dari antequàm detur, rem reipſa ſumi antequàm ſumatur, & quidem multis annis?

XVI. SECVNDVM abſurdum. Patres omnes antiqui teſtamenti qui crediderunt in Chriſtum, tam verè & realiter comediſſent corpus CHRISTI quàm nos; nam & ipſi fide apprehenderunt Chriſtum. Hoc etiam coguntur concedere Caluiniani ferè omnes. Porrò iuxta hanc doctrinam, corpus Chriſti fuiſſet, & realiter præſens, & realiter exhibitum, atque etiam realiter comeſum, pluſquàm millies antequàm fuiſſet in rerum natura. Eadem ſanè ratione dicere poſſent aduerſarij omnes mentis fictiones, & ipſum nihil, realiter eſſe præſens, realiter nobis exhiberi, realiter edi. Adde corpus Chriſti, antequã eſſet, aut crearetur à Deo nihil omnino erat: Si ergo poterat illud manducari cùm nihil eſſet, poterit & nihil, ſeu illud quod non exiſtit, manducari: quod nouum & mirum eſt edendi genus.

Cal. & Beza in prima ad Cor. 10. v. 3. Item Calu. lib. 4. Inſt. c. 14 Sect. 23.

XVII. TERTIVM abſurdum. Caluiniani vbique docent corpus Chriſti non aliter exhiberi aut ſumi Sacramento Euchariſtiæ, quàm exhibeatur & ſumatur verbo, dum quis concionatur; & nominatim Caluinus. Et neceſſe eſt, vt hoc fateantur, nam quod verbo Dei proponitur credentibus, fide exhibetur & ſumitur. Sed valdè abſurdum eſt dicere, omnia illa eſſe realiter præſentia, & realiter exhiberi & manducari ab auditoribus, quæ concionator verbo Dei auditoribus proponit. Hac enim ratione dicendum eſſet cœlum, terram, infernum, atque adeò omnia quæ facta narrantur in veteri aut nouo teſtamento, realiter eſſe præſentia, illaque exhiberi & manducari realiter

Calu. lib. 4 Inſt. c. 14. Sect. 17. Calu. 4. Inſt. c. 14. Sect. 17.

Digitized by Google

aliter ab auditoribus, quoties de illis conciones fiunt ad populum. Atque hac ratione Abraham, Isaac, Iacob, & omnes Chriſti maiores comederentur reipſa ab omnibus, qui audiunt & credunt primum caput Euangelij S. Matthaei. Quæ quàm abſurda ſint, nemo non videt.

Postremo, nihil eſt magis ridiculum apud omnes (modò ſint ſanæ mentis) quàm putare illud omne, quod ſola mente concipimus, re ipſa ita eſſe. Quis enim ſtultior illo eſt, qui ſibi certò perſuadet ſe Regem eſſe, opulentum eſſe, immortalem eſſe, immò vel pranſum eſſe, ob id ſolum, quod hoc animo & cogitatione ſibi fingat? XVIII.

Ex his omnibus perſpicuum eſt, Caluinianos longè abſurdiora, & minus cohærentia docere, quàm Anabaptiſtas, Anti-trinitarios, & nouos Arrianos, quos generali nomine appellamus Zuinglianos. Nam in primis Zuingliani iſti clarè & candidè loquuntur: figuram nimirum corporis Chriſti, non corpus exhiberi & ſumi. Caluiniani autem loquuntur ambiguè, variè, & ſubdolè: vt ex ijs quæ in principio huius capitis diximus, ſatis conſtat. XIX.

Secundò, Zuingliani agnoſcunt corporis Chriſti ſpeciem & imaginem in mente noſtra, non eſſe ipſum Chriſti corpus. At Caluiniani contra omnem rationem nituntur hominibus perſuadere ſimulachrum corporis Chriſti, quod in ſola mente noſtra exiſtit, verum & reale eſſe Chriſti corpus. XX.

Tertiò, Zuingliani fatentur fidem non efficere abſentia præſentia, aut remota propinqua: quòd inſcitiſsimè contendunt Caluiniani. XXI.

Qvartò

QVARTÒ, Zuingliani ſaltem conſentanea ſcribunt, quia vbique in verbis Chriſti, quæ ſunt de hoc Sacramento, volunt corpus Chriſti ſignificare figuram corporis eius. Sed Caluiniani, cùm negare non poſsint, quin corpus & ſanguis Chriſti vbique in Chriſti verbis ſignificent verum corpus & verum ſanguinem eius: nihilominus quotieſcunque illis libet, corpus Chriſti & ſanguinem etiam in verbis Chriſti, tranſmutant in ſuam illam ideam corporis & ſanguinis Chriſti, quam mente ſibi effingunt: quæ verè non eſt corpus Chriſti, ſed eius figura.

XXIII. QVINTÒ, Caluiniani ſunt multò magis iniurioſi in Chriſtum, quàm Zuingliani. Quia Zuingliani docent Chriſtum, Ioan. 6. promiſiſſe figuram ſolam corporis & ſanguinis ſui, & eandem quam promiſerat dediſſe in cœna nouiſsima; atque ita promiſſa ſeruaſſe. Caluiniani verò fatentur Chriſtum Ioan. 6. promiſiſſe ſe daturum nobis non tantùm figuram corporis & ſanguinis ſui, ſed verum corpus & verum ſanguinem ſuum: & tamen affirmant Chriſtum poſtea in cœna nihil aliud reuera exhibuiſſe, niſi ſui corporis & ſanguinis imaginem à mēte noſtra formatam. Quod nihil aliud eſt, niſi aſſerere Chriſtum promiſsis non ſtetiſſe, ſed illum falſum & fallacem eſſe.

XXIV. SEXTÒ, Zuingliani docent panem & vinum vocari impropriè corpus & ſanguinem Chriſti, propterea quòd ſint illorum figuræ. Verùm Caluiniani volunt ſimilitudines corporis & ſanguinis Chriſti in ſola mente non tantùm vocari, ſed & eſſe verum & reale corpus Chriſti, verumque & realem eius ſanguinem: atqui hoc longè eſt abſurdius. Nam quòd figura alicuius rei extra mentem exiſtens, vocetur impropriè res ipſa, non-

nunquam

nunquam in Scripturis legimus:ſed quòd ſimilitudo rei,ſola mente concepta, ſit verè & propriè res ipſa,hactenus inauditum eſt.

CAPVT VI.

Caluinianos in ſua cœna, nec veram Chriſti corporis præſentiam, nec communicationem,nec exhibitionem,nec perceptionem habere.

VT planiùs & apertiùs intelligatur, cur iſta adferamus, operæ pretium eſt cognoſcere, quòd Beza Epiſtola 76.(quam ſcripſit anno 1572.)& poſt eum alij nonnulli ex recentioribus Caluinianis,cùm manifeſtè vident tot abſurda ſequi ex imaginaria illa & phantaſtica præſentia, quam fingunt ex fide naſci;aliud excogitarũt effugium. Diſtinguunt enim duo in hoc Sacramento, nempè præſentiam corporis Chriſti & communicationem, ſiue perceptionem eiuſdem. Et præſentiam quidem fatentur non eſſe realem & localem, aut valde miram: cùm iſta præſentia alia non ſit,niſi illa, qua res abſens & cogitata eſt præſens cogitationi : proinde fatentur corpus Chriſti cogitatione duntaxat præſens eſſe in cœna illa Domini,quę in terris celebratur;reipſa autem & loco tanto interuallo abeſſe à nobis,quanto abeſt cœlum à terra,cùm illud quidem ſit tantùm in cœlo,nos verò in terra. Communicationem verò corporis Chriſti, ſeu participationem dicunt illam eſſe, quæ verè & reipſa in nobis fit per fidem: atque hanc eſſe incomprehenſibilem & im- I.

&imperſcrutabilem humanæ rationi, myſteriumque illud magnum, de quo loquitur Apoſtolus ad Epheſios.

Ad Eph. 5. v. 32.

II. QVARE Beza epiſtola illa 76. reprehendit vnum ex ſuis fratribus, quòd in confeſsione ſuæ fidei ſcripſerit præſentiam corporis Chriſti in cœna DOMINI eſſe incomprehenſibilem. Monet enim BEZA pro *præſentia*, oportere omnino reponi *communicationis* ſeu *perceptionis* nomen. *Nam quæ iſta* (ait Beza) *corporis præſentia, manifeſtè intelligimus, & percipimus ex verbo Dei, ſicut videlicet res cogitata eſt præſens cogitationi, res credita eſt præſens fidei.* Ita Beza. Qui proinde multùm diſſentit à Pſeudo-epiſcopo illo Anglo, de quo præcedenti capite, § 4. diximus, cùm ille exiſtimet de modo pręſentię nihil temerè eſſe definiendum; Beza verò affirmet manifeſtè intelligi & percipi ex verbo Dei, quęnam ſit iſta pręſentia.

III. SED inprimis iſtud aduerſariorum effugium nihil eſt ad rem. Quia hîc non diſputamus de effectu Sacramenti Euchariſtiæ, ſed de ipſa ſubſtantia & veritate illius: hoc eſt, quærimus quidnam ſit illud quod nobis datur, & à nobis manducatur in cœna Domini. Verùm nunc non eſt quæſtio, quorſum hoc detur, vel quidnam Sacramentum hoc in nobis efficiat: hoc enim eſſet diſputare de effectu Sacramenti, non de veritate, & ſubſtantia Sacramenti. Porrò omnes Caluiniani fatentur illud, quod datur nobis, & quod nos ſumimus, eſſe ipſam ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti: communicationem autem, exhibitionem, & perceptionem corporis Chriſti, conſtat eſſe actiones, non ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti. Eſt enim communicatio actiua (vt & exhibitio) actio Dei: perceptio verò, eſt actio hominis, qui Sacramentum

tum hoc percipit. Non ſunt igitur hæ actiones, ipſa ſubſtantia corporis Chriſti, de qua hîc diſputamus, ſed tantùm effectus quidam Chriſti, aut corporis Chriſti in nobis.

QVOD vel ex ipſis verbis Chriſti perſpicuum eſt, Chriſtus enim promiſit ſe nobis daturum non communionem duntaxat carnis ſuæ, ſed etiam ipſam carnem ſuam, Ioan. 6. v. 52. & iuſsit nos comedere & bibere nõ communicationẽ carnis ſuę & ſanguinis ſui, ſed ipſam carnem ſuam, & ipſum ſanguinem ſuum, Ioan. 6. v. 54. Denique quando inſtituit hoc Sacramentum, non dixit, hæc eſt cõmunicatio corporis mei, ſed *hoc eſt corpus meum.* Quare cùm hîc diſputemus de ipſa ſubſtantia corporis Chriſti, & eius reali præſentia, non debent Aduerſarij confugere ad communicationem vel perceptionem corporis Chriſti, quæ ſunt actiones & effectus corporis Chriſti, eiuſque realis præſentiæ. IV.

Matt. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. Luc 22. v. 18. 1. Cor. 11. v. 24.

SOLENT quidam Caluiniani ad hunc modum frequentiſsimè confundere ſubſtantiam huius Sacramenti cum effectu illius. Verùm hunc olim fuiſſe præcipuum Donatiſtarum errorem, iam ſuprà diximus ex S. Auguſtino, & ipſo Caluino, qui alicubi hoc ipſum agnoſcit. V.

Vide præcedent. c. 5. §. 14.

DEINDE, ſecundum Bezam, corpus Chriſti, & ſanguis, non ſunt præſentia reipſa eo in loco, vbi ſunt & dantur ſymbola panis & vini, ſed tantùm cogitatione: neceſſe eſt igitur vt fateatur corpus & ſanguinem Chriſti, verè, propriè & abſolutè loquendo, non eſſe nobis præſentia, ſed abſentia, cùm Euchariſtiam ſumimus. VI.

SIQVIDEM duplex eſt rei alicuius præſentia. Vna, vera, propria, & realis, nempè, cum res eſt reipſa & loco præſens, ante omnem mentis operatio- VII.

rationem. Alia eſt præſentia, quę non eſt in rerum natura ante mentis operationem, ſed quæ per operationem ſeu per cogitationem ſolius mentis efficitur; idque non re ipſa extra mentem, ſed in mente duntaxat. Prior præſentia ſola eſt vera & propria: poſterior verò eſt impropria & ficta, cū ſit tantùm in mente & cogitatione noſtra, non in rerum natura. Et ob id quicunque ſibi perſuadet iſtam præſentiam eſſe veram, multum fallitur. Verbi gratia, ſi quis ſibi perſuaderet aurum eſſe verè ſibi præſens, quoties cogitat de auro; aut cibum vel potum verè eſſe præſentia, quoties cogitat de cibo aut potu; quis non iudicaret, talem eſſe verè fatuum? Similiter nemo ſanæ mentis dixerit præterita & futura eſſe verè & propriè præſentia, propterea quòd quis cogitet de illis. Quis enim dicet Moyſen & Prophetas omnes verè, re ipſa, & propriè eſſe præſentes, quoties de illis cogitamus? Aut Indiam nobis verè præſentem eſſe, quoties eam animo & mente concipimus? Non eſt igitur iſta prę ſentia vera, propria, & realis, ſed impropria, & mentalis duntaxat, quæ ſimpliciter & ſincerè loquendo, non meretur nomen præſentiæ.

VIII. Ex quibus & illud conſtat, omnia quæ iſti dicūt de vera præſentia corporis & ſanguinis Chriſti, meras eſſe nugas, & vafrè atque ſubdolè ab illis dici, cùm aliam præſentiam non agnoſcant quàm mentalem, quæ eſt planè impropria, & etiam falſa, quando abſolutè & ſincerè loquimur de rei alicuius præſentia.

IX. Sed neque ſatis eſt, ſi confugiant ad communicationem, exhibitionem aut perceptionem corporis & ſanguinis Chriſti: quia nec communicatio, nec exhibitio, nec perceptio, eſt ipſum Chriſti

corpus

corpus aut ſanguis: ſed iſtæ ſunt actiones duntaxat vel Chriſti, vel illius qui percipit Sacramentum, vt iam iam diximus; nos autem hîc agimus de ipſo corpore & ſanguine Chriſti, non de actionibus illa ſubſequentibus. Quare in his omnibus multum aberrant Bezani à propoſito.

A d hæc, friuolum eſt illud diſcrimen, quod iſti ponunt inter præſentiam, & communicationem, ſeu manducationem corporis Chriſti: quaſi communicatio eſſet magis vera, realis, & myſtica, ſeu incomprehenſibilis, quàm præſentia corporis Chriſti. Nam vt aliam præſentiam non agnoſcũt, quàm illam quæ eſt per fidem, hoc eſt, cogitatam duntaxat, non realem, & localem: ita nec aliam communicationem aut manducationem agnoſcunt, niſi illam quæ eſt per fidem. Immò Caluinus *nec aliam fingi poſſe* expreſsè ſcribit. Eſt igitur par omninò ratio apud illos & communicationis & præſentiæ: cûm vtraque non aliter quàm fide & cogitatione fiat. Perridiculum igitur eſt illud diſcrimen, quod ponunt inter præſentiam, & communicationem corporis Chriſti. X.

Calu. lib. 4. Inſt. ca. 17. Sec. 15.

P raeterea, cûm iam manifeſtè oſtenderimus, ea quæ fide duntaxat fiunt, non verè fieri, neceſſariò ſequitur nullam apud illos eſſe verã præſentiam, nullam veram communicationem, nullam veram exhibitionem, nullam veram manducationem, nullam denique veram participationem corporis & ſanguinis Chriſti: cûm hæc omnia ſecundum illos, ſola fide fiant. Omnia enim illa argumenta, quibus & hoc capite, & præcedẽte probauimus præſentiam quæ ſola fide fit, non eſſe veram, realem, aut propriam: ſimiliter probant, communicationem, exhibitionem, & perceptio- XI.

nem(quas Aduerſarij aſſerunt, eodem modo ſola fide fieri) non eſſe veras & reales, ſed improprias & imaginarias duntaxat.

XII. Et ſanè iuxta illorum doctrinam, non aliter iam illis communicatur aut exhibetur, nec aliter ab illis percipitur corpus Christi, quàm olim cómunicabatur, exhibebatur atque percipiebatur ab antiquæ legis Patribus; vt ſupra ex illorum doctrina oſtendimus. Atqui res antequam exiſtat, nec communicari, nec exhiberi, nec participari poteſt reipſa verè, & propriè, ſed ſolùm impropriè & mera cogitatione: immò ne res quidem exiſtens exhiberi verè poteſt, niſi etiam reipſa pręſens ſit; cùm res abſens non poſsit communicari, exhiberi, aut participari, niſi ſola cogitatione. Quare qualis eſt rei præſentia, talis eſt eius communicatio, exhibitio & perceptio. Sicut ergo Aduerſarij carent vera & reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti, etiam ipſorum iudicio: ita neceſſe eſt, vt conſequenter careant quoque vera & reali communicatione, exhibitione & perceptione eiuſdem Chriſti corporis & ſanguinis.

Suprà c. 5. §. 16.

XIII. Porro adeò ſunt hæc perſpicua, vt non deſint aliqui ex recentioribus Caluinianis (inter quos eſt Franciſcus Iunius Biturix) qui diligētius hæc conſiderantes, apertè fateantur fidem noſtrã non efficere, vt corpus Chriſti ſit præſens in cæna Domini, ſed hanc eſſe efficaciam Spiritus ſancti: fidem verò tantùm recipere id, quod in Sacramento nobis offertur, corpus ſcilicet Chriſti & ſanguinem, & efficere vt Sacramentum nobis proſit, vtque cum fructu ſuſcipiatur. Et hi quidem magis accedunt ad veritatem, cùm loquuntur de cauſa huius præſentiæ, de qua hic agimus

Iunius in Theſ. de cœna Domini, quas diſputandas propoſuit in Leydenſi academia. Anno 1600. Iunij 8. Theſ. 14.

(quan-

(quanquam & iſti malè explicent rem & naturam huius præſentiæ, vt infra dicemus) nam reuera & cauſa præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia non eſt fides noſtra, ſed inſtitutio Chriſti, & efficacia Spiritus ſancti, qui hoc myſteriũ ſemper conficit, quotieſcunq; adſunt materia & forma debita & miniſter legitimus: ſiue ille qui percipit Euchariſtiã credat, ſiue non credat.

ſeu penult. Infr. c. 12. §. 23. & 24.

XIV. Est denique & hoc obſeruandum circa hanc communicationem atque vnitatem, quam habemus cum Chriſto: quod corpus Chriſti eſum efficiat, vt edentes coniugantur cum Chriſti corpore non fide, aut charitate duntaxat (vt Aduerſarij contendunt) *ſed etiam reipſa*, vt loquitur S. Chryſoſtomus: immò, vt non tantùm voluntate, ſed etiam natura atque ſuſiſtantia efficiamur vna caro, & vnum corpus cum Chriſto: nempè, vt veriſsimè impleatur illud quod Chriſtus promiſit; *in me manet & ego in illo*. Quemadmodum contra Arrianos egregiè probant Sanctus Hilarius & Sanctus Cyrillus Alexandrinus. Nam cum Arriani obijcerent Catholicis, Chriſtum affirmare *ſe vnum eſſe cum Patre, ſicut & nos vnum ſumus cum ipſo*: Ioan. 17. v. 11. & 21. nos autem non ſecundum ſubſtantiam, aut naturam, ſed tantum ſecundum voluntatem, vnum eſſe cum Chriſto: proinde Chriſtum cum patre vnum eſſe voluntate duntaxat, non natura. Eruditè reſpondent ſanctus Hilarius & S. Cyrillus nos non tantum voluntate, ſed & natura atque ſubſtantia, vnum fieri cum Chriſto per eſum huius Sacramenti. Enimuerò cùm manducamus corpus Chriſti, non conuertimus illud in nos, ſicut cibum communem, ſed contra illud nos in ſe conuertit. Veriſsima enim eſt illa Dei vox, quam de excelſo in-

S. Chryſ. in 1. ad Cor. ho. 24. & in Io hom. 45. Io. 6. v. 57. S. Hil l. 8. de Trin. S. Cyrill. in Io. l. 10. c. 13. & l. 11 c. 26. 27.

Locis cit.

Digitized by Google

S. Aug. To. 1. l. 7. c. 10 confeſſionũ. S. Amb. lib. 5. de Sacr. c. 4. S. Aug. To. 10. ſe. 28. de Verbis Domini.

tellexit ſanctus Auguſtinus: *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Cui ſimile eſt illud quod alibi poſt S. Ambroſium ſcribit idem ſanctus Auguſtinus: *Non iſte panis eſt, qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtãtiam fulcit.* Quæ omnia à Caluinianorum imaginationibus multùm diſcrepant, qui Euchariſtiam communem panem eſſe volunt: noſtramque cum Chriſto coniunctionem ſola fide & charitate fieri, non autem re ipſa natura, atque ſubſtantia: ſicut eſt patris ac filij coniunctio & vnitas.

CAPVT VII.

Soluuntur argumenta, quibus Caluiniani conantur probare, fidem efficere rem abſentem præſentem.

I. ARGVMENTA Aduerſariorum non ſolùm non infirmant Catholicam Doctrinam, ſed eam magis etiam confirmant. Duo enim adferunt genera argumentorum; quædam deſumuntur ex ſcripturis, alia ex quibuſdam ſimilitudinibus & exemplis.

II. PRIMVS locus Scripturæ eſt 1. ad Corinth. 10. v. 3. & 4. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt*, Ex his verbis colligunt Aduerſarij Patres antiqui teſtamenti comediſſe eundem cibum, & bibiſſe eundem potum, quem nos comedimus, & bibimus, nempe Chriſti corpus & ſanguinem: quod

Cal. & Beza ad v. 3 & 4. 1. Cor. 10. Item Cal. l. 4 Inſt. c 4. Sect. 23.

quod fieri non poterat niſi ſola fide, fides ergo facit abſentia præſentia: ſed aduerſarij manifeſtè deprauant verba Apoſtoli, idque duobus modis. Nam inprimis contendunt Iudæos omnes qui fuerunt in deſerto comediſſe eundem cibum & bibiſſe eundem potum nobiſcum, cùm Apoſtolus re vera tantùm dicat, omnes Iudæos illos qui fuerunt in deſerto, & tranſierunt mare rubrum inter ſe comediſſe eundem cibum ſpiritualem nimirum Manna, & bibiſſe eundem potum ſpiritualem, nempe aquam quæ fluxit ex Petra. Exod. 16. v. 35. & cap. 17. v. 6.

Porro Apoſtolum loqui de ſolis Iudæis, qui fuerunt in deſerto, & non de nobis clariſsimum eſt ex varijs Apoſtoli verbis, *Patres* (inquit ibidem v. 1.) *noſtri:* non ait, nos & Patres noſtri. Loquitur ergò de Patribus noſtris ſolùm, non de nobis. Deinde ſtatim addit (eodem v. 1.) *omnes ſub nube fuerunt.* At ridiculum planè eſſet aſſeuerare vocem *omnes* in hac ſententia nos etiam comprehendere. Quis enim ignorat nos omnes nequaquam fuiſſe ſub illa nube, quæ præcedebat Iudæos per deſertum? Exod. 13. v. vltimo. Tertiò dicit Apoſtolus (eodem v. 1.) quòd *omnes mare tranſierunt.* Sed quis non videt vocem *omnes* hic ſignificare ſolos Iudæos, non autem nos, qui nunquam tranſiuimus per mare rubrum. Quartò ſcribit idem Apoſtolus (v. 2.) quòd *omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari.* Sed quis audebit dicere vocem *omnes* hic nos includere? Inde enim ſequeretur, nos in Moyſe, & non in Chriſto baptizatos eſſe: præterea nos in nube illa atque in mari rubro fuiſſe vnà cum Iudæis baptizatos antè quàm natos. Tandem (v. 3) addit Apoſtolus omnes hos qui tranſierunt mare rubrum, quique in Moyſe ba- III.

ptizati fuerunt, comediſſe eandem eſcam ſpiritualem,& bibiſſe eundem potum ſpiritualem. De ſolis igitur Iudæis,& non de Chriſtianis agit Apoſtolus. De nobis autem longè aliter loquitur paulò poſt, cùm ait (v. 6. ibidem) *Hac autem in figura facta ſunt noſtri.* Et rurſus (v. 11.) *Hac autem omnia in figuris contingebant illis.*

IV. Quare ex his Apoſtoli verbis debuiſſent Aduerſarij contrarium potius collegiſſe, nempe Iudæos non noſtrum cibum aut potum, ſed figuram tantùm & typum illius comediſſe aut bibiſſe. Quemadmodū rectè collegit ſanctus Baſilius diſputans contra Eunomium hæreticum, qui hoc eodem loco Apoſtoli abutebatur, dū Spiritus ſancti Diuinitatem oppugnaret: æquabat enim iſte Baptiſmum in Möyſe, cum baptiſmo in ſpiritu ſancto vt ea ratione Moyſen cum Spiritu adæquaret. De quo bene ſcribit ſanctus Baſilius, quòd *veritatem vmbra comparans; & cum figuris conferens ea quæ figuris ſignificantur, vniuerſam pariter Euangelicam diſpenſationem eleuare aggreditur.* Et paulò ſuperius oſtendit hoc nihil aliud eſſe niſi Chriſtum æquare cum ariete, Chriſtique paſſionem cum immolatione arietis, qua præfigurata fuit Chriſti paſsio, Gen. 22. v. 13. Idem & de Aduerſarijs dici poteſt, qui manna & aquam Iudæorum cum Chriſti corpore & ſanguine adæquare non verentur.

S. Baſil. c. 14 li. de Spir. S.

V. Eſt & alter modus, quo Aduerſarij deprauant hæc verba Apoſtoli; volunt namque illum loqui de ſpirituali manducatione corporis Chriſti, & ſpirituali potatione ſanguinis eius, quæ non aliter quam per fidem fieri poterant. Verū Apoſtolus loquitur de ſola corporali manducatione & potatione: quo ſanè modo abſque vlla fide comederunt

derunt & biberunt permulti. Atque hoc ipſum apertè docet Apoſtolus eodem capite 10. v. 5. 6. 7. 8. & 10. Affirmat enim multos illorum qui comederunt & biberunt fuiſſe impios, reprobos, & infideles: non poterant ergo fide comediſſe aut bibiſſe: Imò vis argumenti, quo vtitur Apoſtolus, in eo conſiſtit, vt exemplo veterũ Iudęorum probet non ſatis eſſe, ſi quis ſumat Sacramenta, niſi etiam habeat fidem viuam, & bona opera. Nam etſi omnes illi Iudæi vſi ſint ijſdem ſacris ſignis, quibus præfigurabantur noſtra Sacramenta, tamen multi fuerunt inter illos impij & infideles, qui Deo non placuerunt. Atqui tales corporaliter tantùm comedebant & bibebant: non autem ſpiritualiter per fidem qua prorſus carebant. De corporali igitur manducatione loquitur Apoſtolus, non de ſpirituali per fidem, vt volunt Aduerſarij.

VI.

Sed neque his obſtat, quod de ſpirituali cibo & potu loquatur Apoſtolus: vocantur enim hæc ſpiritualia, duplici de cauſa. Prima eſt, quia ſpirituali & ſupernaturali vi facta fuerunt. Quemadmodum & lex Moſaica ſpiritualis dicitur ab eodem Apoſtolo, vt pote diuinitùs data. Et manna vocatur panis cœli ſeu cœleſtis, quia de cœlo deſcendit. Altera cauſa eſt, quia finis, ad quem data & inſtituta fuerunt iſta ſigna, erat ſpiritualis, nempè vt præſignificarent noſtra Sacramenta. Ita S. Chryſoſtom. & Commentaria quæ adſcribuntur S. Ambroſ.

Ro. 7. v. 14. Pſ. 77. v. 24. S. Chryſ. in hac verba Apoſtoli, & Cõment. quæ extant inter opera S. Ambr.

Secundus locus Scripturæ, quem adferunt Aduerſarij, eſt, quod Apoſtolus dicat, *omnes Patres antiquos bibiſſe ex petra ſpirituali, qui erat Chriſtus*, 1. Cor. 10. v. 4. Ad ſecundũ phraſim Hebraicã, idem eſt bibere de aliquo, quod bibere illud: ergo Pa-

VII.

Vermilius in ep. 1. ad Cor. c. 10. ad v. 4. Calu. & Beza ad eundem c. 4. tres antiqui biberunt ipſum Chriſtum per fidem, idque non minùs verè quàm nos. Ita argumentatur Petrus Vermilius (qui ſe martyrem immeritò appellat) quem ſequuntur Caluinus & Beza: niſi quod hi dicant Apoſtolum affirmare Iudæos bibiſſe petram, hoc eſt, aquam è petra profluentem: aliam nouam introducentes metaphoram (adeò ſunt iſti copioſi in metaphoricis locutionibus excogitandis) videbant enim ipſam petram bibi non poſſe.

VIII. Reſpondeo primò, etiamſi concedamus Iudæos comediſſe & bibiſſe Chriſtum, vt contendunt Aduerſarij, tamen id nihil eſt ad rem. Quia inde non ſequitur eos comediſſe corpus Chriſti, aut bibiſſe eius ſanguinem. Porrò nos hîc diſputamus de manducatione corporis Chriſti & potatione ſanguinis eius, non autem de manducatione aut potatione ſolius Chriſti.

IX. Obſeruanda etenim hîc eſt, vſitata quædam fallacia Caluinianorum, qui vt facilius impugnēt hoc Sacramentum, confundunt frequenter Chriſtum Deum cum Chriſto homine, Chriſtum videlicet cum corpore & ſanguine Chriſti, quæ enim tribuunt ſacræ litteræ Chriſto, Aduerſarij quoties illis libet, hæc eadem adſcribunt corpori & ſanguini eius. Quod nihil aliud eſt, quàm confundere diuinitatem Chriſti, quæ nomine Chriſti ſæpe ſignificatur, cum Chriſti humanitate, quæ corpore & ſanguine conſtat.

X. Ioan. 8. v. pen. Ad Heb. 13. v. 8. Enimuero ſcripturam multa tribuere Chriſto, tanquam vero Deo, quæ corpori & ſanguini eius minimè conueniunt, manifeſtiſsimum eſt, *Ieſum Chriſtum fuiſſe ab æterno, verumquè Deum eſſe, & ſuper omnia benedictum*, aſſerunt Scripturæ: quæ corpori & ſanguini Chriſti ſine blaſphemia affingi

non

non poſſunt: *Chriſtum præſentem eſſe vbicunque ſunt duo vel tres congregati in nomine eius*, teſtantur ſacræ litteræ: at Caluiniani minimè concedent corpus & ſanguinem Chriſti eſſe præſentia in omnibus illis locis. Denique *Chriſtum nobiſcum præſentem eſſe omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*, docet Scriptura ſacra; ſed non admittent Caluiniani hoc corpori & ſanguini Chriſti rectè attribui. Non eſt igitur bona conſequutio, Patres antiqui mãducauerunt aut biberunt Chriſtum: igitur manducârunt eius corpus, & biberunt eius ſanguinem. Quemadmodum neque conſentaneum eſt, ſi Chriſtus fuit re ipſa & loco præſens Iudæis in deſerto, corpus quoque & ſanguinem eius fuiſſe illis, loco & reipſa præſentia: fuit enim Chriſtus illis veriſsimè præſens quatenus Deus, non quatenus homo.

Ad Ro. 9. v. 5. *Matt. 18. v. 20.* *Mat. vlt. v. vlt.*

XI. Neque tamen negamus, quin rectè dici poſsit, quòd Patres illi antiqui veteris Teſtamenti, qui pij & iuſti erant, corpus Chriſti ſpiritualiter comederint, & ſanguinem eius ſpiritualiter biberint per fidem viuam: ita enim ſæpè loquitur ſanctus Auguſtinus. Sed illi longè aliter comederunt & biberunt quàm nos. Illi enim comederunt & biberunt corpus & ſanguinem Chriſti in ſpe, non in re, hoc eſt, vt abſentia & futura: nos autem Chriſti corpus comedimus, & ſanguinem bibimus iam exiſtentia, atque verè, reipſa & loco nobis præſentia, quemadmodum paulò pòſt latiùs explicabimus. Proinde eorum fides non faciebat abſentia præſentia, vt dicunt Aduerſarij, ſed abſentia, vt verè abſentia, fide percipiebant.

XII. Et nihilominus aliter comederunt illi, & biberunt ipſum Chriſtum, aliter corpus Chriſti, & ſanguinem: nam Chriſtum ipſum comederũt per

Digitized by Google

fidem, vt tunc illis præſentem reipſa, & loco. Eos enim Chriſtus vt Deus vbique comitabatur & tuebatur. Id quod etiam ſignificat Apoſtolus cùm dicit, *illos bibiſſe ex petra ſpirituali eos conſequente, quæ erat Chriſtus.* Sed corpus Chriſti & ſanguinem comedebant, & bibebant vt abſentia & futura, non autem vt reipſa præſentia.

ad Cor. 10. v. 4.

XIII. Secundò reſpondeo, etſi verum ſit Iudæos comediſſe & bibiſſe Chriſtum, eiuſque corpus & ſanguinem eo modo, quo iam explicuimus; hoc tamen non eſt illud, quod his verbis ſignificat Apoſtolus. Nam ſi hoc voluiſſet dicere, non affirmaſſet, omnes tã bonos quàm malos, tam fideles quàm infideles comediſſe & bibiſſe; ſed ſolos fideles & pios. Cùm hi ſoli fide & ſpiritualiter comederint & biberint, teſte S. Auguſt. Non enim poterant illi fide comedere, qui nullam habebant fidem.

S. Aug. to. 9. tra. 26. in Euang. S. Ioan.

XIV. Sed neque dicit Apoſtolus abſolutè omnes bibiſſe de petra, vt adfirmant Aduerſarij, ſed omnes bibiſſe eundem potum idque de petra ſpirituali. Et quamuis bibere aliquid, & bibere de aliquo, abſolutè poſita, & ſine vlla adiectione ſint Synonyma, tamen quando vtrumq; ponitur in eadem ſententia, diuerſa eſt vtriuſq; ſignificatio. Quemadmodum & in lingua Latina videre eſt. Verbi gratia, perinde eſt ſiue dixero, bibe hoc vinum, ſiue, bibe ex hoc vino, quando nihil aliud adijcitur. Sed ſi dixero, bibe hoc vinũ è manu mea, iam aliud ſignifico; neque enim ſignifico manum meam eſſe bibẽdam, ſed vinũ de manu mea, hoc eſt, quod manu mea porrigitur, ſeu adminiſtratur

XV. In lingua etiam Hebraica eodem modo res ſe habet. Nam quamuis particula מן *min*, vel littera מ *mem* (id eſt, *de*, *ex*, vel *à*) apud Hebręos, materiali

riali cauſę adiūcta, ſignificet cauſam materialem: tamen quando in eadem ſententia cauſa materialis ſeparatim à particula iſta collocatur, & prætere adijcitur hæc particula alteri vocabulo; illa nunquā denotat cauſam materialem, ſed cauſam efficientem,adminiſtrantem,ſeu adiuuantem.

Hæc exemplis dilucidiora euadent.Cùm dicitur de Noë, וישת מן היין . *vaijeſcht min baijain*, id eſt, *& bibit de vino*. Particula illa מן *min*, materialem cauſam denotat,vinum nempè, cui proximè adiungitur. Sed cùm de Hieruſalem ſcribit Propheta Iſaias: *Bibiſti* מיד *miiad* (id eſt,de manu) *Domini calicem*, non eſt ſenſus quòd Hieruſalem biberit manum Domini, ſed quòd biberit calicem,quem dederat manus Domini. Sic cùm ſcribit Ezechiel: *Bibetis vinum de victima*, non eſt ſenſus quòd bibituri erant ipſam victimam, ſed ſanguinem tātùm, qui flueret è victima. Sic cùm ſcribit Salomon: *Bibe aquam de ciſterna tua*, non iubet bibere ciſternam ipſam,ſed aquam quam adminiſtrat ciſterna. Sic denique cùm ſcribit Moyſes: *Non poterant filij Iſrael bibere aquas de Mara*, non eſt ſenſus, quòd non poterant locum illum bibere, ſed quòd non poterant bibere aquas,quas producebat locus ille.

XVI. *Gen. 9. v. 21.* *Iſa 51. v. 17.* *Ezech. 39. v. 19.* *Prou. 5. v. 15.* *Exod. 15. v. 23.*

Eadem planè loquendi forma vtitur hîc Apoſtolus: nam primò quidem aſsignat materiā huius potationis, potum videlicet ſpiritualem: *Omnes* (inquit) *eundem potum ſpiritualem biberunt*. Et quia poterat aliquis mirari cur potum illum vocaret ſpiritualem, adiungit rationem huius appellationis,quòd nimirum cauſa efficiens illius ſpiritualis: non enim bibebant Iudæi illam aquam de petra illa viſibili,hoc eſt, vi & efficacia illius, ſed de alia inuiſibili, & ſpirituali petra, quæ vera erat

XVII. *1. Cor. 10. v. 4.*

erat cauſa illius aquæ, quæque non tantùm tunc, ſed poſtea ſemper, & vbique conſequebatur & comitabatur eos per deſertum, quæ petra ſpiritualis erat ipſemet Chriſtus Dominus, ratione diuinitatis ſuæ, quem etiam tentauerunt Iudæi in

Ibid. v. 9. deſerto: *Neque tentemus Chriſtum*, (inquit Apoſtolus) *ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt.*

XVIII. Atque hæc eſt etiam expoſitio antiquorum Patrum, qui in iſta Apoſtoli verba commentaria ediderunt, S. Chryſoſtomi, Theodoreti, Theophylacti, Photij, Oecumenij: Itẽ Auctoris Commentariorum, quę extant inter Opera S. Ambroſ. Et ante hos omnes non ſemel hoc modo interpretatur verba iſta S. Athanaſius. Et egregiè S. Gregorius Nyſſenus (S. Baſilij frater germanus) cùm ita ſcribit in libro de Trinitate aduerſus Iudæos, cap. vltimo: *Quoniam dixit S. Paulus, quòd potus eſſet ſpiritualis, nihilquè habebat, quod variaret & immutaretur, quemadmodum Manna: Ex modo ſcaturitionis probat, quòd petus eſſet ſpiritualis. Neque enim propria natura petra aquam emittebat, ſed alia quadam petra ſpiritualis, qui erat Chriſtus, quidquid fiebat efficiebat. Dictio autem, ſubſequente, ſignificat, quòd Chriſtus ſemper vnà adeſſet, & omnia miracula ederet.* Hactenus S. Gregor. Nyſſen.

S. Atha. to. 1. ser. 10. de cõmuni eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus S. c, cuius titulus eſt, Patrẽ & Filiũ, & Spirit. S. ducem fuiſſe Iſraeli. Et ſer. 22. de humana nat. ſuſcepta ab vnigenit. verb. non procul à fine.

Poſtremò ex ipſis Apoſtoli verbis etiam conſtat ipſum nequaquam aſſerere Iudæos petram bibiſſe, ſed ex petra, hoc eſt, vi & virtute petræ bibiſſe. Nam ſi petra propriè ſumatur pro ipſa

XIX. rupe, certum eſt, illam nec bibi potuiſſe, nec populum conſequi. Quòd ſi impropriè ſumatur vox petræ pro aqua, quæ fluxit ex petra illa, vt volunt Aduerſarij, & quam Caluinus & Beza affirmant ſequutam eſſe Iudæos per totum deſertum, iuxtà

Calu. & Beza in hæc verba Apoſt.

Iudæo-

Iudæorum quandam traditionem: poterat quidem ſecundùm hanc interpretationem petra bibi, poterat & Iudæos ſequi per deſertum: ſed illud quod adiungit Apoſtolus, *petra autem erat Chriſtus*, intelligi non poteſt de petra iſta impropriè accepta: aqua enim quæ fluxit è petra, nec erat Chriſtus, nec ſignificabat ipſum Chriſtum, ſed ſignificabat beneficia, quæ ex Chriſto pro nobis percuſſo emanârunt: ex ſententia omnium. Quare non potuit Apoſtolus per petram hîc intelligere aquam, cùm illa nulla ratione poſsit dici Chriſtus, quippè quæ nec Chriſtus erat, nec ipſum Chriſtum ſignificabat, ſed eius tantùm beneficia. Neceſſe eſt igitur vt per petram intelligat Apoſtolus ipſam veriſsimam petram ſpiritualem, nempè ipſum Chriſtum Dei filium, vt docent Patres citati; ſeu Spiritum Chriſti (vt loquitur Photius apud Oecumenium) hoc eſt, Chriſti diuinitatem: de hac enim ſpirituali petra bibebant Iudæi, id eſt, vi & efficacia eius: hæc petra etiam Iudæos vbique per deſertum comitabatur: hæc denique petra erat ipſe Chriſtus.

Ex his ſequitur, quòd germanus & literalis ſenſus illorum verborum, *petra erat Chriſtus*, non ſit iſte, petra ſignificabat Chriſtum, vt putant Aduerſarij, qui ex hoc loco contendunt probare verbum ſubſtantiuum, *eſt*, aliquando vſurpari pro *ſignificat*, vt inde faciliùs perſuadeant ignaris verbũ *eſt* in verbis Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, idem valere quod *ſignificat*. Sed verus ſenſus eſt iſte, petra illa ſpiritualis quę dabat aquam Iudæis, & quæ eos vbique comitabatur, erat ipſemet Chriſtus. Quod benè intellexit antiquus noſter Latinus interpres, qui ob id vocem illam *eos* rectè adiecit, vt ſenſus eſſet clarior. Idem intellexit & Syriacus inter-

XX. *Calu. & Beza Ibid.* *Mat. 26. v. 26.*

interpres, qui ita hæc verba tranſtulit ipſo Tremellio teſte: *Bibebant de petra ſpirituali, quæ ibat cum eis; petra autem illa erat ipſe Chriſtus.*

XXI. Tertius locus Scripturæ quem obijciunt Aduerſarij, eſt iſte: *Ante quorum oculos Ieſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus.* Quartus locus: *Conſedere nos fecit Deus in cœleſtibus in Chriſto Ieſu.* Quintus locus: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite.* Alia etiam huiuſmodi loca adferunt, ex quibus conantur probare, ea quæ fide creduntur, verè & realiter exiſtere. Verùm hæc omnia leuia ſunt argumenta, & in eos retorquenda. Nam nemo rectè dixerit Chriſtum realiter crucifigi, quoties fit cócio de paſsione eius: vel nos iam reipſa eſſe in cœlo, aut reipſa reſurrexiſſe à mortuis. Non poterunt itaque Caluiniani affirmare ſe realiter comedere Chriſtum in ſua cœna, niſi etiam concedant, ſe realiter crucifigere Chriſtum in ſuis concionibus: & ſe realiter reſurrexiſſe à mortuis, & realiter ſedere cũ Chriſto in cœlis ad Dexterã Dei Patris: quæ omnia sũt abſurdiſsima.

Ad Gal. 3. v. 1. *Ad Eph. 2. v. 6.* *Ad Col. 3. v. 1.*

XXII. Quare non eſt neceſſe exiſtentiam illam, quam fides dat rebus quæ credũtur, ſemper eſſe realem, ſed ſatis eſt illam aliquando fuiſſe realem, aut futuram aliquando realem. Quia per fidem credimus non tantùm præſentia, ſed etiam præterita & futura, vt benè ex ipſo ſymbolo Apoſtolorum probat S. Auguſtinus: *Credimus enim Chriſtum mortuum, quod iam præterijt: Credimus ſedere ad dexteram Patris quod nunc eſt: Credimus venturum ad iudicandum, quod futurum eſt.* Ita ſanctus Auguſtinus. Atque hinc eſt quod iuxta Apoſtolum, *fides eſt ſubſtantia ſeu ὑπόστασις rerum ſperandarum.* Illa autem quæ ſperantur nondum exiſtunt, ſed futura exſpectantur, eodem Apoſtolo teſte. Dat itaq; fides rebus

S. Aug. to. 3. in Ench. c. 8.

Ad Ro. 8. v. 24. & 25.

rebus quæ creduntur exiſtentiā mentalem, nempè in animo & cogitatione, ſed non realem. Ha-
ɔebant enim Patres illi antiqui repromiſsiones Dei, fide, & ſpe, & nihilominus *illos omnes defun-* *Ad Heb. 11. v. 13. & 39.*
ɔos eſſe non acceptis repromiſsionibus illis, ſed à longè ·as aſpicientes & ſalutantes, apertè ſcribit Apoſto-
ıus. Mentalem igitur duntaxat exiſtentiam dat ìdes, non realem.

XXIII. Denique ex multis Scripturæ locis ita argu-
nentantur Aduerſarij: Tota Scriptura docet no-
ṫram ſalutem pendere à carne & ſanguine Chri-
ti, atq, à morte eius; ergo Patres antiqui fide ap-
ɪrehenderunt corpus & ſanguinem Chriſti: at fi-
es eſt vera non falſa: verè ergo tunc erant corpus
ꞇ ſanguis Chriſti. Reſpondeo, apprehenderunt
'atres corpus & ſanguinem Chriſti, immò & to-
ım Chriſtum hominem: & fides illorum erat
era, quia illi apprehenderunt Chriſtum homi-
em, non vt præſentem, ſed vt futurum. Expe-
:abant enim Meſsiam venturum, verùm non
·ediderunt illum iam aduenisse. Quòd ſi appre-
endiſſent Chriſtum hominē vt præſentem, cùm
'hriſtus homo nondum reipſa exiſteret, falſa ſi-
: dubio fuiſſet illorum fides; ſicut eſt & illorum
ɔinio, qui credunt ſe iam reipſa eſſe in cœlo,
:m non ſint.

XXIV. Patres quidem percipiebant realiter effectus
rnis & ſanguinis Chriſti, ſed aliud eſt loqui de
'ectibus corporis & ſanguinis Chriſti, aliud de
ſa eorum ſubſtantia. Nam effectus paſsionis &
ɔrtis Chriſti fuerunt à principio mundi in om-
ɔus electis, at nondum paſſus aut mortuus erat
ıriſtus: & iam adhuc effectus paſsionis & mor-
Chriſti vigent in omnibus electis, quamuis
a paſsio & mors prætererierint. Hinc autem non

diſputa-

diſputamus de effectibus corporis & ſanguinis Chriſti, ſed de ipſa ſubſtantia, quam Caluiniani fatentur percipi in cœna Domini per fidem.

XXV. *Cal. l. 4. Inſt. c. 17. Sect. 12.* Similitudines quas adferunt Aduerſarij ſunt iſtæ. Caluinus duas adfert. Prima eſt canalis per quem aqua deriuatur; verùm ſubſtantia ipſa canalis non deſcendit per canalem, ſed ſola aqua: quare iuxta hanc ſimilitudinem ipſa ſubſtantia corporis Chriſti non ſumeretur à nobis, quod Aduerſarij concedunt, ſed tantùm virtus aliqua promanans à corpore Chriſti. Nemo enim bibit ipſam ſubſtantiam canalis, ſed tantùm aquam inde profluentem. Non eſt ergo bona iſta ſimilitudo, etiam ſecundùm ipſorum Aduerſariorum doctrinam.

XXVI. *Cal. ſect. 12. cit.* Secunda ſimilitudo Caluini, eſt ſolis, quem dicit ſuam ſubſtantiam quodammodo ad nos traijcere. Verùm ſol re vera non traijcit ſuam ſubſtantiam ad nos, ſed tantùm lumen & calorem, aut alios effectus. Quare & hæc ſimilitudo eſt par & ſimillima priori.

XXVII. *Ad Eph. 3. v. 17. Ad Ro. 13. v. vlt. Cal. ſect. 12. cit.* Tertia ſimilitudo eſt iuſtificationis. Nam cùm homo iuſtificatur, *Chriſtus dicitur habitare per fidem in corde illius*. Item, *homo dicitur tunc induere Chriſtum per fidem*. Addit Caluinus S. Paulum ad Rom. 8. aſſerere Chriſtum non aliter in nobis, quàm per ſpiritum ſuum habitare. Verùm in hac ſimilitudine bis errant Aduerſarij. Primò, quia confundunt Chriſtum cum corpore ſeu humanitate Chriſti: multa enim attribuuntur Chriſto in Scripturis, *Supr. hoc ipſo c. 5. 9. & 10.* quæ non conueniunt corpori & ſanguini eius, vt ſuprà ex Scripturis oſtendimus. Dicit itaque Scriptura, *Chriſtum habitare in cordibus noſtris per fidem*. Sed nuſquam dicit corpus & ſanguinem Chriſti habitare in cordibus noſtris per fidem. Dicit *nos*

induere

Digitized by Google

induere Chriſtum, ſed non dicit nos induere corpus & ſanguinem Chriſti. Deinde etiamſi diceret hæc fieri per fidem, non inde ſequeretur hæc fieri per ſolam fidem ſine Sacramentis: nam & expreſſè dicit Scriptura de Sacramento Baptiſmi: *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* *Ad Gal. 3. v. 27.*

Porrò Caluinus non tantùm errat, ſed etiã manifeſtè deprauat Scripturam: nam S. Paulus ſolùm dicit *Chriſtum per ſpiritum ſuum habitare in nobis.* ſed non dicit quòd nõ aliter quàm per Spiritum: quare illud, non aliter, eſt additamentum, à Caluino temerè adiectum. *Cal ſeƐ. 1. cit. Ad Ro. 8. v. 9.*

Quarta ſimilitudo eſt Baptiſmi. Verùm de hac infrà agendum erit: nam dum hanc vrgent, varijs modis errant, atq; in hæreſes tam Donatiſtarum, quàm Anabaptiſtarum inſcij delabuntur. XXVIII. *Infrà c. 18 huius Contr. § 6.*

Quinta ſimilitudo eſt illa, quam affert Beza, qui ad hunc modum probat ſubſtãtiam corporis Chriſti poſſe reipſa donari, quãuis illa abſens ſit: *Quid enim obſtat* (ipſiſsima ſunt Bezæ verba) *quò minùs in ordinarijs etiam contractibus tibi in Europa degenti donetur fundus, qui ſit in extrema India, & ita quidem vt rata ſit & efficax donatio.* Ita Beza vt probet carnem Chriſti quamuis abſentem & procul diſtantem, poſſe re ipſa donari, & à nobis percipi. Sed quia in hac ſimilitudine ſe iactat Beza, illi obijcimus ipſum Caluinum ſuũ Magiſtrum, qui non tantùm irridet hanc ſimilitudinem, ſed etiam negat vllum ex ſuis ſectatoribus vti tam abſona ſimilitudine. Is enim in libro, quem edidit anno 1561. contra Tilmannum Heshuſiũ Lutheranum acerbè inuehitur in Heshuſiũ, quòd dixerit Caluinianos vti hac ſimilitudine, Heshuſiumq; ea in re mẽtiri apertè aſſerit. Ita enim ſcribit: *Ipſe* (Heſhuſius nimirum) *tanquam epilepticus, collecta mente,* XXIX. *Beza ep. 5 ad Alamannũ Lugdun. Eccleſ. turbator. ſub fin. Cal. in l. cuius Titulus eſt, Dilucida explicatio ſacræ doctrinæ de vera particip. carnis & ſanguinis Chriſti*

in ſacra cœna, ad diſcutiendas Heshuſij nebulas: habentur hæc verba Cal. p. 845. inter tract. Theolog. Cal. Geneuæ edi. an. 1611.

nouam actionem intentat de abſentia: quia nihilo plus valeat donatio, de qua loquimur, quàm ſi cui donetur ager, qui ab eo remotus ſit. Itane incomparabilem Spiritus ſancti virtutem æquare audeat rebus mortuis, vt tantundem valeat prouentum ex agro colligere, ac filio Dei vniri, vt ex carne & ſanguine eius vita ad animas noſtras perueniat? Saltem hac in parte nimiùm ruſticus eſt Agricola. Adde quòd mentitur nos verba Christi exponere de iure rei abſentis, cùm ſatis ſuperq; notum ſit abſentiam nos reſtringere ad locum & aſpectum. Ita Caluinus. Hæc Bezam latere non debuerunt, qui quinque poſt annis dedit illam Epiſtolam ad Alamannum, hoc eſt, anno 1566. 20. Iunij. Et meritò ſanè ridet Caluinus hanc ſimilitudinem Bezæ: Nam donatio agri abſentis, nec agrum ex India in Europam adducit, nec illum præſentem exhibet, ſed tantùm dat ius ſeu dominium in agrum, ſecundùm ſuam ſubſtantiam abſentem: quod ius eſt ſolùm ens morale & accidens, non ipſa agri ſubſtantia. Quemadmodum in prima iuſtificatione homo accipit ius ad vitam æternam, ſed non accipit ipſam vitam æternam: hanc enim nemo conſequitur ante mortem.

XXX. *Beza 3. vol. tra. Theol. tr. 1. quæ eſt 3. Reſp. ad Claudium de Sainctes ad c. 9. p. 36 edit. an. 1582. 1. ad Cor. 7. v. 4.*

Eodem ſpectat & ſimilitudo illa, quam Beza alibi adducit de Matrimonij contractu, qui poteſt fieri inter abſentes. Nam per hunc contractum vnus contrahentium non fit præſens alteri, ſecundùm ſubſtantiam, aut reipſa, ſed tantùm mente & cogitatione. Illud porrò quod per contractum Matrimonij ſibi mutuò conferunt coniuges, eſt ius, ſeu poteſtas ſuorum corporum, Apoſtolo teſte, qui ait: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* At verò quando conſum-

conſummatur & perficitur Matrimonium, ita vt ex duobus fiat vna caro, tunc realis & localis præſentia vtriuſque coniugis eſt neceſſaria. Apoſtolus autem comparat coniunctionem Chriſti nobiſcum, cum Matrimonio perfecto & conſummato, quo coniuges efficiuntur vna caro: *Erunt* (inquit) *duo in carne vna: Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Eſt igitur realis & localis coniunctio Chriſti nobiſcum, ſine qua nullatenus efficiemur reipſa vna caro cum ipſo. *Ad Eph. 5. v. 31. & 32.*

Verùm quòd citato loco contra Heshuſium addit Caluinus ſe reſtringere abſentiam illam corporis Chriſti, quã ponit, *ad locum & aſpectum*, fraude non caret. Enimuerò quod ad aſpectum attinet, nulla eſt inter nos controuerſia: Deus enim & Spiritus ſanctus & anima ipſa hominis, immò & aër veriſsimè ſunt præſentia, quamuis ſub aſpectum non cadant. Verùm in eo quod de loco aſſerit, multùm fallitur. Nam vera & realis præſentia neceſſariò exigit localem præſentiam, nempè vt ea quæ ſibi præſentia ſunt, in eodem loco exiſtant: ſi non Phyſico & Ariſtotelico (cuius capaces propriè nõ ſunt res ſpirituales) ſaltẽ Metaphyſico, qui & , *vbi*, à Philoſophis nominatur, hoc eſt, neceſſe omninò eſt, vt res alteri præſens, ibi ſit, vbi eſt alia: nam quæ ibidem non eſt, ſed procul diſtat, etſi mente & cogitatione præſens dici poſsit, tamen reipſa præſens non eſt: vt ſuprà multis rationibus oſtendimus. XXXI. *Cap. 5. & 6.*

Ex his ſatis conſtat omnia Aduerſariorum argumenta & ſimilitudines ampliùs confirmare noſtram Doctrinam, videlicet ea, quæ ſola fide exiſtunt, non exiſtere verè & realiter, ſed ſola cogitatione: & ex conſequenti corpus illud Chriſti, XXXII.

in ſacra cœna, ad diſcutiendas Heshuſij nebulas: habentur hæc verba Cal. p.845. inter tract. Theolog. Cal. Geneuæ edi. an. 1611.

nouam actionem intentat de abſentia: quia nihilo plus valeat donatio, de qua loquimur, quàm ſi cui donetur ager, qui ab eo remotus ſit. Itane incomparabilem Spiritus ſancti virtutem æquare audeat rebus mortuis, vt tantundem valeat prouentum ex agro colligere, ac filio Dei vniri, vt ex carne & ſanguine eius vita ad animas noſtras perueniat? Saltem hac in parte nimiùm ruſticus eſt Agricola. Adde quòd mentitur nos verba Chriſti exponere de iure rei abſentis, cùm ſatis ſuperq; notum ſit abſentiam nos reſtringere ad locum & aſpectum. Ita Caluinus. Hæc Bezam latere non debuerunt, qui quinque poſt annis dedit illam Epiſtolam ad Alamannum, hoc eſt, anno 1566. 20. Iunij. Et meritò ſanè ridet Caluinus hanc ſimilitudinem Bezæ: Nam donatio agri abſentis, nec agrum ex India in Europam adducit, nec illum præſentem exhibet, ſed tantùm dat ius ſeu dominium in agrum, ſecundùm ſuam ſubſtantiam abſentem: quod ius eſt ſolùm ens morale & accidens, non ipſa agri ſubſtantia. Quemadmodum in prima iuſtificatione homo accipit ius ad vitam æternam, ſed non accipit ipſam vitam æternam: hanc enim nemo conſequitur ante mortem.

XXX.

Beza 3. vol. tra. Theol. tr. 1. quæ eſt 3. Reſp. ad Claudium de Sainctes ad c. 9. p. 36 edit. an. 1582. 1. ad Cor. 7. v. 4.

Eodem ſpectat & ſimilitudo illa, quam Beza alibi adducit de Matrimonij contractu, qui poteſt fieri inter abſentes. Nam per hunc contractum vnus contrahentium non fit præſens alteri, ſecundùm ſubſtantiam, aut reipſa, ſed tantùm mente & cogitatione. Illud porrò quod per contractum Matrimonij ſibi mutuò conferunt coniuges, eſt ius, ſeu poteſtas ſuorum corporum, Apoſtolo teſte, qui ait: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* At verò quando conſum-

conſummatur & perficitur Matrimonium, ita vt ex duobus fiat vna caro, tunc realis & localis præſentia vtriuſque coniugis eſt neceſſaria. Apoſtolus autem comparat coniunctionem Chriſti nobiſcum, cum Matrimonio perfecto & conſummato, quo coniuges efficiuntur vna caro: *Erunt* (inquit) *duo in carne vna: Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Eſt igitur realis & localis coniunctio Chriſti nobiſcum, ſine qua nullatenus efficiemur reipſa vna caro cum ipſo. *Ad Eph. 5. v. 31. & 32.*

XXXI. Verùm quòd citato loco contra Heshuſium addit Caluinus ſe reſtringere abſentiam illam corporis Chriſti, quā ponit, *ad locum & aſpectum*, fraude non caret. Enimuerò quod ad aſpectum attinet, nulla eſt inter nos controuerſia: Deus enim & Spiritus ſanctus & anima ipſa hominis, immò & aër veriſsimè ſunt præſentia, quamuis ſub aſpectum non cadant. Verùm in eo quod de loco aſſerit, multùm fallitur. Nam vera & realis præſentia neceſſariò exigit localem præſentiam, nempè vt ea quæ ſibi præſentia ſunt, in eodem loco exiſtant: ſi non Phyſico & Ariſtotelico (cuius capaces propriè nō ſunt res ſpirituales) ſaltē Metaphyſico, qui &, *vbi*, à Philoſophis nominatur, hoc eſt, neceſſe omninò eſt, vt res alteri præſens, ibi ſit, vbi eſt alia: nam quæ ibidem non eſt, ſed procul diſtat, etſi mente & cogitatione præſens dici poſsit, tamen reipſa præſens non eſt: vt ſuprà multis rationibus oſtendimus. *Cap. 5. & 6.*

XXXII. Ex his ſatis conſtat omnia Aduerſariorum argumenta & ſimilitudines ampliùs confirmare noſtram Doctrinam, videlicet ea, quæ ſola fide exiſtunt, non exiſtere verè & realiter, ſed ſola cogitatione: & ex conſequenti corpus illud Chriſti,

Digitized by Google

quod Aduerſarij ſola fide accipiunt, non eſſe verum & reale Chriſti corpus, ſed inane illius ſimulachrum.

XXXIII. Poſtremò hoc obſeruãdum eſt, quòd dicamus fictitium & inane eſſe corpus illud Chriſti, quod Caluiniani percipiunt, non quòd Chriſtus verum corpus non habeat: aut quòd verè non poſſit corpus Chriſti mente concipi, vt nobis præſens. Sed inane & fictitium vocamus corpus, quod Caluiniani per fidem ſuam recipiunt, quoniam ipſi falsò ſibi perſuadent, per hanc imaginationem re ipſa fieri, vt corpus Chriſti verè & realiter ſit illis præſens: qua in re multùm decipiuntur & falluntur, non quidem ratione ſolius cogitationis (quæ etiam eſt in pijs) ſed propter iudicium falſum adiunctum: iudicant enim id verè eſſe præſens, quod verè præſens non eſt, ſed abſens. Proinde falſa eſt iſta illorum imaginatio; falſa quoque & fallax illorum perſuaſio & fides. Porrò eiuſmodi falſum iudicium eſſe in omnibus Caluini ſectatoribus, perſpicuum eſt: & ob hanc cauſam illorum hanc fidem & perſuaſionem meritò aſſerimus eſſe fallacem, immò & perniciosam: corpus etiam illud, quod ſibi fingunt tanquam re ipſa præſens, cùm ſit re ipſa abſens, imaginarium eſſe, & inane corporis Chriſti ſimulachrum iure affirmamus.

XXXIV. Quemadmodum enim pium eſt, & ſanctum de myſterijs Incarnationis, Natiuitatis, & Paſsionis Chriſti ſeriò cogitare, & vt præſentia mente intueri: verùm ſi quis adeò ineptus eſſet, vt ſibi certiſsimè perſuaderet Chriſtum re ipſa incarnari, re ipſa naſci, re ipſa mori, quoties ipſe hæc apud ſe meditaretur, digniſsimus eſſet, qui ab omnibus iudicaretur impius, aut certè malè ſanus.

Ita

Ita in Caluinianis non reprehendimus, quòd de Chriſti corpore & ſanguine cogitent: ſed quòd ſibi certò perſuadeant, ſe hac ipſa cogitatione efficere, vt res, de quibus cogitant, eo ipſo realiter ſint præſentes, & reipſa exhibeantur, atque ſumantur.

CAPVT VIII.

Verba illa Chriſti, Hoc eſt corpus meum, *propriè eſſe accipienda.*

VIdent Aduerſarij ſatis clarè, quòd verba illa Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, vſurpata in propria ſignificatione, manifeſtè conuincant realem præſentiam corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ: imò & tranſſubſtantiationem panis in corpus Chriſti. Id quod diſertis etiam verbis fatentur Caluiniani, cùm diſputant contra Lutheranos, quemadmodum infrà oſtendimus in controuerſia de Tranſſubſtantiatione. Atqui hæc cauſa eſt, cur pertinaciſsimè contendant Caluiniani, Zuingliani, Anabaptiſtæ, Antitrinitarij, verba illa Chriſti impropriè & figuratè eſſe intelligenda: quamuis diuerſi diuerſos tropos & figuras excogitēt. At Lutherani omnes nobiſcū ſentiunt verba hæc propriè eſſe intelligenda: ſeu (vt ipſi loquuntur) retinendum omninò eſſe τὸ ἐστί in his verbis Chriſti. Porrò verba iſta Chriſti propriè eſſe intelligēda, ſequētibus argumentis probamus. Hæc autē argumenta ſunt duplicia. Quædam faciunt contra omnes planè ſectarios huius ſæculi, qui negant verba iſta Chriſti eſſe propriè intelligenda, ſiue illi ſint Zuingliani, ſiue Anabaptiſtæ, ſiue Anti-trinitarij, ſiue noui

I. *Matt. 26. v. 26.*

Arriani,ſiue Caluiniani, ſiue cuiuſuis alterius ſectæ. Alia ſunt quæ faciunt contra Caluinianos duntaxat: Nam colliguntur ex illis quæ ipſi agnoſcunt eſſe veriſsima. Primi generis ſunt tria priora argumenta,cætera ſunt ſecundi generis.

II. Primum argumentum deſumitur ex generali quodam fidei principio. Nam nunquam credendum eſt à proprio ſenſu verborum ſacræ Scripturæ,niſi alio clariori fidei articulo illud manifeſtè probetur:ſed non poſſunt Aduerſarij probare ex vllo fidei articulo recedendum eſſe hîc à ſenſu literali & proprio;non eſt igitur vlla ratione ab eo recedendum. Propoſitio eſt manifeſta. Nam alioqui nihil vnquam poterit ex Scripturis certò, & firmè concludi. Immò omnia prorſus quæ ſunt in Scripturis, incerta reddentur: quia quidquid tandem proferetur, à vero ſenſu ad improprium & contrarium trahi poterit.

III. Et valdè obſeruandum eſt hoc fidei tam neceſſarium dogma propter ſectarios huius ætatis. Enimuerò quando apertiſsima Scripturæ verba adducimus, quibus Catholica doctrina confirmatur, aut contraria refutatur: ſolent illicò Aduerſarij confugere ad improprias & figuratas vocum & ſententiarum vſurpationes, & deinde à nobis exigere, vt probemus propriam acceptionem vocum & ſententiarum ſacræ Scripturæ: cùm ipſi potiùs vrgendi ſint, vt probent ſuas improprias vſurpationes, idque ex ipſa Scriptura, aut aliquo alio fidei principio. Indigniſsimum enim facinus eſt propria & aperta Dei verba reijcere, & in eorum locum alia impropria, & obſcura ſubſtituere atque ſupponere,ſine vllo firmo teſtimonio Dei: hac enim ratione periclitabitur tota fides,cùm illa nonniſi vero,proprio, & perſpicuo

ſpicuo Dei verbo nitatur. Eſt igitur veriſsima propoſitio. Aſſumptionem verò probamus toto ſequenti capite: Nam in eo demonſtramus, non tantùm friuola eſſe argumenta, quibus Aduerſarij conantur probare hæc Chriſti verba eſſe figuratè intelligenda, ſed etiam illa ampliùs confirmare propriam horum verborum acceptionem.

IV. Secundum argumentum deſumitur ex ipſa natura & ratione Sacramentorum, noui præſertim Teſtamenti. Niſi Chriſtus vſus fuiſſet clara, aperta, & propria locutione, in prima inſtitutione huius Sacramenti, nihil certum aut firmum haberemus in Scriptura de Inſtitutione & natura Sacramenti Euchariſtiæ, hoc autem planè abſurdum eſſe manifeſtum eſt. Propoſitionem ita probamus. Res noua & hactenus inaudita (cuiuſmodi eſt hoc Sacramentum) apertis verbis commendari debebat, alioqui nemo eam intellexiſſet. Res myſtica & quæ ſola fide percipitur, debebat clarè proponi omnibus fidelibus, alioqui fides aut certa cognitio illius gigni nequaquam potuiſſet. Res tanti momenti, nempè in qua nemo ſine periculo æternæ ſalutis errare poterat, debebat proprijs & perſpicuis verbis declarari, alioqui multis fuiſſet erroris & damnationis cauſa. Denique ex impropria & figurata locutione nihil certi colligi poteſt (niſi ipſa Scriptura alibi proprijs & apertis verbis nobis explicet huiuſmodi impropriam locutionem, quod hîc factum eſſe numquam oſtendent Aduerſarij) nam ſi ſemel reijciamus propriam verborum acceptionem, infinitæ excogitari poterunt impropriæ vocum vſurpationes. Id quod ipſa experientia perſpicuè docet in aduerſarijs: etenim ex quo reiecerunt propriũ &

literalem ſenſum horum Chriſti verborum, *Hoc eſt corpus meum*, ortæ ſunt inter illos plurimæ & contrariæ eorundẽ verborum expoſitiones, quas recenſent Bellarminus, & Coccius: Item Claudius de Sainctes, qui ex ipſorum ſcriptis collegit ad octoginta quatuor, in prima repetitione de Euchar. cap. vltimo.

Bellar. l. 1 de Euchar. c 8. Coccius To 1 l. 8. art. 7 c. 5.

V. Hoc argumentum adeò eſt efficax, vt coëgerit Bezam fateri hanc locutionem Chriſti eſſe propriã & non figuratam. Verùm vt hoc tueatur & à vetere ſua doctrina non recedat, cogitur fateri has locutiones, *Panis eſt corpus Chriſti, Vinum eſt ſanguis Chriſti*, eſſe non tantùm veras, ſed etiam proprias, planas, & perſpicuas, non autem figuratas. Id quod eſt non tantùm cõtrà expreſſam Doctrinam præceptoris eius Caluini, qui hanc vocat *intolerabilem blaſphemiam*: ſed etiam contrà omnem rectam rationem, quemadmodum ex inſtituto probabimus in controuerſia de Tranſſubſtantiatione. Interea ſatis eſt hîc obſeruaſſe, quòd ille qui affirmat has locutiones, *Panis eſt corpus Chriſti, Vinum eſt ſanguis Chriſti*, eſſe proprias, planas, & veras: neceſſariò debeat fateri nullam eſſe locutionem tam impropriam aut abſurdam, quæ non ſit propria, plana, & vera: Nam ſi verum eſt, panem eſſe corpus Chriſti, & vinum eſſe ſanguinẽ Chriſti, verum erit panem eſſe Chriſtum, panem eſſe Deum: ſimiliter vinum eſſe Chriſtum, vinum eſſe Deum: habebit ergo Beza duos recentes, veros, & proprios Chriſtos, duos recẽtes, veros, & proprios Deos, panẽ videlicet & vinum. Certè pugnat hæc Bezæ noua doctrina cum communi illo Philoſophorum Axiomate: *Diſparatum de diſparato verè & propriè dici non poſſe*. Et quid magis abſonum dici poteſt, quàm beſtiã verè & propriè eſſe homi-

Beza vol. 3. tr. Theolog. tr. 1. in 3. reſponſ. ad 1. Repetitionẽ Claudij de Sainctes ad c. 3 p 4. & 5. edition. an. 1582. Cal. l 4. Inſt c. 17. ſect. 20.

hominem, & hominem verè & propriè eſſe beſtiam, lignum, lapidem, &c. Debuiſſet ſaltem Beza meminiſſe illius, quod alibi ſcripſit in quæſtionibus ſuis Theologicis 2. parte quæſtionum quæſt. 207. *Hæc eſt diſparatorum natura vt cùm toto genere diſſideant, vnum de altero dici propriè nulla ratione poſſit.* Et paulò poſt: *Itaque ſi propriè accipias hanc enunciationem: non minus falſum fuerit panem eſſe corpus Chriſti, quam cucurbitam eſſe hominem.* Hactenus Beza.

VI. Tertium argumentum deſumitur ex natura teſtamenti. Chriſtus enim in nouiſsima cœna fecit nouum teſtamentum, ſuiſque filijs & hæredibus bona ſua legauit, illudque ſuo ſanguine ſancitum, morte tandem confirmauit: Perſpicua enim ſunt illa Chriſti verba: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti.* Et iterum: *Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Id quod etiam infrà in Contro. de Sacrificio Miſſæ vberiùs probabimus. At quicunque rectè & prudenter condit teſtamentum, claris, perſpicuis atque proprijs vtitur locutionibus, non autem ambiguis, aut figuratis: præſertim verò illis, quæ tollunt totam legatorum æſtimationem & naturam. Certè ſi quis alicui ex Aduerſarijs teſtamento relinqueret vel ouiculam vnam, non exiſtimaret ille ſibi ſatis fieri, ſi executor teſtamenti imaginem aut figuram duntaxat ouiculæ ei donaret (vt Chriſtum feciſſe contendunt Zuingliani, Anti-trinitarij, & Anabaptiſtæ) ſed neque ſi etiam præter imaginem ouiculæ iuberet executor teſtamenti legatarium ſibi animo fingere ſimulachrum ouiculæ, illudque fide certiſsima vt veram ouiculam apprehendere: quemadmodũ Chriſtum feciſſe contendunt Caluiniani. Satis enim diſceret ipſa experientia Aduerſarius ille,

Matt. 26. v. 28.
1. Cor. 11. v. 25.

cuiuſcunque tandem eſſet ſectæ, aliud eſſe rem ipſam legare & accipere, aliud illius imaginem aut ſimulachrum animo effictum.

VII. Hvc etiam ſpectat, quòd abſonum valde ſit aſſeuerare Chriſtum aliud legatum ſuis filijs teſtamento non legaſſe quàm figuram aut ſignum corporis & ſanguinis ſui, vt volũt Zuingliani: donũ nempè Dei filio planè indignũ, & quod quiuis homuncio poſſet ſuo amico relinquere. Agnoſcunt quidem hoc abſurdum Caluiniani, qui propterea fatentur Chriſtum dediſſe cum ſignis viſibilibus corpus & ſanguinem ſuũ. Sed & ipſi Caluiniani non minus errant quàm alij, quos illi condemnant, vt ſubuerſores teſtamenti Chriſti: nam Caluiniani per corpus & ſanguinem Chriſti, non verum & reale corpus, ſed ideam quandam corporis in animo effictam reuera intelligunt, quemadmodum iam oſtendimus.

Supr. c. 5. & 6.

VIII. Qvartvm argumentum quod contra Caluinianos ſaltem eſt efficax. Caluiniani enim fatẽtur, hoc Sacramentum eſſe ſignum præſentis corporis Chriſti, non abſentis: ſed illi nunquam poterunt ex his verbis Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, iſtud firmè probare contra Anabaptiſtas, & alios, qui dicunt hoc Sacramentum eſſe ſignum abſentis corporis, non pręſentis, niſi primò ſtatuerint verba hæc Chriſti eſſe propriè accipienda. Si enim ſenſus horum verborum ſit iſte, Panis eſt figura aut ſignum corporis Chriſti, nemo poterit hinc certò colligere, quòd panis ſit potius ſignum præſentis corporis, quàm abſentis: quia multa sũt ſigna etiam Sacramentalia rerum abſentium: pręteritarum nempè aut futurarum. Sacrificia namque antiquæ legis præſignificabant futuram Chriſti mortem: & noſtrum hoc Sacramentum ſignificat

Calu. lib. 4. Inſt. c. 17. ſec 10.

ficat Chriſti mortem præteritam, vt dicit Apoſtolus. Neceſſe erit igitur, vt Caluiniani vel concedant hæc verba propriè accipi, vel certè amplectantur Anabaptiſtarum & Anti-trinitariorum hæreſim, quam apertè damnant. 1. Cor. 11. v. 26.

IX.

QVINTVM argumentum. Caluiniani vbique docent contra Anabaptiſtas Chriſtum in cœna non dediſſe ſigna duntaxat panis & vini, ſed etiam verum ſuum corpus & ſanguinem: immò illos qui affirmant Chriſtum dediſſe ſigna duntaxat panis & vini, *arguere Chriſtum mendacij, atque etiam Deum ipſum fallacem vocare*. Sed niſi verba iſta Chriſti propriè ſumantur, nunquam poterit vllus ex illis conuincere Chriſtum dediſſe verum ſuum corpus & ſanguinem vnà cum ſignis viſibilibus. Nam, verbi cauſa, ſi quis demonſtrando imaginẽ Regis Galliæ, dicat alicui; Accipe, hęc eſt imago Regis Gallię, aut etiã dixerit impropriè & figuratè loquendo: Accipe, hoc eſt Rex Galliæ, porrigendo imaginẽ, nemo ſanæ mentis dicet, talẽ his verbis dare aut exhibere ipsũmet Regẽ aut aliũ reipſa accipere ipſum Regẽ. Si igitur Chriſtus aliud non dixit quàm figuratè loquendo, *hoc eſt corpus meum*, id eſt, ſignum corporis mei, re vera nõ poteſt ex his verbis colligi, quòd Chriſtus exhibuerit ipſum ſuũ corpus, ſed dũtaxat quòd dederit ſignũ ſui corporis. Quare neceſſe eſt, vt Caluiniani vel labantur in hæreſim Anabaptiſtarum (horrendam blaſphemiam teſte Beza) vel certè fateantur nobiſcum verba iſta Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, propriè & non figuratè eſſe intelligẽda. *Ita Beza Epi. 5. & Calu. l. 4. Inſt. c. 17. Sect. 10.* *Beza Ep. 5. Matt. 26. v. 26.*

X.

Ex his etiam conſtat veriſsimũ illud eſſe quod habet Concilium Tridentinum: *Indigniſſimum flagitium eſſe hæc verba Chriſti apertiſſima à quibuſdam contentioſis & prauis hominibus ad fictitios & ima-* *Concil. Trid. ſeſ. 13. c. 1.*

& imaginarios tropos, quibus veritas carnis & ſanguinis Chriſti negatur, contra vniuerſum Eccleſia ſenſum detorqueri. Nam non eſt vllum flagitiũ magis indignum, quàm aperta Dei verba ſine vllo firmo teſtimonio verbi Dei ad improprios ſenſus detorquere: quàm totam inſtitutionem huius Sacramenti incertam & dubiam reddere: quibus Chriſti filij Dei teſtamentum, eius ſanguine ſancitum & morte confirmatum, abrogare: quàm nos pretioſiſsimis illis donis Chriſti, ipſo nempè corpore & ſanguine eius, omninò ſpoliare: quàm ipſum denique Deum mendacem, fallacem, atque impoſtorem efficere. Et hæc quidem omnia facere Anabaptiſtas, cæteroſque eorum ſocios (qui negant Chriſtum in cœna dediſſe, & adhuc nobis dare verum corpus & ſanguinem ſuum cum ſignis viſibilibus panis & vini) inficiari non poſſunt ipſimet Caluiniani: & apertiſsimè Beza hoc profitetur.

XI. NAM cùm Alamannus quidam (qui aliquando ad Geneuenſes transfugerat, ſed poſtea nouas hæreſes ad Lugduni ſparſit) in Epiſt. ad Bezam data ſcripſiſſet inter ipſum & Bezam conſtare *Chriſtum in cœna non reale, neque verum corpus ſuum, ſed panem duntaxat & vinum dediſſe diſcipulis*, ita ad hæc, reſpondet Beza, *Ego verò reſpondeo, perinde hoc eſſe atque Chriſtum mendacij arguere, vt qui claris & perſpicuis verbis dicat ſe illud ipſum corpus dare quod traditum eſt pro nobis, & illum ipſum ſanguinem pro nobis effuſum. Deinde quis vnquam niſi purus putus Anabaptiſta docuit Chriſtum dediſſe ſolum modò panem & vinum Diſcipulis? Abſit igitur, abſit, vt in iſtis tam horrendis blaſphemijs tibi aſſentiar.* Hactenus Beza, qui apertè agnoſcit Chriſtum claris & perſpicuis verbis affirmare, ſe illud ipſum corpus dare; quod

Beza Ep. 5. Alamanno Lugdunẽſis Eccleſiæ turbatori, quæ ſcripta eſt an. 1566. 2. Iunij.

re, quod traditum eſt pro nobis: quod ſanè fieri non potuiſſet, niſi verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, propriè, & non figuratè vſurpata à Chriſto fuiſſent. Agnoſcit etiam Beza illos Chriſtum arguere mendacij, qui negant illum dediſſe corpus & ſanguinem ſuum diſcipulis. Porrò nec Caluinus, nec Beza, nec vllus alius Caluinianus, poterit ſe vnquam ſatis purgare de flagitijs & blaſphemijs iam allatis, quæ meritiſsimo in Anabaptiſtis eorumque ſocijs acerbè reprehendunt omnes Caluiniani. Nam non aliud reſpondere poterit vllus ex Caluini diſcipulis, niſi ſuos docere per fidem dari & accipi verum Chriſti corpus, & ſanguinem: quę friuola planè eſt excuſatio, cùm fide ſola non detur aut percipiatur verum Chriſti corpus aut ſanguis, ſed illius inane tantummodo ſimulachrum (quod nec Anabaptiſtæ, nec Anti-trinitarij vnquam negabunt) vt iam ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Vbi etiam oſtendimus Caluinianos longè inſolentiùs peruertere verba Chriſti, *hoc eſt corpus meum* quàm Anabaptiſtas, aut Anti-trinitarios, quos illi damnant.

Sup. hac Controuerſia c. 5. & 6. Supra c. 5. §. 19. & ſeq. Matth. 26. v. 26.

CAPVT IX.

Soluuntur argumenta, quibus Aduerſarij conantur probare verba inſtitutionis Euchariſtiæ eſſe impropriè intelligenda.

PRIMVM argumentum, quo Aduerſarij conantur probare verba illa Chriſti, *hoc eſt corpus meum*; eſſe figurata & non propria, eſt huiuſmodi. Non omnia quæ in Scripturis habentur ad li- I.

Matth. 26. v. 26.

ad literam ſunt intelligenda, ſed multa figuratè: vt quando de Deo dicitur, quod habeat oculos, manus, digitos, &c. Atque hîc coaceruant Aduerſarij plurimas improprias & figuraats Scripturarũ locutiones. Sed ad hęc omnia facilis eſt reſpõſio neque enim adeò ſumus rudes & ignari Scripturarum, vt ignoremus Scripturas non rarò vti figuratis locutionibus. Verùm non eſt inter nos cõtrouerſia an Scriptura vſpiam vtatur improprijs locutionibus, ſed an hoc in loco illis vtatur. Probare igitur deberent Aduerſarij, quòd hoc in loco Scriptura vtatur impropria locutione. Neque enim conſequens eſt, vt ſi Scriptura alicubi vtatur figurata locutione, illam vbique vti figurata. Alioqui & nos potiori iure vti poſſemus ſimili argumento, ad hunc modum. Scriptura frequenter vtitur proprijs locutionibus, imò longè etiam frequentiùs quàm improprijs, igitur hoc etiam in loco vtitur propria, non impropria locutione. Sed ſcimus huiuſmodi argumenta, ex ſimilibus locis, aut exemplis deſumpta, eſſe valdè infirma.

Eodem ſpectat & illud aliud, quod obijcere
II. ſolent: verbum, *eſt*, in Scripturis non rarò vſurpari pro *ſignificat*. Non enim eſt quæſtio quid alibi ſignificet verbum, *eſt*, ſed quid ſignificet hoc in loco. Et ſi exemplis hic agendum eſſet, non dubium eſt, quin penes nos futura eſſet victoria. Enimuero in Scripturis multo frequentiùs ſumitur verbũ *eſt* in propria ſua ſignificatione, quã in alia impropria. Vt interea omittamus exempla quibus Aduerſarij conãtur probare verbũ *eſt* idẽ valere quod *ſignificat*, vel nuſquã in Scripturis extare, vel certè nihil cõuincere. Nã reuera verbũ *eſt* vbique

vbiq; propriè ſumitur: tropus autē eſt ſemper vel in ſubiecto, vel in attributo, vt euidenter probāt & prolixè Claudius de Sainctes, Maldonatus, & Bellarminus, quos qui voluerit, cōſulere poterit. *Claud. de Sainctes Repet. 3. de Sacr. Euch. c. 2. Maldō. in c. 26. Matthæi ad verbū* Est. *Bellar. l. 1 de Euc. c. 10. & 11*

III. Vnvm tamen hic animaduerſione digniſsimum eſt; certitudinem omnem & firmitatem fidei noſtræ pendere ex vero ſenſu verbi Dei: hunc autem verum ſenſum à falſo internoſci non poſſe niſi certiſsimè intelligamus, vbi Scriptura propriè loquatur, & vbi impropriè: qui enim propriā locutionē impropriam exiſtimat, aut contrà impropriam propriam, multùm fallatur neceſſe eſt, vt rectè monet S. Auguſtinus. Porrò nullū eſſe hominem priuatū, qui certò & ſine vllo errore definire & declarare poſsit, quibuſnā in locis vtatur Scriptura proprijs locutionibus & quibuſnam improprijs (cum nemo priuatus inueniatur, qui decipi & decipere aliquando non poſsit) neceſſarium proinde eſſe, vt ſi velimus ſine vllo errore intelligere, vbi Scriptura vtatur propria locutione, & vbi impropria, ad iudicium vniuerſalis Eccleſiæ recurramus. Hæc enim nec fallere, nec falli poteſt, cum ſit *Columna & firmamentum veritatis*, teſte Apoſtolo. Quæ omnia alibi vberiùs explicuimus. *S. Aug. To. 3. l. 3. de Doct. Christiana c. 10.* *1 Timo 3. v 15.* *Tom. 1. Cont. 1. c. 4. & Cont. 2. c. 7.*

IV. Secvndvm argumentum. Sacramentalis eſt hæc locutio, nam Sacramentum inſtituebat Chriſtus. Reſpondeo, Sacramentalis eſt locutio, ſed vera, propria, & perſpicua. Inſtituebat quidem Chriſtus Sacramentum: ſed noui teſtamenti, cui ſemper eſt coniuncta veritas per ſignum repręsētata: vt agnoſcit ipſe Caluinus omneſque eius ſectatores: Fuit itaque Sacramentalis & myſtica hęc locutio, *hoc eſt corpus meum*, quia rem myſticam ſignificabat, nempè illam, quæ nullo ſenſu aut humana *Calu lib. 4. Inſt. c. 17 Sect. 10.* *Mat. 26. v. 26.*

mana ratione, ſed ſola fide percipi poterat. Sed quia vera etiam erat iſta locutio, debebat quoque verè adeſſe res illa, quæ verbis ſignificabatur. Neque enim debet Sacramentalis locutio adeò eſſe myſtica, vt etiam ſit falſa, ambigua, aut incerta. Eiuſmodi enim ſunt fallacia Magorum & Dæmonum reſponſa. At Dei myſteria, dilucidis, claris & proprijs verbis explicantur, ne quis in rebus nouis & hactenus incognitis fallatur. Quemadmodum Sacramentalis fuit & illa Dei Patris locutio, *Hic eſt filius meus dilectus*, magnum enim
Matth.3. v vlt. fuit Sacramentum, quòd *Deus manifeſtatus fuit in carne*, vt ſcribit Apoſtolus. Erat nihilominus lo-
1. ad Ti-3. v. vlt. cutio illa vera, propria & perſpicua: demonſtrabat etiam rem verè præſentem, non abſentem alioqui falſa fuiſſet, non vera.

V. SED in eo errant Aduerſarij, quòd exiſtimant non aliam eſſe Sacramentalem locutionem, quàm impropriam illam & figuratam, in qua ſigno tribuitur nomen ſignati; quod planè eſt abſurdũ. Sacramentalis enim locutio illa eſt, quæ rem occultam, ſecretam & myſticam ſignificat, etiamſi verbis proprijs & perſpicuis eam ſignificet. Sacramentalis namque locutio eſt: *Baptizate omnes gen-*
Mat. vl. v. 19. *tes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: ſed pro-
Matt. 26. v. 26. pria & perſpicua. Sic & iſta, *Hoc eſt corpus meum*, quamuis Sacramentalis & myſtica ſit locutio, eſt tamen propria & minimè figurata.

VI. TERTIVM argumentum. Sunt & aliæ voces in ipſa inſtitutione huius Sacramenti, quæ impropriè & figuratè vſurpantur. Nam vox *calicis* figuratè ſumitur pro potu, qui erat in calice. Similiter in voce *teſtamenti*, eſt figura. Denique *frangi*
1. Cor. 11. v. 24. dicitur *corpus Chriſti pro nobis* in Græco & Syriaco textu, quæ figurata eſt locutio. Reſpondeo, Aduerſarij

Digitized by Google

uerſarij in hoc argumento multa peccant. Primò, cùm deberent probare illam figuram, quam ipſi excogitarunt, extare in inſtitutione huius Sacramenti, illi ad alias figuras confugiunt, de quibus non eſt quæſtio. Figura enim, quam illi ponunt, eſt Metonymia illa, qua ſigno tribuitur nomen ſignati. Hinc enim colligunt panem, qui eſt ſignũ corporis Chriſti, vocari corpus Chriſti; & vinum quod eſt ſignum ſanguinis Chriſti, vocari ſanguinem Chriſti. Sed in nullis ex his locutionibus inuenitur talis figura. Neque enim ſignificat *calix* ſignum calicis, nec *teſtamentum* ſignum teſtamenti, nec *fractio* illa ſignum fractionis. *Calu. l. 4. Inſt. c. 17. Sect. 11.*

VII. PORRO cùm duplices ſint figuræ; quædam, quæ omninò tollunt veritatem rei à Chriſto promiſſę, & ſpoliant nos legato illo Chriſti pretioſiſſimo, nempe corpore & ſanguine ipſius, ac conſequenter abrogant, atque exinaniũt prorſus Chriſti teſtamentũ: tales ſanè figuras non admittimus, ſed neq; vllam talem inuenient Aduerſarij in inſtitutione huius Sacramenti. Aliæ ſunt figuræ, quę non tollunt veram præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti, ſed potiùs confirmant eandem, & tales non reſpuimus, immò libentiſsimè admittimus. Vix enim eſt vlla locutio adeò propria, vt in ea non poſsit inueniri aliqua figura, vel dictionis alicuius, vel ſermonis. Quare Cõcilium Tridentinum non improbat omnes planè tropos, ſed eos duntaxat, *quibus veritas carnis & ſanguinis Chriſti negatur*. His autem figuris, quas adducunt Aduerſarij, amplius ſtabilitur vera præſentia corporis & ſanguinis Chriſti. Nam cùm ſanguis Chriſti vocatur *calix*, ponitur continens pro contento, vt omnes agnoſcunt. Ex quo conuincitur, quòd ſanguis Chriſti tempore cœnæ nouiſsimè fuerit *Conc. Tr. ſeſ. 13. c. 1.*

Digitized by Google

non tantùm in corpore Chriſti,ſed etiam in ipſo calice,& quòd iam ſanguis Chriſti ſit non tantùm in cœlis,ſed etiam in calice conſecrato: vt paulò poſt demonſtrabimus.Similiter cùm *calix* vocatur *teſtamentum*,declaratur apertè, quòd illud, quod calice continebatur,fuerit verus Chriſti sāguis,quia *teſtamentum ſine ſanguine dedicari ſeu fieri non poterat*, vt apertè docet Apoſtolus.Denique tam *fractio corporis Chriſti pro nobis facta*,quàm vox *teſtamenti* probant Chriſtum his verbis non tantùm inſtituiſſe Sacramentum, ſed etiam verum Sacrificiū noui teſtamenti,vt infrà ſuo loco commonſtrabimus.Optandum quidem eſſet, vt Aduerſarij plures huiuſmodi figuras adducerent, quibus videlicet magis corroboratur doctrina Catholica,vera videlicet,& realis corporis Chriſti præſentia in hoc Sacramento.

Ad Heb. 9.v.18.

VIII. SECVNDO,peccant in eo Aduerſarij, quod introducant nouas figuratas locutiones, idque in ipſa inſtitutione huius Sacramenti, quas ex nullo alio Euangeliſta,aut Apoſtolo,qui eadem inſtitutionis verba recenſet,probare poſſunt: at figuræ quas nobis obijciūt,huiuſmodi ſunt,vt quāuis apud vnum aut alterū Euangeliſtam,extent, tamē ab alijs,qui eandem inſtitutionem referunt, apertiſsimè declarētur.Nam vbi Sanctus Lucas & ſanctus Paulus habent,*hic eſt calix*, ſanctus Matthæus,& ſanctus Marcus habent, *hic eſt enim ſanguis meus* quę eſt perſpicua explicatio vocis,*calicis*. Item vbi ſanctus Lucas & ſanctus Paulus habent, *nouum teſtamentum*,S.Matthæus, & ſanctus Marcus habent,*ſanguis meus noui teſtamenti*:quæ eſt explicatio alterius. Denique vbi S. Paulus habet, *quod pro nobis frangitur*,ſanctus Lucas habet, *quod pro vobis datur*,quæ eſt clarior explicatio verborū

Luc 22. v. 20. 1 Cor. 11. v. 28. Mat. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24. 1. Cor. 11. v. 24. Luc. 22. v 19.

S.Pauli.

S. Pauli. Sed Aduerſariorum illa figurata locutio apud nullum Euangeliſtam, aut Apoſtolum extat: immò nec vſpiam in tota Scriptura. Nuſquam enim in Scriptura ſignificat corpus Chriſti ſignum corporis Chriſti: aut ſanguis Chriſti ſignum ſanguinis Chriſti. Quare iſta figurata locutio nequaquam eſt admittenda.

TERTIÒ errant Aduerſarij, quia nunquam IX.
recedendum eſt à ſenſu literali, niſi quando pro-
prius verborum ſenſus pugnat cum aliquo fidei
articulo ab omnibus recepto, vt præcedenti ca-
pite probauimus: atqui ſi vox *calicis* hic ſumatur
pro vaſe ipſo, pugnabunt verba S. Lucę, & S. Pau- *Cap. præ-*
li cum alijs fidei articulis. Si autem ſumatur pro *ced.* §. 2.
potu, qui calice continebatur (quemadmodū ſę-
piſsimè in Scripturis ſumitur) omnia erunt cla- 1. *Cor.* 11.
ra, & alijs omnibus Fidei dogmatibus conſona: *v.* 26. &
quare neceſsitate cogimur hic à magis propria & 27.
natiua acceptione vocis *calicis* recedere. Enim-
uerò ſanctus Lucas, & etiam ſanctus Paulus ex-
preſsè dicunt, *hunc calicem eſſe teſtamentum Chriſti.* *Luc.* 22.
Et ſanctus Lucas, iuxta Græcum textum, dicit *v.* 20.
hunc calicem eſſe effuſum pro nobis (nimirum 1. *Cor.* 11.
in remiſſionem peccatorum, vt addit expreſsè ſan- *v.* 25.
ctus Matthæus) quemadmodum & infrà proba- *Luc.* 22. *v.* 20.
bimus: ſed fides Catholica docet vas illud neque *Matt.* 26.
fuiſſe Chriſti teſtamentum, neque fuiſſe pro no- *v.* 28.
bis effuſum in remiſsionem peccatorum, verùm *Infra c.*
hæc propria eſſe ſanguinis Chriſti. Quare neceſſe 12. §. 6.
eſt, vt per calicē intelligamus ſanguinem Chriſti,
qui calice continebatur. Deinde Chriſtus iuſsit
Apoſtolos *bibere hunc calicem*: at conſtat apud om- *Mat.* 26.
nes CHRISTVM non iuſsiſſe eos bibere vas ip- *v.* 27.
ſum, ſed illud quod vaſe continebatur. Vnde & 1. *Cor.* 11.
ipſimet Aduerſarij coguntur hæc verba Chriſti *v.* 26. 27.

 Calu. &

Beza in hac verbaS. Luc. ita explicare, vt *calix* ſignificet contentum in calice.

X. DENIQVE & hoc obſeruatione dignum eſt, quod quamuis vox *calicis* per ſe abſolutè ſumpta ſit ambigua,& aliquandò ſignificet ipſum vas, aliquandò id quod vaſe continetur:tamen quando calix dicitur bibi, nulla eſt in hac locutione ambiguitas; nam in hac phraſi *calix* ſemper ſignificat id, quod calice continetur: Cùm igitur CHRISTVS præceperit APOSTOLIS, vt biberent calicem, aliud intelligere non poterat, quàm illud, quod calice continebatur. At verò nihil planè eſt quod nos cogat, per corpus & ſanguinem Chriſti intelligere ſignum duntaxat corporis & ſanguinis eius: meritò igitur in voce *calicis* recedimus à propria vocis ſignificatione. Et immeritò Aduerſarij in vocibus *corporis & ſanguinis Chriſti* recedunt à propria & natiua vocum acceptione; cùm id non neceſsitate vlla, ſed ſua ſponte faciant.

QVARTO errant multùm Aduerſarij in eo,
XI. quòd exiſtiment vocem *teſtamenti* impropriè v-
Lu.22.v. ſurpari apud S. Lucam & S. Paulum, cùm ſcri-
20. bunt Chriſtum dixiſſe: *Hic calix nouũ Teſtamentum*
1.Cor.11. *eſt.* Abſonum enim eſſet exiſtimare, omnem phra-
v.25. ſim Hebraicam, quæ diſſentit à Latina, eſſe figuratam locutionem: Sunt namque Hebraicæ phraſes in lingua Hebraica proprijſsimæ, ſicut in lingua Latina phraſes Latinę. Eſt autem phraſis Hebraica in Scripturis valdè frequens, qua propriæ cauſæ tribuitur proprius effectus; quæ proinde cauſalis attributio appellari ſolet. Nam quando Hebræi volunt ſignificare cauſam aliquam eſſe valdè propriam alicuius effectus; ſolent dicere, cauſam eſſe illum effectum, nimirum efficienter. Ita ſæpiſsi-

ſæpiſsimè in Scripturis Deus dicitur *vita noſtra, ſalus noſtra, fortitudo noſtra, omne bonum noſtrum*, quia iſta omnia efficit: ſuntque omnes iſtæ propriæ & perſpicuę locutiones iuxta Hebræum ſermonem. Ad eundem modum cùm Chriſtus loqueretur Hebraicè, ſeu Syriacè, vſus eſt conſueta formula loquendi, cùm dixit: *Hic calix nouum teſtamentũ eſt*: Senſus enim eſt, hic calix cõſtituit, ſeu efficit iam nouũ teſtamẽtũ. Nã nec anteà, nec poſteà, ſed hoc ipſo tempore, quo Chriſtus conſecrauit, & dedit calicem, ſanciuit & perfecit ſuum nouum teſtamentum: vt infrà oſtendemus in Controuerſia de Sacrificio Miſſæ. Atque hæc cauſa eſt, cur Chriſtus dixerit ſanguinem ſuum eſſe nouum teſtamentum, quod de corpore ſuo non dixit: quia nimirum ſolo corpore, ſine ſanguine, eiuſque effuſione, nouum teſtamentum ſanciri non poterat, Apoſtolo teſte ad Heb. 9. v. 22. Non eſt igitur hæc locutio, *Hic calix eſt nouum teſtamẽtum*, magis impropria, quã illa, in qua *Deus dicitur vita noſtra*, aut Chriſtus *ſapientia noſtra, iuſtitia noſtra, ſanctificatio noſtra, & redemptio noſtra*: quas omnes loquendi formas improprias eſſe, nemo ſanæ mentis dixerit. Verùm hac de re plura aliàs.

Deut. 30. v. 20. Pſal. 26. v. 1. Pſal. 17. v. 2. Luc. 22. v. 20. 1. Cor. 1. v. 30. Infra c. 15. §. 5.

XXII. PORRO ipſa forma dicendi (vt alia taceamus) ſatis oſtendit, hic attributionem eſſe cauſalem: nam in eiuſmodi attributionibus ſolet plerumque verbum ſubſtantium, *eſt*, vel omninò omitti etiam in Græco textu noui teſtamenti, vel certè adijci, non inter ſubiectum & attributum (vt aliàs ſolet) ſed in fine totius ſententię, aut certè poſt attributum. Verbi gratia Apoſtolus Paulus (qui ſæpè vtitur hac formula loquendi) cùm dicit: *Prudentia carnis mors* id eſt, Prudentia carnis efficit mortem, *Prudentia ſpiritus vita & pax*, id eſt, efficit

Ad Rom. 8. v. 6.

Digitized by Google

1 Cor. 11. v. 10. vitam & pacem: vtrobique in Græco textu deeſt verbum, *eſt*; at verò cùm dicit Apoſtolus: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt?* Cauſales ſunt propoſitiones (id quod ipſos Aduerſarios fateri, infrà oſtendemus) proindeque ponitur vtrobiq; verbum, *eſt*, in fine totius ſententiæ. Ad eundem planè modū, quum S. Lucas dicit, calicem hunc eſſe teſtamentum Chriſti, omittit omninò verbum, *eſt*, in Greco textu. Et S. Paulus cùm eadem verba Chriſti refert, collocat verbum, *eſt*, poſt attributum. Non enim ſcribit, hic calix eſt nouum teſtamentum, ſed ita, *hic calix nouum teſtamentum eſt*. Quibus loquendi modis ſatis oſtendunt S. Lucas, & S. Paulus locutionem hanc eſſe cauſſalem: cùm alter omittat prorſus verbum, *eſt*, alter illud collocet poſt attributum.

Infra in hac Con. ca. 15. §. 5.

Luc. 22. v. 20.

1 Cor. 11. v. 25.

XIII. CARPIT quidem Beza vulgarem interpretem, quòd non poſuerit verbum, *eſt*, ſuo loco; non enim vertit, hic calix eſt nouum teſtamentum, ſed *hic eſt calix nouum teſtamentum*. Verùm, quis nō videt hæc dici per appoſitionem, & eundem planè eſſe ſenſum? Nā perinde eſt ac ſi ita vertiſſet, hic eſt calix, qui eſt nouum teſtamentum: quemadmodum cùm dicimus, hæc eſt vrbs Roma, idem eſt ac ſi dicamus, hæc eſt vrbs, quæ eſt Roma. Immò & alibi ipſemet Beza fatetur tam in nouo, quā in veteri teſtamento, relatiuum אשׁר *aſcher* (id eſt, qui, quæ, quod) iuxta Hebraicam phraſin ſępè omitti: ſic dicitur Apocalypſis 1. verſ. 5. in Græco textu: *Gratia & pax à Ieſu Chriſto teſtis fidelis*, hoc eſt, qui eſt teſtis fidelis, vt habet eodem loco vulgata editio: & ipſemet Beza.

Beza ad c. 22. Lucæ v. 20.

Beza in c. 2. ad Eph. v. 5.

HINC

Digitized by Google

HINC etiam conſtat, ſanctos Euangeliſtas Mattheum & Marcum verbis tantùm, & non ſenſu differre à Sancto Luca & Sancto Paulo, cùm referunt verba calicis; nam priores illi duo, ſanctus Matthæus & ſanctus Marcus ita ſcribunt: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*, hoc eſt, quo ſancitur nouum teſtamentum; poſteriores verò duo, ſanctus Lucas, & ſanctus Paulus, ita: *Hic calix, nouum teſtamentum eſt, in meo ſanguine*, hoc eſt, conſtituit nouum teſtamentum, quod meo ſanguine ſancitur. Quod eundem planè habet ſenſum. Similiter & verba illa conſecrationis calicis, quæ in ſacro canone Miſſæ recitantur, verbis duntaxat, non ſenſu diſcrepant à verbis, quæ extant apud Euangeliſtas, & Sanctũ Paulum. Sunt enim huiuſmodi: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti*, &c. Enimuerò ſenſus horum verborum eſt iſte: hic eſt calix, qui continet ſanguinem meum, quo ſancitur nouum & æternum teſtamentum. Quare in his verbis canonis vox *calicis* propriiſſimè ſumitur pro ipſo vaſe. Nam ſicut calix aquæ in Scripturis ſignificat calicem continentem aquam: & lagena ſeu amphora aquæ, ſignificat lagenam ſeu amphoram continentem aquam: ita calix ſanguinis, ſignificat calicem continentem ſanguinem. XIV.

Mat. 26. v. 28. Marc. 14. v. 20. Luc. 22. v. 10. 1. Cor. 11. v. 25.

Marc. 9. v. 40. & 14 v. 13. Luc 22. v. 10.

PORRO cùm duo nobis eſſent proponenda, & credenda de ſanguine CHRISTI, in hoc Sacramento Euchariſtiæ contento, alterum quòd eſſet verè & reipſa præſens in calice, ſub forma vini: alterum, quòd eius myſtica immolatione & effuſione ſanciretur nouum teſtamentum. Primum illud euidentiùs explicarunt Euangeliſtæ, Sanctus Matthæus, & Sanctus Marcus. Secundum, Sanctus Lucas & Sanctus Pau- XV.

c. 12 §. 4. & ſeq.

Digitized by Google

lus, De verbis etiam Sancti Lucæ plura paulò poſt.

XVI. QVINTO, errant etiam in eo Aduerſarij, quòd exiſtiment impropriam eſſe locutionem, cùm Apoſtolus dicit, *corpus Chriſti in hoc Sacramento frangi pro nobis*, cùm propria & perſpicua ſit iſta locutio. Enimuerò corpus CHRISTI verè & propriè frangitur, quando franguntur ſpecies panis, vt infrà in diſputatione de tranſſubſtantiatione declarabimus. Præterea corpus CHRISTI dicitur non tantùm frangi, ſed frangi pro nobis, quæ eſt Hebraica phraſis ſacrificiorum propria, ad literam, & propriiſſimè nihil aliud ſignificans, quàm aliquid ſacrificari incruento modo, ſub ſpecie panis: quemadmodum ex varijs Scripturæ locis infrà demonſtrabimus, cùm agemus de Sacrificio Miſſæ. Porrò perridiculum eſſet exiſtimare omnem phraſim Hebræam, quæ à Latina differt, figuratam & impropriam eſſe locutionem, vt modò diximus, §. II.

XVII. SNNT & alia duo Aduerſariorum argumenta, ſed admodũ infirma quia nitũtur falſis principijs. Primum eſt, quòd in verbis Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, particula, *hoc*, demonſtret panem, vt ſenſus ſit, hic panis eſt corpus meum, & proinde figuratam eſſe locutionem, cùm diſparatum dicatur de diſparato. Sed iſtud quod aſſumunt pro certo falſum eſſe & omninò abſurdum infrà oſtendemus in Controuerſia de Tranſſubſtantiatione.

XVIII. ALTERVM argumentum eſt, quòd in vocibus; *corporis & ſanguinis*, ſit Synecdoche, quaſi hæ voces ſignificent totum Chriſtum. Sed & iſtud quoque omninò falſum eſt; nam totus Chriſtus nõ eſt ſub quauis ſpecie, ex ſignificatione verborum, vt ipſi putant,

putant, ſed ex naturali cōcomitantia, & cōnexione partium Chriſti inter ſe, vt benè explicat Concilium Tridentiinum. De qua re poſteà ſuo loco.

Sed omittendum non eſt illud Franciſci Iunij argumentum, in quo ipſe triumphat ante victoriam. Nam cùm dixiſſet multa abſurda ſequi, ſi verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, ſimpliciter & ad verbum accipiantur. Cæteris omnibus abſurdis prætermiſsis vnum duntaxat affert, tanquam euidentiſsimum; quod eſt huiuſmodi: *Si hæc enunciatio ad verbum accipienda eſt, ergo termini ſunt conuertibiles, ac proinde quàm rectè dixeris: Hoc eſt corpus meū, ita vice verſa, corpus meū eſt hoc, quo nihil eſt abſurdius.* Ita Iunius. Verùm nullo prorſus argumento oſtendit, hoc eſſe abſurdum, tametſi aſſeueret nihil eſſe abſurdius. Enunciationem ſanè illam, *Hic eſt filius meus dilectus*, propriam eſſe & ad verbum accipiendam, non negabit Iunius, niſi velit eſſe Arrianus, quæ tamen ita rectè conuertitur ſimplici (vt cum Dialecticis loquar) conuerſione: *Filius meus dilectus eſt hic*. Sic propria locutio eſt illa: *Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth*: quæ ita conuertitur: *Ieſus Propheta à Nazareth eſt hic*: vt alias infinitas ſimiles enunciationes omittamus.

Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 3. Infrà cont. 8. c. 2.

XIX.

Iunius in Theſibus Theol. de cœna Domini, editis an. 1600. Theſi 11.

Mat. 3. v. vlt.

Mat. 21. v. 11.

XX. Quòd ſi videatur Iunio, aliud eſſe, *hoc*, & aliud *hic*, non deſunt in Scripturis multa vtriuſque exempla. Vnum hîc adducere ſatis erit. Cùm dixit Chriſtus: *Hoc eſt præceptum meum*, propria vſus eſt locutione, cuius termini hoc modo conuertuntur: *Præceptum meum eſt hoc*, quæ locutio prorſus ſimilis eſt illi, *corpus meum eſt hoc*.

Ioan. 15. v. 12.

XXI. Poſtremò, quis vnquam dubitauit, quin propria ſit locutio, cùm quis demonſtrando aurum dicit, hoc eſt aurum, aut demonſtrando ſuum

 propri-

proprium corpus,dicit,hoc eſt corpus meum,quę tamen Enunciationes ita rectè conuertuntur, aurum eſt hoc,corpu. meum eſt hoc; nihil igitur eſt abſurdi in eo,quod dicitur,illa Chriſti verba,*Hoc eſt corpus meum*,ita conuerti,corpus meum eſt hoc. Sunt & alia nonnulla Caluinianorum argumenta,ſed quæ infrà ſuis in locis commodiùs diſcutientur.

CAPVT X.

De proprio & literali ſenſu ſexti capitis Euangelij ſancti Ioannis.

I. EXpedit vt hîc nonnulla diſſeramus de illis, quę Chriſtus dixit ſexto capite Ioãnis, cùm egit de manducatione carnis ſuæ, & potatione ſui ſanguinis. Nam multa deſumi poſſunt ex his verbis Chriſti argumenta contra Aduerſarios. Verùm hac in re non tantùm Caluinianos habemus nobis Aduerſarios,ſed & Lutheranos; immò & Catholicos etiam nonnullos (quamuis diſſimilibus de cauſis, vt paulò pòſt declarabimus) quãobrem duo hîc nobis erunt præſtanda. Nam primò quidem probandum erit Chriſtum hoc in loco de eſu carnis ſuæ, & potatione ſanguinis ſui locutũ eſſe propriè,& non figuratè.Deinde oſtendendum, quàm efficacia argumenta contra Caluinianos deſumantur ex his Chriſti verbis. Iam verò Chriſtum loqui propriè de perceptione corporis & ſanguinis ſui, his argumentis probamus.

II. Primum argumentum eſt huiuſmodi: Nunquam recedendum eſt à literali & proprio ſenſu verborum ſacræ Scripturæ, niſi cogamur ab eo

recedere

recedere euidenti ratione, ex aliquo Fidei articulo deſumpta, ſed nihil eſt hîc quod nos cogat recedere à proprio & literali ſenſu, non eſt igitur ab eo recedendum. Propoſitionem iam ſatis ſuprà confirmauimus. *Sup. c. 8. §. 2.*

III. Vnum hîc præterea obſeruandum eſt, etiam hoc exemplo probari illud veriſsimum eſſe, quod de Aduerſarijs ſæpè affirmauimus, illos continuò iactare, ſe nihil recipere pro Fidei dogmate, niſi purum putum Dei verbum, & nihilominus cùm euidentiſsima Dei verba à nobis proferuntur, eoſdem poſthabito expreſſo & claro Dei verbo, cõfugere ad Metaphoricas, improprias & figuratas verborum vſurpationes: Aſſumptionem, nempè nihil in his verbis eſſe quod nos cogat recedere à proprio ſenſu verborum, probamus ſequenti capite, in quo refutamus omnia illa argumenta, quibus Aduerſarij conantur probare, à proprio ſenſu recedendum eſt.

IV. Secundum argumentum eſt, ſi vlla eſſet figura in verbis Chriſti, vel eſſet in vocibus, *carnis & ſanguinis*, vel certè in vocibus *comedere, & bibere*. Nã ſi omnes hæ voces propriè ſumantur, locutiones omnes, ſine dubio, erunt propriæ. Iam verò quòd in vocibus, *carnis & ſanguinis*, nulla ſit figura, manifeſtum eſt: nam Chriſtus expreſsè dicit: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita.* *Io. 6. v. 52* Conſtat autem Chriſtum dediſſe veram ſuam carnem pro mundi vita, non effectum tantùm aut vim carnis ſuæ, vt nonnulli interpretantur: non Doctrinam ſuam, vt alij explicant: non figuram tantùm carnis ſuæ, vt Anabaptiſtæ nugantur. Adhæc, paulò poſt dicit Chriſtus: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Igitur illud, quod manducatur, eſt ipſe Chriſtus, non aliud ab eo diuerſum.

Prætereà

Digitized by Google

Idem v. 59. Præterea addit Chriſtus Dominus: *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.* Et paulò ſuperiùs dixerat: *Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi.* *Idem v. 51.* Eſt igitur iſte panis ipſemet Chriſtus. Denique in tota Scriptura nunquam inuenient Aduerſarij vllum locum, in quo caro & ſanguis Chriſti impropriè ſumantur pro ſigno carnis & ſanguinis eius: vbique enim propriè vſurpantur pro vera carne, & vero ſanguine, non autem impropriè, vt olim blaſphemabant Marcioniſtæ & Manichęi, qui affirmabãt, Chriſtũ nõ veram naturã humanã ſumpſiſſe ex Virgine, ſed phantaſticam, ſine vera carne & ſanguine. Id quod hodie nõnulli Anabaptiſtæ aſſeuerare non verentur, ipſo Beza teſte. *Beza c. 4.* Quare abſurdum omninò eſt aſſerere Chriſtum hîc, vbi tam ſæpè repetit voces, *carnis & ſanguinis ſui*, has vbique figuratè & impropriè vſurpaſſe. Hinc Caluinus & eius ſectatores fatentur voces *carnis & ſanguinis* propriè ſumi. *Cal. l. 4. Inſt. c. 17. ſect. 7.* Beza quoq; reprehendit Eraſmum & Anabaptiſtas, quòd per panem, quem Chriſtus promittit ſe daturum, intelligant doctrinam Chriſti, vel fructum aliquem, quem ex Chriſto percipimus. *Beza in c. 6. Ioan. in verba illa v. 51.*

Ex hoc pane. V.

Porrò, quòd nec in vocibus, *manducare & bibere*, ſit figura, vt volunt Caluiniani, ita probamus. In his vocibus non poteſt eſſe alia figura, quàm illa, qua manducare & bibere vſurpantur pro credere: Nam *aliam ne fingi quidem poſſe apertè* ſcribit Caluinus: *Cal. l. 4 Inſt. c. 17. ſect. 5.* ſed iſta figura nullo modo poteſt hîc habere locum. Nam Chriſtus affirmat, illum, *qui manducat ſuam carnem, & bibit ſuum ſanguinem, habere vitam æternam.* *Ioan. 6. v. 55.* At multi Arriani & alij hæretici, qui negabant Chriſti Diuinitatem, credebant carnem eius, & ſanguinem eius: aliud eſt igitur manducare & bibere carnem & ſanguinem Chriſti,

Chriſti, quàm credere illum habere carnem & ſanguinem. Quòd ſi dixerint Aduerſarij, manducare carnem Chriſti, eſſe non tantùm credere illum habere carnem, ſed etiam credere nos accipere virtutem, & fructum ſpiritualem ex carne Chriſti, ſequetur ex hac interpretatione, manducationem hanc, quam Chriſtus exigit, non eſſe ipſius carnis & ſanguinis ſui tantùm, ſed etiam manducationem virtutis, aut fructus alicuius, ex carne Chriſti prodeuntis: atque ita *carnem & ſanguinem Chriſti* tranſmutabunt *in fructus & effectus* §. 4. *in*
ex eis naſcentes: quæ eſt ipſamet Anabaptiſtarum *fin.*
expoſitio, quam Caluiniani damnant, vt modò diximus.

Deinde, ſi de manducatione Fidei duntaxat VI.
loqueretur Chriſtus, non exegiſſet manducationem ſolius carnis & ſanguinis ſui, ſed potiùs Diuinitatis ſuæ. Item, myſteriorum Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis mortuorum, omniumque aliorum quæ continentur in Symbolo Apoſtolorum: cùm fides omnium iſtorum ſit ad ſalutem æternam neceſſaria. Imò ſecundùm Cal- *Cal l.3.*
uinianos (qui contendunt fidem quæ iuſtificat & *Inſt. c.2.*
perducit ad vitam æternam, in eo præcipuè con- *ſect. 40.*
ſiſtere, quòd homo ſe credat eſſe prædeſtinatum) comedere carnẽ Chriſti & bibere eius ſanguinẽ, erit, hominem credere ſe eſſe prædeſtinatum. Et quænam quæſo poteſt eſſe magis abſona expoſitio quàm iſta: *Niſi manducaueritis carnem filij homi-* *Ioan 6.*
nis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in *v.54.*
vobis, id eſt, niſi credideritis omnes Fidei articulos, & præſertim vos eſſe prædeſtinatos, non habebitis vitam in vobis.

Præthereà quicunque affirmat voces *manducare* VII.
& *bibere* impropriè ſumi pro *credere*, neceſſe eſt, vt con-

vt conſequènter fateatur etiam voces, *carnis & ſanguinis Chriſti*, impropriè ſumi. Nam ſi propriè ſumantur voces, *carnis & ſanguinis*, pro vera Chriſti carne, & vero Chriſti ſanguine, nihil erit abſurdius, quàm aſſerere huiuſmodi fidem ad ſalutem ſufficere. Nullus enim eſt Turca, aut Iudæus, qui non credat Chriſtum habuiſſe veram carnem, & verum ſanguinem, cùm ſine his Chriſtus homo non fuiſſet. Si qui autem fuerunt Catholici, aut alij ſani iudicij, qui dixerunt voces, *manducare & bibere*, figuratè ſumi. illi conſequenter dixerunt, *carnem Chriſti & ſanguinem*, ſimiliter figuratè & non propriè accipi, nempè vel pro ipſa Eccleſia, vel pro vnione cum Eccleſia, vel pro morte aut paſsione Chriſti, aut certè pro aliquo fructu, quem per Chriſtum accipimus.

VIII. Sed ineptiſsima eſt Caluinianorum interpretatio, quippè qui non audent negare voces, *carnis & ſanguinis Chriſti* (quas toties inculcat Chriſtus) propriè ſumi: & nihilominus obſtinatiſsimè, & contra omnem rationem contendunt, *manducare & bibere*, nihil aliud ſignificare, quàm *credere*. Quod idem prorſus eſt, ac ſi dicerent, ſatis eſſe ad ſalutem, ſi credamus Chriſtum habuiſſe carnem & ſanguinem, etiamſi nihil præthereē de Chriſto aut Deo credamus. Plures huius rei probationes etiam ſuperiùs adduximus.

Sur. c. 3 §. 2 & ſeq.

IX. Poſtremò, communis eſt iſta Patrum antiquorum expoſitio: illi enim cùm propriè & ad litteram intellexerint hęc Chriſti verba, conſequenter aſſerunt Chriſtum hic loqui de Sacramentali manducatione carnis ſuæ, & Sacramentali potatione ſui ſanguinis: atque etiam de fructu & neceſsitate iſtius Sacramenti. Nam fructum & neceſſitatem illius non legimus Chriſtum alibi tam

clarè

clarè explicaſſe. Hinc ſcribit ſanctus Auguſtinus ſanctum Ioannem Euangeliſtam huius Sacramẽti mentionem nullam feciſſe, cùm agit de ijs, quæ fecit Chriſtus in cœna nouiſsima, *Propterea quòd iam de hoc Sacramento multò vberiùs quàm alij Euangeliſtæ ſcripſiſſet in ſexto hoc capite ſui Euangelij.* Et ſanè veriſimile non eſt Euangeliſtam voluiſſe ſilẽtio prorſus pręterire tam magnum & tam neceſſarium fidei myſterium, de quo cæteri omnes Euangeliſtæ tam apertè ſcripſerunt. Et quamuis aliqui Patres nonnunquam interpretentur hæc verba myſticè, in alium ſenſum quàm litteralem (quod ſolent etiam facere in omnibus ferè locis Scripturæ) tamen nemo eſt ex illis, qui expreſsè neget, hunc quem aſſerimus ſenſum eſſe literalem. Immò ijdem Patres alibi non obſcurè docent, hunc quem adduximus verum & litteralem ſenſum eſſe. Qui autem deſiderat loca Patrum videre, legat Bellarminum, Maldonatum, Toletum, Sanderum.

Tom. 4. De conſenſu Euan. l. 3. c. 1.

Bell. lib. 1. de c. 1. Euc. 5.

Mald. in c. 6. S. Io. ad v. 53. Tol. in c. 6. S. Io. ad v. 52. Nic. San. in l. cuius titulus: quòd Dominus in 6. B. Io. de Sac. Eu. propriè ſit locutus.

X. Nunc vt ad ſecundã partem huius capitis veniamus, ſi ea quę dicit Chriſtus in hoc 6. c. S. Ioannis, ad literã & propriè intelligantur, dubium non eſt, quin multa argumẽta ex his deſumi poſsint cõtra Caluinianos, eaque firmiſsima. Id quod illis minimè latet; atq; hinc eſt, quòd tãtoperè & tã pertinaci animo cõtendant figuratas vocũ acceptiones introducere. Sed hîc etiã obſeruandũ eſt ex S. Chryſoſtomo & alijs Patribus, qui interpretãtur cap. 6. Io. Chriſtum primò quidem cõcionari de ſua Incarnatione & ſpirituali manducatione per fidem: deinde de Sacramentali. Nam ſacramentalis ſine ſpirituali non prodeſt, ſed multùm obeſt. Incipit

autem

ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστὶν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.

autem Chriſtus agere de Sacramentali, à v. 52. cùm ait: *Panis* (i.cibus Hebraica phraſi) *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, hoc eſt, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita*, vt clariùs habetur in Græco.

Hoc poſito ita argumentamur: Chriſtus non ſemel, ſed ſæpiùs aſſerit, *carnem ſuam eſſe manducandam, & ſanguinem ſuum eſſe bibendum.* Multa et-

XI. iam & magna promittit *illis qui manducant carnem*

Io. 6. v. 55. 57. 59. v. 54. *ſuam: Denique mortem æternam comminatur illis qui non manducant:* at non poteſt verè manducari caro Chriſti, nec propriè & verè bibi eius ſanguis, niſi ea ſint reipſa præſentia in hoc Sacramento: res enim abſens, nec edi, nec bibi poteſt: ſunt igitur reipſa præſentia in Sacramento.

XII. Deinde addit, *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis*

V. 56. ibi. *meus verè eſt potus*; ſed non poteſt caro Chriſti dici verè cibus, niſi verè comedatur; nec ſanguis eius

S. Chryſ. in c. 6 Euang. S. Ioan. ad v. 56. verè potus, niſi verè potetur. Hinc notat S. Chryſoſtomus Chriſtum hæc locutum eſſe, *vt auditores in prædictis confirmet, nec obſcurè locutum in parabolis arbitrarentur, ſed ſcirent omninò neceſſarium eſſe, vt corpus comederent.*

XIII. Denique expreſsis verbis præfert Dominus hunc panem, qui eſt caro eius, Mãnæ cœleſti, quod datum fuit fratribus veteris legis in deſerto: *Non*

Exod. 16. v. 14. 15. Ioan. 6 v. 59. Sup. c. 5. §. 16. *ſicut manducauerunt Patres veſtri Manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Sed iuxtà doctrinam Caluinianorum nullum eſt diſcrimen inter Manna Iudæorum, & noſtrum Sacramentum, vt ſuprà oſtendimus. Immò ſecundùm illos præſtantius fuiſſet Manna, quod per miraculum à Deo datum eſt, noſtro pane, qui fit à quouis piſtore ſine vllo miraculo.

XIV. Caluinus ad hoc argumentum reſpondet, *Chri-*

ſtum

Digitized by Google

ſtum ſermonem ſuum accommodaſſe craſſæ Iudæorum opinioni. Sed Chriſtus non ſolebat ſuum ſermonem accommodare craſſæ illorum opinioni, qui in fide errabant: ita enim confirmaſſet illorum errorem. Et ſanè ſi voluiſſet Chriſtus ſe accommodare Iudæorum opinioni, & totam illorum offenſionem penitus tollere, debuiſſet potiùs clarè & perſpicuè loqui: & iuxta Caluini ſententiam dicere, ſe loqui dũtaxat de manducatione, quę fit per ſolam fidem. Ita enim facilè impediuiſſet ſcãdalum Iudæorum, immò & ſuorum etiam Diſcipulorum. Multa enim & ſæpè locutus eſt de fide, ſine tanta offenſione ſuorum Diſcipulorum: verùm hac Chriſti concione multi etiam ex diſcipulis Chriſti adeò offenſi ſunt, vt eum deſeruerint, quemadmodum teſtatur S. Ioannes.

Cal. l. 4. Inſt. c. 14. ſect. 25.

Ioan 6. v. 61. & 66.

CAPVT XI.

Diſſoluuntur argumenta, quæ obijciunt Aduerſarij contra literalem ſenſum ſexti capitis ſancti Ioannis.

IN hoc capite oſtendemus nullum eſſe ſolidum argumentum, quo conuinci poteſt, nos debere recedere à ſenſu proprio, & literali verborum ſexti capitis S. Ioannis: ac proinde etſi nulla alia eſſet ratio, tamen vel ob hanc ſolam non eſſe à proprio ſenſu verborum Chriſti recedendum. I.

Primum argumentum, quo probant Aduerſarij ab eo recedendum eſſe, eſt huiuſmodi, Caro & ſanguis Chriſti non poſſunt edi & bibi propriè II.

 niſi

niſi in Sacramento Euchariſtiæ:ſed nondum fuerat inſtitutum hoc Sacramentum, cùm Chriſtus hæc loqueretur. Reſpondeo Chriſtus de rebus futuris ſæpè concionari ſolebat: frequenter enim concionatus eſt de futura ſua paſsione & reſurrectione, immò & de extremo iudicio, quod etiam nunc futurũ eſt; poterat igitur Chriſtus cõcionari de Sacramento, quod poſteà erat inſtituturus. Deinde multum expediebat Chriſtũ de futuro hoc myſterio concionari, idque tam apertè, tot verbis, & tam aſſeueranter; ne videlicet poſteà turbarentur Diſcipuli in inſtitutione huius Sacramenti, cùm audirent Chriſtum illis dare ſuum corpus & ſanguinem. Et ſanè adeò ſeuerè accepit Chriſtus eos, qui hoc tempore dubitarunt de hoc myſterio, vt poſteà in inſtitutione huius Sacramenti nemo auſus fuerit de hac re ampliùs quæſtionem
S. Chryſ. mouere, quemadmodum benè notat ſanctus
in c.26. Chryſoſtomus, dum explicat illa verba ſancti
S. Matt. Matthæi: *Hoc eſt corpus meum.*
ad v. 26.

III. Secundum argumentum: Chriſtus de præſenti manducatione loquitur, non de futura. Nã dicit: *Qui manducat meam carnem: Qui manducat me:*
Ioan. 6 v.55. 58. *Qui manducat hunc panem.* Denique in Græco textu non eſt *habebitis* in futuro tempore, ſed in præſenti οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς, id eſt, *non habetis vitam in vobis ipſis:* loquitur ergo Chriſtus de præſenti manducatione, non de futura: atqui Sacramentalis manducatio nondum erat inſtituta: non poterat igitur Chriſtus de illa loqui. Reſpondeo, quamuis Dominus vſus ſit verbis quibuſdam præſentis temporis, vt clariùs explicaret fructum huius Sacramenti, tamen illa omnia intelligenda ſunt de futuro tempore. Nam primum omnium vſurpat verba futuri temporis, vt doceat ſe de futuris

turis myſterijs loqui, *Panis* (inquiens) *quem ego* *Ioan. 6.*
dabo caro mea eſt. Agit igitur de carne ſua, quam *v. 52.*
nondum dederat, ſed daturus erat. Deinde cùm
addit comminationem illam ſeueram, *Niſi mādu-* *Io. 6. v.*
caueritis, &c. *Niſi biberitis*, &c. vſus eſt futuro tem- *54.*
pore, vt ſciremus præceptũ hoc ad futura tẽpora
pertinere. Nõ enim dixit, niſi iam mãducetis car-
nem meã, niſi iam bibatis ſanguinem meũ; quod
ſanè dicendum fuiſſet, ſi de ſola illa perceptione,
quæ fit per fidem locutus fuiſſet. Ea namque eſt
omni tempore neceſſaria: aut certè debuiſſet di-
xiſſe, nemo vnquam habuit vitam in ſe, qui non
manducauit meam carnem. Nam ſine fide in
Chriſtum nemo vnquam aſſecutus eſt æternam
ſalutem. Verùm Chriſtus nihil horum dixit, ſed
tantùm de futura manducatione & potatione lo-
cutus eſt, *Niſi manducaueritis* (inquiens) *niſi bibe-* *Ioan. 6.*
ritis, &c. *v. 54.*

Porrò illud, οὐκ ἔχετε, quod ex Græco textu IV.
afferunt Aduerſarij, confirmat noſtram ſententi-
am, aliud enim eſt loqui de ipſo præcepto & ali-
ud de effectu conſequente: Præceptum ipſum da-
tur per verba futuri temporis, *Niſi manducaueri-*
tis, *Niſi biberitis*: at effectus conſequens ſignifica-
tur per verbũ præſentis temporis: idque non ſine
magna cauſa. Solet enim Spiritus ſanctus in Scri-
pturis, cùm vult nobis declarare rem aliquam cer-
tiſsimè futuram, illam explicare per verbum
præſentis temporis. Qua forma loquendi tacitè
declaratur, quòd huiuſmodi effectus certiſsimè
ſequetur. Etenim futura, vt plurimum, ſunt in-
certa, at præſenia ſunt certiſsima: Proinde quæ
tamquam præſentia promittuntur, certiſsimè
promittuntur. Ob hanc ipſam cauſam Prophetæ
dum prænunciarent multa de Chriſto, ſæpiſsimè

vſi ſunt præterito tempore (nam & præterita ſunt etiam certiſsima) vt videre eſt Pſalm. 21. ver. 17. & 19. Iſaiæ 53. verſ. 4. 5. 7. & ſequentibus. Sed Prophetæ (quia ſcripſerunt Hebraica lingua, quę caret præſenti tempore indicatiui) vtuntur frequentiùs præterito tempore pro futuro; quanquã & hi nonnunquam vtantur participijs præſentis temporis (quibus per periphraſim explicant tempus præſens indicatiui) vt videre eſt, Iſaiæ 29. verſu 14. & capite 38. verſ. 5. & Ierem. 31. verſ. 31. At Apoſtoli & Euangeliſtæ qui ſcripſerunt Græca lingua, quæ habet præſens tempus indicatiui, ſolent frequentiùs vti præſenti tempore pro futuro, quando ſignificare volunt rem certiſsimè futuram: Et contrà quando volunt ſignificare rem aliquam nunquam futuram, ſeu impoſsibilem, ſolent vti negatione præſentis temporis. Exempla plurima vtriuſque phraſis extant in nouo teſtamento: nos nonnulla adducemus (ex ipſo ſancto Ioanne præſertim) quæ ad rem hanc comprobandam ſufficere poſſunt. Prioris phraſis af-
Ioan. 3. v. vlt. firmatiuæ exempla ſunt iſta: *Qui credit in filium, habet vitam æternã*, hoc eſt, certiſsimè habebit vi-
Ioan. 6 v. 55. tam æternam. Neque enim habet ille, qui credit in filium, vitam æternam, quamdiu viuit in hoc mundo, ſed poſt mortem. Sic hoc ipſo ſexto capite ſancti Ioannis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, hoc eſt, certiſsimè habebit vitam æternam. Et non tan-
Io. 9. v. 4. tùm in verbo, *habere*, ſed & in alijs verbis inuenitur eadem phraſis; vt cùm dicit Chriſtus: *Venit nox quando nemo poteſt operari*, id eſt, certiſsimè veniet nox. Item cùm ait Chriſtus: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum* (Græcè eſt in
Io. 15. v. 2. præſenti αἴρει αὐτὸ) id eſt, certiſsimè tollet.

POSTE-

POSTERIORIS phraſis negatiuæ exempla V.
ſunt hæc: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.*
Vbi Grecè ita legitur, οὐκ ἔχεις μέρος μετ᾽ ἐμοῦ, *non ha-* Io.13.v.8.
bes partem mecum, hoc eſt, certiſsimè non habebis
partem mecum, vel (quod idem eſt) non pote-
ris habere partem mecum. Similis modus loquē-
di extat apud S. Matthæum: *Attendite*, ait Domi- Mat.6.
nus, *ne iuſtitiam veſtram faciatis corā hominibus*, &c. v.11.
alioquin mercedem non habebitis. Græcè legitur in
præſenti, eodem modo quo hic, οὐκ ἔχετε, *non habe-*
tis, hoc eſt, non poteritis habere, vel certiſsimè nō
habebitis. In alijs quoque verbis inuenitur ſimilis Io.16.v.
modus loquendi: *Gaudium veſtrum nemo tollit à vo-* 22.
bis, id eſt, nemo poterit tollere: nam Græcè eſt Io 10. v. 18.
αἴρει in præſenti, id eſt, *tollit*. Et rurſus: *Nemo tollit* Ioa.6.v.
animam meam à me, hoc eſt, nemo poteſt tollere, 54.
vbi etiam in vulgata editione legitur in præſenti S Cyp. ad
tempore, tollit. Ad eundem modum cùm dicit hic Quirinū
Chriſtus: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & l 3.c.25.*
biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. S Amb.
Senſus eſt, certiſsimè non habebitis, ſeu non po- de fide ad
teritis habere vitam in vobis. Vulgaris noſter in- Gratianū
terpres nihilomin' rectè vertit in futuro (quo et- l.5.c.5. s.
iam modo legūt Patres Latini, ſanctus Cyprianus c Hi in c.
S. Ambroſius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus & a- 1. ad Eph.
lij) nam idem ſemper eſt ſenſus: ſed cùm verbum adv.7. S.
vertitur per futurum tempus, ſenſus eſt clarior: Au tō.7.
Præſens autem tempus, quod in Græcis libris re- de peccatorū meritis & remiſ. lib.
manſit, declarat occultum & latentem ſenſum, 1.c.20.
quo alter magis confirmatur, roboratur, & auge-
tur: vt iam expoſuimus.

TERTIVM argumentum Aduerſariorum,
Chriſtus hic promittit vitam æternam omnibus
manducantibus ſuam carnem, verſu 55. & 59. Sed
multi ſumunt Euchariſtiam indignè, qui ob id nō

vitam, ſed iudicium ſibi manducant & bibunt, 1. Corinth. 11. verſ. 29. Non poſſuut igitur iſta verba intelligi de Sacramentali manducatione corporis Chriſti. Hoc argumentum eſt illud, quod perſuaſit Lutheranis, Chriſtum hîc non loqui de Sacramentali manducatione & potatione. Nam ne cogerentur concedere Caluinianis, eos, qui indignè ſumunt Sacramentum, non comedere corpus Chriſti, maluerunt affirmare Chriſtum in hoc ſexto capite ſancti Ioannis nihil locutum eſſe de Sacramentali manducatione, ſed de ſpirituali duntaxat, quæ fit per ſolam fidem ſine Sacramento. Verùm non opus eſt eò confugere: infinitæ enim ſunt huiuſmodi promiſsiones in Scripturis, quæ quamuis generaliter proferantur, & ſine vlla exceptione, tamen intelliguntur ſemper cùm illa generali exceptione, *Si actio quæ præcipitur, benè & rectè fiat*. Nulla enim eſt frequentior aut generalior promiſsio in Scripturis quàm illa: *Omnis qui credit in Chriſtum, habet vitam æternam*, & tamen intelligitur, *Si iſte credat viua fide nō mortua*, vt explicat ſanctus Iacobus. Item, *Si perſeuerauerit in hac fide vſque ad finem*, vt explicat ipſe Chriſtus apud S. Matthæum. Frequentiſsima eſt illa promiſsio in Scripturis: *Petite & dabitur vobis; omnis enim qui petit accipit*; & tamen S. Iacobus oſtendit conditionem illam in ea includi; *ſi bene petant: Petitis*, inquit *& non accipitis eò quòd malè petatis*. Sic generalis promiſsio eſt: *Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit*: & tamen eadem Scriptura ſacra de quibuſdam dicit: *Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominum nec exaudiuit eos*. Et alibi dicit Dominus: *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam*, nimirum quia non rectè inuocant.

Io. 3 v. 15. 16. & 36. Iac. 2 v. 14. Mat. 24. v. 13. Mat. 7. v. 7. & 8. Iac. 4. v. 3. Ro. 10. v. 13. Pſ. 17. v. 42. Prou. 1. v. 28.

De-

VII. Denique adeò frequentes ſunt in Scripturis eiuſmodi generales promiſsiones; etiam cùm ſermo eſt de effectu Sacramentorum, vt illi qui inter ipſos Caluinianos ſunt doctiores, & magis eruditi, rei euidentia conuicti apertè fateantur, omnes iſtiuſmodi promiſsiones Sacramentales eſſe ſub conditione intelligendas, nempè ſi Sacramentum ritè & dignè ſuſcipiatur. Caluinus etenim non tantùm hoc agnoſcit, ſed etiam illud ipſum probat iſtis Scripturæ locis: *Quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Item, *Vnum corpus & vnus Spiritus ſumus omnes, qui in Chriſto baptizati ſumus* (ita enim hæc loca citat ille) quæ tamen non de alijs intelligenda ſunt, quàm de illis, qui dignè recipiunt Sacramentum baptiſmi, etiamſi generaliter de omnibus baptizatis dicantur. Beza etiam hoc ipſum agnoſcit in alijs Scripturæ locis, quibus explicatur vis & effectus Sacramenti Euchariſtiæ: Verbi gratia vbi dicit Apoſtolus, *Nos omnes eſſe vnum panem, & vnum corpus qui de vno pane participamus*, 1. Corinth. 10. verſu 17. quod de his ſolis, qui dignè recipiunt Euchariſtiam intelligendum eſſe agnoſcit Beza, quamuis ſententia illa ſit generalis. Sunt & aliæ ſimiles Sacramentales promiſsiones generales, vt: *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlis. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Quæ omnia de recta receptione Sacramentorum intelliguntur. Nam alioqui multorum peccata ſoluuntur & remittuntur ab Eccleſia, quæ non remittuntur à Deo, propterea quòd illi qui ſuſcipiunt Sacramenta, non ſatis dignè ea recipiant. Et Simon ille Magus credidit & baptizatus fuit, & tamen ſalutem ęternam conſecutus non eſt.

Cal. l. 4. Inſt. c 14. ſect. 7.
Gal. 3. v. 27. 1. Corin 12. v. 13.
Beza 3. vol. Tr. Theo. Tr. 1. contra 1. Repet. Claudij de Sain. ad c. 9. ſub fine. pag 42. iuxta edit Gene. an. 1582.
Mat. 18. v. 18.
Io. 20. v. 23.
Marc. vl. v. 16.
Act. 8 v. 13.

Digitized by Google

Promissionibvs igitur illis, quæ extant in ſexto capite Sancti Ioannis, declarat Chriſtus Manna illud Iudæorum non potuiſſe dare vitam æternam ex ſe & propria ſua vi, etiamſi ritè ſumeretur: at carnem Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, ex ſe, ſua vi, & natura, ſi benè ſumatur, dare æternam vitam. Quod autem iſte eius proprius effectus impediri poſsit malitia & impietate ſuſcipientis, nihil eſt ad rem. Enimuerò ſi propterea negandus eſſet Euchariſtiæ iſte effectus, quod ille hominis malitia ſæpè impediatur: eadē ratione negandum eſſet Chriſto Domino noſtro nomen Saluatoris, & ipſi etiam paſsioni ac morti Chriſti neganda eſſet remiſsio peccatorum: ne-
Iſ.8.v.14. ganda eſſet etiam & noſtra redemptio. Cùm
Luc.2.v. Chriſtus ipſe eiusque omnia facta & merita non
34 Ro.9. ſolùm non proſint, ſed etiam ſint in laqueum, ru-
v.vlt. 2.Cor.2. inam, & damnationem multis, his némpè, qui nō
v.16. credunt, vt pluribus in locis teſtantur ſacræ lite-
1.Pet.2. ræ. Id quod Beza loco citato etiam agnoſcit. Qua-
v.7. re perridiculum eſt generales illas promiſsiones, quæ ad hoc Sacramentum pertinent, ad omnem prorſus eius non duntaxat vſum, ſed & abuſum referre: cùm non niſi de recto eius vſu intelligantur, quemadmodum & cæteræ ferè omnes promiſsiones Chriſti, quas pari ratione infirmare conantur, qui has Sacramentales tam friuola ratione impugnant.

IX. Io.6.v.54. Qvartvm argumentum Aduerſariorum. Si verba Chriſti de Sacramento Euchariſtiæ ad litteram intelligantur, oportebit dicere infantibus etiam eſſe dandam Euchariſtiam; nam nemo excipitur, cū dicit Chriſtus: *Niſi mādu cauerit is meam carnem, non habebitis vitam in vobis.* Præterea oporteret omnes ſub vtraque ſpecie communicare.

Hoc

Hoc argumentum non tantùm Lutheranos, ſed & nonnullos Catholicos impulit, vt affirmarent Chriſtum hic non loqui de Sacramentali manducatione, ne ſcilicet cogerentur fateri cum Huſsitis Sacramentum Euchariſtiæ eſſe neceſſarium etiam infantibus, atque communionem ſub vtraque ſpecie omnibus planè hominibus neceſſariam eſſe. Verùm, quia de Communione infantium & Communione ſub vtraque ſpecie infra ex profeſſo diſputamus, ne eadem ſæpiùs repetere cogamur, eò referenda erit huius difficultatis enodatio. *Vide inf. Con. 8. c. 3.*

X. QVINTVM argumentum deſumunt Aduerſarij ex S. Auguſtino, qui affirmat figuratam eſſe illam locutionem, quæ facinus aut flagitium videtur præcipere; & exempli cauſa ponit illa Chriſti verba, quæ hoc ſexto capite ſancti Ioannis habentur: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. ſunt igitur iſta verba figuratè intelligenda. Reſpondeo primò S. Auguſtinum eodem loco rectè monere æquale eſſe periculum aut figuratam locutionem quaſi propriam ſumere, aut propriam quaſi figuratam: quia *cùm animam alicuius praeoccupauerit erroris opinio, quicquid aliter aſſeruerit Scriptura, figuratum arbitrabitur*. Demonſtrãdum proinde dicit modum inueniendæ locutionis, propriane, an figurata ſit. Modus autem quem ponit, hic eſt: *Si facinus aut flagitium videtur præcipi, figurata locutio eſt. ſin minus, propria.* Quare ſi ita intelligantur iſta Chriſti verba: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis &c.* vt videantur facinus aut flagitium iubere; non eſt dubium, quin figuratè intelligi debeant; ſed ſi ita intelligantur, vt nullum facinus aut flagitium præcipiant, non erit iſta figurata, ſed propria locutio; iuxta regulam ſancti Au- *S. Aug. To. 3 l. 3. de doct. Chriſtiana c. 16. Io. 6. v. 54 S. Aug. eodem l. 3. c. 10. Ioan. 6 v. 54. S. Aug. Tom. 8. in Pſ. 98. ad illa verba ver. 5.*

Adorate ſcabellũ. &c. & Tom. 9. tr. 27 in Ioan. Euang. & Tom. 10. de Verbis Apoſt. ſe. 2. cap. 1.

guſtini. Duobus enim modis intelligi poſſunt hęc Chriſti verba. Primò quidem, de manducatione naturali, carnali & vſitata; quæ tunc fit, cùm caro dentibus ſecatur in partes & laceratur, quo modo intellexerunt hæc verba Capharnaitæ, vt varijs in locis monet idem ſanctus Auguſtinus. Et ſecundum hunc modum intelligendi non erit iſta locutio propriè intelligenda, ſed figuratè. Alio modo poſſunt intelligi iſta Chriſti verba de manducatione ſupernaturali, ſpirituali, & Sacramentali, vera tamen, non imaginaria: quemadmodum ſuprà explicuimus, & hac ratione propriè & non figuratè debent accipi. Nam nullum flagitium aut facinus præcipiunt: quia Chriſti caro hoc modo comeſa integra & illæſa permanet, proinde etiam ſecundùm regulam à S. Auguſtino poſitam propriè, non figuratè accipienda ſunt hæc Chriſti verba.

Su. c. 5 §. 8.

XI. Secvndò reſpondeo, ſi accuratiùs perpendantur verba S. Auguſtini, videtur cùm hæc ſcripſit in ea fuiſſe ſententia, quòd Chriſtus in 6. cap. S. Ioan. locutus fuerit de ſpirituali tantùm manducatione carnis ſuæ, non de Sacramentali: quare mirum non eſt, ſi dixerit hæc verba Chriſti figuratè eſſe accipienda: non enim poſſunt niſi figuratè intelligi, ſi de ſola ſpirituali manducatione intelligantur. Præterea videtur ſanctus Auguſtinus hîc aſſerere Chriſtum hoc præcepto adultos tantùm adſtrinxiſſe, non infantes. Nam propria explicatio verborum, *Niſi mãducaueritis, &c.* quam addit, eſt, *quòd Chriſtus præceperit communicandum eſſe paſſioni ſuæ, & ſuauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit.* Porrò iſta omnia fieri poſſunt ſine Sacramentali manducatione per ſolam ſpiritu-

Ioan. 6. v. 54. S. Aug. c. 16. citato.

ſpiritualem. Sed neque poſſunt infantes in memoria recondere, quòd Chriſti caro pro nobis crucifixa ſit, & vulnerata.

VERVM enimuerò, quicquid tandem ſenſerit ſanctus Auguſtinus, cùm ſcripſit hos libros de doctrina Chriſtiana, ſatis conſtat ex illis, quæ poſteà ſcripſit (præſertim iam ſenex prope finem vitæ contra Pelagianos) illum longè aliter ſenſiſſe, népè & Chriſtum locutum eſſe de Sacramentali manducatione, cùm dixit, *Niſi manducaueritis, &c.* & hoc præceptum non ſolùm adultos, ſed infantes obligare. Veriſsimum enim eſt, quod de ſeipſo ſcribit ſanctus Auguſtinus: quòd *quiſquis opuſcula ſua, ordine quo ſcripta ſunt, legerit; inueniet quomodo ſcribendo profecerit.* Et ſanè non pauca huius rei exépla videre eſt in vno capite primi libri ſuarum retractationum. Multa enim loca Epiſtolæ ad Romanos aliter interpretatur quàm anteà illa interpretatus fuerat, cùm nondum fuiſſent orti Pelagiani. Conſtat autem S. Auguſtinum ſcripſiſſe hos libros de doctrina Chriſtiana ante concertationes, quas habuit cum Pelagianis: nam illorum retractationem ponit libro 2. retractationum, capite 4. At verò primum ſcriptum, quod edidit contra Pelagianos, fuerunt tres illi libri de peccatorum meritis & remiſsione: de quibus agit eodem lib. 2. cap. 33. & ipſe in fine prologi primi libr. retractat. teſtatur ſe in libris retractationum collocare ſua opuſcula eo ordine quo ſcripta ſunt. XII.

Ioan. 6. v. 54.

S. Aug. Tom. 1. in fine prologi ante l. Retrac.

S. Au. ib. l. 1. Ret. c. 23.

IAM verò in vltimis ſuis ſcriptis contra Pelagianos illum omnino ſenſiſſe, & Chriſtum de Sacramétali manducatione locutum fuiſſe, Io. 6. & verba Chriſti non tantùm adultos, ſed etiam infantes adſtringere, manifeſtū eſt ex his locis Tō. XIII.

2. Epi-

2. Epiſtol.106.ad Bonifacium(vel vt alij libri habent ad Paulinum) quæ eſt aduerſus Pelagianos, poſt medium:& Epiſt.ſequenti, quæ eſt 107. ad Vitalem in 8. ſententia contra Pelagianos. Item Tom.4.lib.3.de conſenſu Euangeliſt.c.1. Et quāuis iſtud opus ſcripſerit S. Auguſtinus ante hæreſin Pelagianam, tamen illud ſcriptum fuit poſt libros de doctrina Chriſtiana,vt conſtat ex lib.2. retractationum,cap.4.& 16. Adhæc,tom.7. lib.1. de peccatorum meritis & remiſsione cap. 20. Et eodem tom.7.lib.1. contra Iulianum Pelagianū c.4.ad fi.Denique tom.10.ſermone 2.de Ver.Apoſt.cap.1. In quo ſermone capit. 6.& ſequentibus, multa habet contra Pelagianos: & cap. 10. ſcribit Pelagianos iam fuiſſe damnatos à duobus Concilijs,& à ſede Apoſtolica Romana.

XIV. QVARE in hac re faciendum eſt illud, quod prudenter admonet idem S. Auguſtinus in fine prologi ante librum primum retractationum: *Quicunque iſta lecturi ſunt* (de ſcriptis ſuis loquitur) *non me imitentur errantem,ſed in melius proficientem.* Prudens ſanè conſilium,& cui omnes parere meritò deberent: pareamus igitur & nos. Et quicquid tandem ſcribat ſanctus Auguſtinus in prioribus ſuis libris,de figurata,impropria,& ſola ſpirituali manducatione carnis Chriſti,ea potiùs amplectamur,& ſequamur,quæ in poſterioribus ſuis ſcriptis,in melius proficiens,toties repetit de propria,vera,& Sacramentali manducatione carnis Chriſti, in hoc ſexto capite Euangelij ſancti Ioannis,tam ſeuerè omnibus præcepta,illis Chriſti verbis:*Niſi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius ſanguinem,non habebitis vitam in vobis.* *Ioan. 6. v.54.*

CAPVT

CAPVT XII.

Corpus Chriſti non tantùm eſſe in cælo, ſed etiam in terris, vbicunque eſt Euchariſtiæ Sacramentum.

HOc indicio maximè ſe produnt Caluiniani, quod etſi concedant, corpus Chriſti ipſis exhiberi, & ab ipſis percipi; tamen negant corpus Chriſti verè & reipſa alibi eſſe quàm in cœlo: proinde aiunt ſe fide debere in cœlum aſcendere, vt ibi corpore & ſanguine Chriſti veſcantur, quemadmodum ſuprà oſtendimus. Verùm quòd Chriſti corpus non tantùm ſit in cęlo, ſed etiam in terris, vbicunque eſt Sacramentum Euchariſtiæ, probamus ex ipſa inſtitutione, & natura iſtius ſacramenti, his argumentis: I. *Su. c. 5. §. 5. 6.*

PRIMVM argumentum eſt: Chriſtus cùm inſtituit hoc Sacramentum, affirmauit, id eſſe corpus ſuum, quod manu tenebat, quod porrigebat Diſcipulis, quod iuſsit accipi & manducari: ergo illud quod manu ſacerdotis tenetur, quod porrigitur, quod datur ad manducandum, eſt ipſum Chriſti corpus, & ex conſequenti adeſt corpus Chriſti verè & reipſa in terris, vnà cum ſignis Sacramentalibus. Ad hoc argumentum aliud reſpōdere non poſſunt Aduerſarij, quàm Chriſtum eſſe figuratè locutum, cùm dixit: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Verùm hoc Aduerſariorum perfugium iam obſtruximus capite octauo, vbi oſtendimus verba illa Chriſti propriè eſſe intelligenda. II. *Mat. 26. v. 26.* *Mat. 26. v. 26.*

ET ſanè ſi ea propriè intelligantur, negari non poteſt, quin id quod manibus tenebat Chriſtus, III.

fuerit

fuerit eius corpus. Atque hinc eſt quod rectiſſimè dicat ſanctus Auguſtinus, *Chriſtum cùm daret Sacramentum Euchariſtiæ feciſſe quod nemo alius facere poterat: ferebatur enim Chriſtus* (inquit) *in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait: Hoc eſt corpus meum, ferebat enim illud corpus in manibus ſuis.* Ita ſanctus Auguſtinus. Signum ſanè aut figuram corporis ſui facilè poſſet quiuis ferre manibus ſuis, at ipſum ſuum corpus nemo poteſt prę ter Chriſtum, vt rectè monet S. Auguſtinus. Nec refert, quòd alibi eandem ſententiam repetens, addat particulã, *quodammodo*, (id quod nobis obijcit Caluinus) nam vox illa, *quodammodo*, modum vſitatum portationis excludit, non portationis veritatem. Niſi enim CHRISTVS verè portaſſet ſeipſum manibus ſuis, non feciſſet illud, quod nemo alius facere poterat: ſed modus portandi non fuit corporalis aut viſibilis, ſed inuiſibilis, ſpiritualis & myſticus: & hãc ob cauſam meritò addidit S. Auguſtinus particulam, *quodammodo*: nempè quòd non modo vſitato portauerit Chriſtus ſeipſum manibus ſuis, ſed modo quodam alio, inuſitato, & inaudito.

S. Aug. To. 8. in Pſal. 33. conc. 1.

S. Aug. Con. 2. in eundem Pſ. 33.

Calu. l. 4. Inſt c. 17. ſect. 28.

IV.

SECVNDVM argumentum. Sanguis Chriſti in Scripturis ſæpè vocatur calix, ſeu poculum, vt Aduerſarij vertunt. Nam vbi S. Matthæus & S. Marcus habẽt, *Hic eſt ſanguis*, S. Lucas, & S. Paulus habent, *Hic calix*: atqui ſanguis Chriſti non poteſt alia ratione dici calix, niſi quia calice continebatur: igitur ſicut ſanguis Chriſti fuit verè in calice in cœna Domini, ita & iam eſt in calice vbicunque ritè celebratur hoc Sacramentum. Ad hoc argumentum ſolent Aduerſarij reſpondere, non ſanguinem Chriſti, ſed vinum vocari calicem.

Mat. 26. v. 28. Mar. 14. v 24. Luc. 22. v. 20. 1. Cor. 11. v. 25.

VERVM,

VERVM, quæ calici huic tribuuntur à S. Luca, & S. Paulo, nulla ratione vino conuenire poſſunt. Nam inprimis tam S. Lucas, quàm S. Paulus apertè ſcribunt, hunc calicem eſſe teſtamentum nouum Chriſti, vt latiùs ſuprà oſtendimus: atqui nouum Chriſti teſtamentum non vino, ſed ipſo Chriſti ſanguine ſancitum eſſe conſtat. *Su. hic c. 9. §. 11.*

VI. DEINDE S. Lucas expreſsè ſcribit, hoc poculum eſſe effuſum pro nobis (nimirū, *in remiſſionem peccatorum*, vt addit S. Matthæus) id enim euidēter probant verba ſancti Lucæ Græcè ſcripta, quę ita ſe habēt in omnibus Græcis codicibus, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ Διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Nō ait ſanctus Euāgeliſta; τῷ ἐκχυνομένῳ, in datiuo caſu, vt pertineat ad vocem, τῷ αἵματι: quod eſt datiui caſus, ſed dicit τὸ ἐκχυνόμενον in nominatiuo caſu, vt articulus ille τὸ, & participium ἐκχυνόμενον, quæ ſunt ambo nominatiui caſus, neceſſariò referenda ſint ad τὸ ποτήριον (id eſt ad poculum) quod eſt etiā nominatiui caſus: & non ad τῷ αἵματι (id eſt ad ſanguinem) quod eſt in Gręco datiui caſus, nō nominatiui. Id quod olim benè obſeruauit Euthymius, *quod verò dicitur* (inquit Euthymius) *quod pro vobis effunditur, ad poculum referendum eſt. Porrò poculum eſt eius ſanguis*. Cùm igitur dicat S. Lucas, poculum effuſum eſſe, & vinum nequaquam pro nobis effuſum ſit. *Neque enim argento & auro* (ne dum vino) *redempti ſumus, ſed pretioſo Chriſti ſanguine*, vt teſtis eſt S. Petrus, neceſſe eſt vt fateantur Aduerſarij illud, quod poculo continebatur, non fuiſſe vinum, ſed pretioſum Chriſti ſanguinem. *Matt. 26. v. 28.* *Euthy. in hæc verba S. Lucæ, c. 22. v.* *1. Pet. 1. v. 18. 19.*

Ex his etiam manifeſtum eſt Caluinum & Bezam

zam deprauaſſe iſta Chriſti verba, cùm illa ita vertunt latinè: *Hoc poculum eſt nouum teſtamentum per meum ſanguinem qui pro vobis effunditur*; cùm deberent ita vertere, *quod pro vobis effunditur*. Nã effuſio iſta in Græco textu pertinet ad ipſum poculum, & non ad ſanguinem, vt iam oſtendimus. Immò Aduerſarij in omnibus ſuis Biblijs, quæ Gallico ſermone ediderunt, deprauatè tranſtulerunt hæc Chriſti verba ad hunc modum: ***Ceſte couppe eſt le noueau teſtament en mon ſang, qui eſt reſpandu pour vous***, cùm debuiſſent ita vertere iuxta Græcum textum, ***laquelle eſt reſpandue pour vous***, vt nimirum effuſio referatur ad ipſum poculum, quod in lingua Gallica eſt fœminini generis.

VIII. *Caluinus in ſua Harmo. ad hunc locum S. Lucæ Beza ad v. 20. c. 22. S. Lucæ in anno. an. 1560. & 1565.*

CALVINVS quidem cùm hæc Chriſti verba explicat, callidè diſsimulat hanc ſuam deprauationem. At Beza paulò candidior non diſsimulat, agnoſcit enim effuſionem hanc in Græco textu, ſi cõſtructionem ſpectemus, neceſſario non ad ſanguinem, ſed ad poculum pertinere. Agnoſcit etiam, ſe cauſam non videre cur ſolœcophanes Lucas vſurparet: verũ vt eſt procliuis valdè ad Scripturas in dubium adducendas, non veretur aſſerere hæc verba non eſſe ſcripta ab ipſo S. Luca, ſed illa primò quidem in margine adiecta fuiſſe à neſcio quo; poſtea in contextum irrepſiſſe. Fatetur tamen omnes vetuſtos ſuos codices Græcos ita ſcriptum habere.

IX. *Extat hæc Bezæ reſponſio in principio 3 voluminis.*

Hoc cùm in Beza meritiſsimè reprehendiſſet Reuerendiſsimus Dominus Epiſcopus Ebroicenſis Claudius de Sainctes in prima ſua repetitione de Sacramento Euchariſtiæ (quam edidit anno 1575.) ſub initium octaui capitis; Beza in ſua reſponſione ad primam illam repetitionem, cùm venit ad octauum caput Claudij, vt confirmet

met quod antea dixerat, conatur etiam totum *Theol* II.
hunc verſum 20. capitis 22. S. Lucę in dubium re- *Beza.*
uocare: ſcribit namque in quodam antiquiſsimo
manuſcripto codice Græco Latino, qui penes il-
lum erat, totum iſtud non legi; quod apud
Lucam de populo poſteriori loco dicitur. Ita il-
le, ann. 1577. quo tertiò ad Claudium reſpon-
dit.

Sed vt ſolebat Beza in iſtiuſmodi dubitationi- X.
bus indies proficere, in vltimis ſuis annotationib.
in nouum teſtamentum, quas edidit an. 1598. co-
natur non totum duntaxat hunc vigeſimum ver-
ſum huius capitis in dubium vocare, ſed etiam po-
ſteriorem illam partem verſus 19. *quod pro vobis
datur*: quia videlicet hæc omnia etiam deſint in il-
lo ſuo venerandæ ſanè vetuſtatis (vt ipſe loqui-
tur) codice Gręco Latino. Neque enim valdè pla-
cent aduerſarijs iſta Sancti Lucæ verba: *Quod pro
vobis datur.* Nam & ex illis apertè conuincitur,
Chriſtum hic inſtituiſſe verum Sacrificium pro-
pitiatorium, vt infrà explicabimus in Contro-
uerſia de Sacrificio Miſſæ.

Adhæc, conatur Beza eodem loco & alios du- XI.
os verſus huius capitis in dubium adducere, ni- *Beza in*
mirum verſum 17. & 18. quòd apud Syrum inter- *vltimis*
pretem, maximæ meritò authoritatis (ſi Bezæ *ſuis annot.*
credimus) non extent. Neque enim ſatis placet *ad v. 17.*
Bezæ, quòd Euangeliſta Lucas tam ſæpè & tam *c. 22. S.*
multa ſcribat de hoc poculo. *Luca.*

Ex his facilè eſt animaduertere, quàm parui æ- XII.
ſtiment Aduerſarij Sacras Scripturas: nam ſi quid
ex illis profertur, quod illorum placitis aduer-
ſatur, apertiſsimis Scripturæ ſacræ verbis minimè
cedunt, ſed ſtatim aſſeuerare non dubitant, exem-
plaria omnia tam Græca quàm Latina deprauata
eſſe.

Digitized by Google

XIII. Est & hoc quoque in vltimis Bezæ Annotationibus obſeruandum, quòd in eadem pagina pugnantia ſcribat. Nam cùm ad verſum 17. dixiſſet ſuum illum codicem, venerandæ antiquitatis ſcilicet, omittere totum verſum 20. paulò poſt cùm peruenit ad vltima illa verba verſus vigeſimi, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, ita ſcribit, *Quia tamen hoc etiam legitur apud Syrum interpretem & in omnibus quos inſpeximus Græcis Codicibus minimè prætermiſſi.* Ita ille. Si in omnibus quos inſpexit Græcis codicibus hoc inuenit, ſine dubio inuenit & in illo ſuo codice venerandæ Antiquitatis, quod paulo antea negauerat: vel certè ſuum illum venerandæ Antiquitatis codicem non inſpexit, quem antea ſe inſpexiſſe gloriabatur.

XIV. Porro leue eſt illud argumentum, quo conatur Beza probare illud, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, non fuiſſe ſcriptum à ſancto Luca; quia nimirum hoc non additur apud ſanctum Paulum, qui tamen videtur ex hoc loco S. Lucæ deſcripſiſſe cœnæ Dominicæ inſtitutionem. *Qua ratio* (inquit Beza Claudium alloquens) *maximi eſt momenti, quamuis à te negligatur.* Sed meritò neglecta fuit hæc ratio à Claudio. Nam quiſnam quæſo reuelauit Bezæ ſanctum Paulum ſua deſcripſiſſe ex S. Luca? Certè S. Paulus apertè teſtatur, ſe non à Luca, ſed ab ipſo Domino accepiſſe, quæ tradit Corinthijs de Inſtitutione huius Sacramenti, cùm dicat: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.*

1. ad Cor. 11. v. 25.
Beza in illa ſua reſp. ad c. 8. Claud.

1. ad Cor. 11. v. 25.

XV. Præterea ſi ſancto Irenæo (qui proximus fuit Apoſtolorum ætati) credimus, multis etiam annis ſcripſerat ſanctus Paulus ad Corinthios, antequam ſanctus Lucas ſuum conſcriberet Euangelium;

S. Irenæus l. 3. cap. 1.

Digitized by Google

gelium; quippe qui non ante ſcripſerat quàm ſan-
cti Apoſtoli Petrus & Paulus Romanam funda-
rent Eccleſiam; at ſatis conſtat ſanctum Paulum
diu antequam proficiſceretur Romam, ſcripſiſſe
ad Corinthios.

Et ſanè longè probabilius eſt S. Paulum ſcri- XVI.
pſiſſe ad Corinthios, antequam S. Lucas ſcriberet *Baron.*
ſuum Euangelium, vt doctè commonſtrat Cæſar *tom 1. An-*
Baronius. Non eſt igitur verum, quod pro certo *nal. ann.*
aſſumit Beza, S. Paulum ea quæ ad Corinthios *57. num.*
ſcribit ex S. Lucæ Euangelio deſcripſiſſe. Vt inter- *1 & 2 &*
ea omittamus S. Paulum non in hoc ſolo differre *an. 58. n.*
à ſancto Luca, quòd omittat illa verba, *quod pro* *31.*
vobis effunditur: ſed & in alijs quoque. Habet enim *1. Cor. 11. v. 24.*
S. Paulus illa verba, *accipite, & manducate*, quæ S. *1. Cor. 11.*
Lucas non habet. Habet & bis illa verba, *hoc faci-* *v. 24. &*
te in meam commemorationem, quod Lucas non ha- *25.*
bet niſi ſemel. Habet poſtremo: *Quod pro vobis* *1. Cor. 11.*
tradetur, ſeu *frangitur*? vbi S. Lucas habet: *Quod* *v. 24.*
pro vobis datur. *Luc. 22. v. 19.*

QVOD verò ex S. Baſilio allegat Beza, eiuſdem XVII.
eſt momenti: dicit enim ſanctum Baſilium legere
hæc verba in datiuo caſu, τῷ ἐκχυνομένῳ. Sed
meminiſſe debuiſſet Beza eorū, quæ ipſemet ſcri-
pſerat alibi: *Non exiſtimandum eſſe veteres ſcriptores* *Beza in*
ſeu Græcos ſeu Latinos, quoties locum aliquem citarent, *epiſtola*
toties vel libros inſpexiſſe, vel ſingula verba numeraſſe: *ad Eliz.*
fuiſſet enim hoc infiniti penè laboris nec prorſus neceſ- *Reginam*
ſarij. Ita Beza. Et ſanè S. Baſilium in iſtis ſuis mo- *Angliæ,*
ralibus Regulis, quas citat BEZA, multa Scri- *quam*
pturæ loca aliter legere, quàm extent in nouo *præfixit*
Teſtamento euidentiſſimum eſt. Senſum qui- *ſuis an-*
dem non mutat, ſed verba ſæpiſſimè. Quod *not. in no-*
ſi corrigendus eſſet textus noui Teſtamenti ad *uum teſ.*
ea, quæ in illo libro refert S. Baſilius, infinita *edit anno 1565.*

ferè loca noui Teſtamenti corrigenda eſſent. Vnum aut alterum exempli cauſa adferemus ex illa ipſa regula vigeſima prima, ex qua Beza deſumit ſuum argumentum.

XVIII. *Ioa.6.v. 64.* CITAT S.Baſilius in eadem regula verba illa S.Ioannis: *Spiritus eſt qui viuificat: caro non prodeſt quicquam*: verùm inuerſo planè ordine ad hunc modum: *Caro non prodeſt quicquam, Spiritus eſt qui viuificat.* Deinde cùm adfert verſum vigeſimum ſextum capitis vigeſimi ſexti ſancti Matthæi, vbi communiter legitur εὐλογήσας id eſt, benedixit, ipſe ex S. Luca legit εὐχαριστήσας, id eſt, gratias egit. Denique ipſiſmet verbis de calice, quæ citat Beza, S. Baſilius addit verbum ἐστί, quod non extare apud S.Lucam agnoſcit ipſe Beza. Senſum igitur ſequitur S.Baſilius, at de ſingulis verbis ſollicitus non eſt. *Beza in c.22. S. Lucæ, ad verſ. 20.* Porrò idem ſenſus eſt, ſiue dicamus calicem effundi pro nobis, ſiue ſanguinem Christi: nam neque dicitur calix effundi pro nobis, niſi quatenus calix ſignificat ſanguinem CHRISTI, qui tunc fuit in calice. In eo tantum eſt diſcrimen, quòd ex effuſione calicis neceſſariò conficitur, ſanguinem Chriſti fuiſſe in calice: id quod ex effuſione ſolius ſanguinis certò colligi non poteſt; vtrumque itaque recipiendum eſt, neutrum repudiandum.

XIX. *Beza ad illud c. 8. Claudij de Sain. loco cita. pag 19.* ILLA etiam Bezæ cauillatio potiùs, quàm argumentatio, facilè refutatur, *Si calix* (inquit Beza) *ſignificat ſanguinem, ſenſus horum verborum Lucæ erit: Hic ſanguis eſt nouum Teſtamentum, in ſanguine meo; quo nihil eſt abſurdius.* Sed fallitur Beza; non enim dicimus calicem in hac oratione ſignificare ſanguinem proximè, & ex vi vocis, ſicut vox ſanguinis ſignificat ſanguinem: ſed tantùm conſequẽter, &

Digitized by Google

ter,& ratione vocum in eadem oratione adiunctarum. Nam calix proximè,& ex vi vocis ſignificat contentum in calice,quidquid tandem illud ſit,ſiue aqua,ſiue vinum,ſiue ſanguis,ſiue lac,ſiue quoduis aliud quod potari poteſt. Quod autem hic apud S. Lucam vox calicis ſignificet ſanguinem Chriſti,non eſt ex vi ſolius vocis calicis,ſed ex eo,quod additur in eadem oratione, nimirum quod hic calix dicatur effundi pro nobis. Cùm igitur vox calicis ex ſe aliud non ſignificet, quàm iſte ; contentum in hoc calice , ſenſus horum verborum eſt iſte ; contentum in hoc calice,quod effunditur pro vobis,eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine,hoc eſt , eſt nouum teſtamentum, quod per meum ſanguinem ſancitur.

HAEC S. Lucæ verba paulò fuſiùs explicanda fuerunt,quod cùm illa euidentiſsimè conuincant ſanguinem Chriſti fuiſſe in calice,Aduerſarij varijs artificijs & dolis contendant ea deprauare, quibus proinde obuiandum fuit. Nunc ad reliqua progrediemur. XX.

TERTIVM argumentum. Debemus nos ita fide percipere corpus & ſanguinem Chriſti, ſicut ea perceperunt Apoſtoli in cœna nouiſsima : hoc enim ſignificat præceptum illud Chriſti, *Hoc facite,&c.* Atqui Apoſtoli in cœna non aſcenderunt per fidem in cœlum, vt ibi manducarent corpus Chriſti:quia corpus Chriſti nondum erat in cœlo:ſed cùm certiſsimè crederent verbis illis Chriſti, *Accipite & comedite; hoc eſt corpus meum*, fide apprehenderunt corpus Chriſti in illo ſigno , quod Chriſtus dabat illis,& quod iuſsit eos manducare,& quod pro nomine demonſtratiuo, *Hoc* , vnà XXI. *Luc. 22. v. 19.* *Matt. 26. v. 26.* *Calu. l. 4. Inſt. c. 17. ſ. 8.*

 cum

cum ſuo corpore demonſtrabat. Erat enim ſignum rei præſentis, non abſentis, quemadmodum agnoſcunt omnes Caluiniani, vt & Caluinus ipſe.

XXII. Nec ſatis eſt, quod reſpondet Beza, non longiùs Apoſtolos quærere Chriſtum oportuit in ipſa menſa aſsidentem. Nam iſta apprehenſio corporis Chriſti, qua Apoſtoli illud cernebant in menſa ipſis viſibiliter aſsidens, non fuit apprehenſio fidei, quam hic quærimus, ſed oculorum corporalium, quo modo Chriſtus videbatur etiam à ſuis inimicis: hic autẽ quærimus apprehenſionem corporis Chriſti, quæ fit fide, non oculis, nã & beſtię etiã oculis apprehendebãt corpus Chriſti. Neceſſe eſt igitur, vt Apoſtoli in cęna, vel in ipſis ſignis, iuxta Chriſti verba, fide apprehenderint eius corpus & ſanguinẽ, vel certè nulla prorſus fidei apprehenſione apprehẽderint corpus & ſanguinẽ Chriſti. Fuerunt igitur corpus Chriſti & ſanguis verè, & reipſa præſentia in illis ſignis, cùm fides vera res falſas, commentitias, aut fictas non apprehendat.

Beza in 2. ſua reſponſione ad Claudium de Sainc volum 2 pa. 314 Edit. Geneu. an. 1582.

XXIII. His argumentis conuicti nonnulli ex Aduerſarijs, verbotenus concedunt vnionem, coniunctionem atque præſentiam, non tantùm inter animam noſtram, & corpus atque ſanguinem Chriſti, ſed etiam inter ſigna Sacramentalia panis & vini, & corpus atque ſanguinem Chriſti: ita vt, concedant corpus & ſanguinem Chriſti verè vniri pani & vino. Sic inter alios docet Franciſcus Iunius Biturix, cuius hæc ſunt verba: *Ratione Sacramentorum in ſe aduuatur verè corpus Chriſti pani & vino.* Idem ante illum docuit Petrus Boquinus, & ipſe quoque Biturix, ſed qui Heidelbergæ in Palatinatu Germaniæ profeſſus eſt Theologiam, quique rem totam fuſiùs explicat.

Iunius in Theol. theſibus editis, an. 1600. th. 14. Boqu. in l cuius titulus eſt, Exa-

SED

SED iſti reuera verba nobis dare conantur: nam per vnionem hanc (quam illi pulchro nomine Sacramentalem vocant) in rei veritate non aliam intelligunt, quàm illam, quæ eſt inter ſignum, & rem ſignificatam, quantumuis remotam. Enimuero cùm Boquinus declarat hanc ſuam nouam vnionem; dicit *hanc non eſſe localem, nec ſecum ferre incluſionem, aut comprehenſionem aliquam localem, aut corpoream, ſed eſſe talem qualis eſt ſigni & rei ſignata, & panem ita continere corpus Chriſti ſicut vox continet rem procul poſitam, quam ſignificat.* Quare huiuſmodi præſentia & vnio, nec vera vnio eſt, nec vera præſentia, ſed tantùm imaginaria, & à ſola mentis phantaſia conficta. Nihil enim ineptius eſt, quàm exiſtimare hominem ante mille annos mortuum, & à vermibus conſumptum, verè eſſe præſentem, vbicunque eſt eius imago, ſiue in Europa, ſiue in Aſia, ſiue in remotiſsima mundi regione: aut hominem illum mortuum verè vniri huiuſmodi imagini, aut denique verè vniri voci, & verè eſſe præſentem in voce illorum omnium, qui de eo loquuntur, cùm vox nihil aliud ſit, quàm accidens per aerem illico permeans & tranſiens, cui ſubſtantia hominis ineſſe non poteſt. Verùm contra hanc imaginariam prçſentiam ſatis ſuperque diſputauimus in quinto & ſexto capite huius Controuerſiæ.

mē libri, quem Tilmannus Heſhuſius ſcripſit & inſcripſit, de præſentia corporis Chriſti in cœna Ed. eſt Baſileæ ann. 1571.

XXI. A

Boquinus pag 190. libri citati.

PORRO argumenta, quæ contra præſentiam corporis Chriſti in Sacramento deſumunt Aduerſarij ex ipſa Scriptura, leuiſsima ſunt. Obijciunt ſpræcipuè & frequentiſsimè Chriſtum ſedere ad dexteram Patris. Verùm nemo eſt, qui id neget: ſed dicimus cum S. Chryſoſtomo: *O miraculum, ò Dei benignitatem, qui cum Patre ſurſum ſedet in il-*

XXV.

S. Chryſ. l. 3. de Sacerd. c. 4.

in illo ipſo temporis articulo omniū manibus pertractatur. Cæterum quod adijciunt corpus Chriſti non poſſe eſſe in tot locis, eodem tempore, nuſquam habetur in Scripturis, ſed ex Philoſophica quadam ratione deſumitur, quæ infra ſuo loco diluenda erit, cùm agemus de naturalibus rationibus quas nobis obijciunt Aduerſarij.

Vide infra c. 15. § 3. & c. 19. § 10.

XXVI. OBIICIVNT ſecundò, *Cœlum capere Chriſtum vſque ad diem iudicij.* Lutherani reſpondēt ſenſum huius loci non eſſe, quòd cœlum capiat Chriſtum, ſed quòd Chriſtus capiat cœlum. Nam reuera Græcus textus, & etiā Latinus vulgaris editionis eſt ambiguus. Sed non eſt opus eò confugere; nam hac phraſi nihil aliud ſignificatur, quàm quòd Chriſtus, vt homo, erit ſemper in cœlo, vſque ad diem iudicij, & quòd tunc deſeret cœlū ad breue tempus, vt mundum in viſibili forma hominis iudicet. Nam eadem forma loquendi, homines quidem dicuntur *capere verbum Dei, Gratiam Dei, Regnum Dei, verba vitæ*, non quòd iſta omnia in illis ſolis eſſent, & non etiam in alijs multis, ſed quòd hæc verè in illis eſſent. Ita & cœlum dicitur capere Chriſt corpus, non quòd non poſſit eſſe alibi, ſed quia verè in cœlo eſt, & erit ſemper, nec illud deſeret vſque ad diem iudicij.

Act. 3. v. 21. *Act. 11. v. 1. 2. Cor. 6 v 1. Lu. 18. v. 17. Act. 7. v. 38.*

XXVII. OBIICIVNT tertiò Chriſtum dixiſſe apud S. Matthæum *Me non ſemper habebitis vobiſcum*: ſed idem Chriſtus dixit apud eundem S. Matthæum: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* Illud enim de ſua viſibili præſentia intelligitur, iſtud de inuiſibili: cuiuſmodi eſt eius præſentia Sacramentalis in Euchariſtia, quæ ſola fide percipitur.

Matt. 26 v 11. Matt. vl. v. vlt.

XXVIII. OBIICIVNT denique Chriſtum dixiſſe, *Ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Sed perſpicuum eſt,

Ioan. 16. v 10.

um eſt, Chriſtum loqui de viſione oculorum, nõ de viſione fidei, quam conſtat ſemper eſſe neceſſariam, dum in hoc ſeculo viuimus: at corpus Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento non videtur oculis corporeis, ſed ſola fide, *ab his, qui illuminatos habent oculos cordis, ſeu mentis.* *Eph. 1. v. 18.*

XXIX. Alia omnia argumenta Aduerſariorum contra hoc caput, quæ ſunt alicuius ponderis, ducuntur ex rationibus naturalibus: de quibus poſtea agemus. *Vide infra c. 18. & 19.*

CAPVT XIII.

Corpus Chriſti verè manducari ab indignis.

I. HOc illud eſt, quod vltimo loco probandum contra Caluinianos ſuſcepimus. Porrò error iſte Aduerſariorum (quod nimirum illi, qui indignè recipiunt Sacramentum Euchariſtiæ, non recipiant, nec comedant corpus Chriſti, ſed illi duntaxat, qui dignè percipiunt) adeò aduerſatur & Scripturis ſacris, & rectæ rationi, vt aduerſarij in illum nunquam delapſi fuiſſent, niſi vi argumentorum coacti, ne ſcilicet alios iam ſuſceptos errores deſererent. Nam ſimul ac docuerunt corpus Chriſti, non reipſa & ore corporeo, ſed ſola fide viua accipi; inde conſequẽter coacti fuerunt fateri, corpus Chriſti non ſumi ab illis, qui hac fide carent, cuiuſmodi ſunt illi, qui indignè ſuſcipiunt hoc Sacramentum. Verùm hoc Aduerſariorum dogma & ſacris Scripturis, & ipſi naturæ Sacramentorum aduerſari, his argumentis oſtendimus.

II. Primvm argumentum. Apoſtolus apertè

dicit, quòd *quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*: eſt igitur corpus Domini & ſanguis, quod manducat & bibit indignè indignus. Neque enim poteſt ille eſſe reus corporis & ſanguinis Chriſti, qui nihil recipit niſi panem & vinum.

1. Cor. 11. v. 27.

III. INFIRME & variè reſpondent Aduerſarij ad hæc Apoſtoli verba: qua in re ſatis declarant ſe nihil certum & ſolidum habere, quod reſpondeant. Aliqui dicunt eos, qui indignè recipiunt Sacramentum, ideo eſſe reos corporis & ſanguinis Chriſti, quia indignè recipiunt panem & vinum, quæ ſunt ſigna, figuræ, & imagines corporis & ſanguinis Chriſti. Verùm noua eſt iſta, & mira Aduerſariorum religio in imagines: nam quas alibi vt Idola reijciunt, hic nimis extollunt. Ita Petrus Vermilius (qui ſe martyrem falsò nominat) & fuſiùs Petrus Boquinus Biturix, qui id ridiculè probat ex eo, quòd Chriſtus ipſe dicatur læſus, cùm læditur homo pius, qui eſt imago Chriſti; quod ſanè ideo euenit, quia homo pius eſt non tantùm imago Chriſti, ſed etiam membrum viuum myſtici corporis Chriſti, nempè Eccleſiæ, id quod non eſt panis aut vinum. Eodem ſpectat, quod dicit Beza, indignum eſſe reum corporis & ſanguinis Chriſti, ob iniuriam illatam ſignis Sacramentalibus corporis & ſanguinis Chriſti.

Petrus Mar. in c. 11. prioris ad Cor. ad v. 27. Boquinus in examine l. Heshuſij citati, pag. 164. & ſeq. Beza cōtra 1. Repetit. Claudij de Sainctes ad c. 9.

IV. SED quidquid tandem dicant Aduerſarij de imaginibus, aut ſignis, aut Symbolis, aut Myſterijs (tot enim diuerſis nominibus appellant illi ſigna Sacramentalia panis & vini) aut de iſtorum ſignorum abuſu, quem non negamus eſſe impium: ſatis conſtat Apoſtolum hic non loqui de abuſu

Digitized by Google

ſignorum duntaxat, ſed etiam de iniuria illata i- pſi corpori & ſanguini Chriſti, id quod Beza tandem ingenuè fatetur. Nam cùm videret verba Apoſtoli aliud planè ſignificare, quàm abuſum ſolius ſigni ſenſibilis, agnoſcit Apoſtolum etiam loqui de iniuria, eaque præcipua, quæ infertur rebus ſignificatis, corpori videlicet & ſanguini Chriſti. Verba enim Apoſtoli ſunt perſpicua. *Beza ad c. 9. citat. p. 39. Edi. Gen. an. 1582.*

V. IN primis, quia non dicit eos qui indignè ſumunt eſſe reos ſignorum duntaxat, *ſed eſſe reos corporis & ſanguinis Domini*. Quibus verbis ſignificat non vulgare aliquod crimen committi, cuiuſmodi eſt indigna vſurpatio quorumuis ſignorum ſacrorum, ſed immane flagitium; idque contra ipſum corpus Chriſti. Non ſecus quàm ſi quis ipſum Chriſti corpus interficeret, & ſanguinem crudeliter effunderet. Id enim ſignificare hominem eſſe rerum corporis & ſanguinis Chriſti, teſtantur Patres antiqui, ſanctus Chryſoſtomus, Theodoretus, author Commentariorum, quæ extant apud ſanctum Ambroſium, Theophylactus, Oecumenius, cùm hæc verba explicant. Et rectè, nam aliquem reum eſſe alicuius rei, eſt illum teneri pretio, vel æſtimatione rei illius: ſeu tantùm debere, quantùm valet res illa. Hinc reus ſanguinis humani dicitur is eſſe, qui ſanguinem humanum effundit: & reus corporis humani, qui corpus exanimat & interimit. *1. Cor. 11. v. 27.*

VI. DEINDE cùm paulò poſt explicat Apoſtolus quanam ratione ſint iſti rei corporis & ſanguinis Chriſti, dicit eos propterea eſſe reos, quia *non diiudicant corpus Domini*, hoc eſt, non diſcernunt illud à cibis communibus, vt interpretantur ipſi etiam Aduerſarij. Cauſa igitur damnationis eſt, quòd *1. Cor. 11. v. 29. Calu. Beza ad illum v. 29.*

PORRO Beza & Caluinus cùm ſatis animaduerterent abſonam eſſe hanc Boquini reſponſionem, aliam excogitarunt. Agnoſcunt quidem Apoſtolum affirmare indignum, iniuriam inferre non tantùm ſignis Sacramentalibus, ſed etiam ipſi corpori & ſanguini Chriſti. Dicunt tamen id fieri, non *quia indignus male recipit corpus & ſanguinem Chriſti, ſed quia hæc illi oblata reijcit, vel ſaltem recipere negligit*. Ita iſti. Verùm & hoc perfugium valdè eſt inſolens, atque contra expreſſa Apoſtoli verba. Apoſtolus enim apertè tribuit cauſam huius damnationis ipſi indigno eſui, & ipſi potationi indignæ, idque non ſemel, ſed bis. Etenim primò dicit: *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*. Quibus verbis affirmat ipſum manducare & bibere indignè, cauſam eſſe, cur homo ſit reus corporis & ſanguinis Chriſti. Secundò ſtatim addit. *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit*. Vbi rurſus aſſerit ipſum manducare & bibere indignè eſſe cauſam iudicij ſeu damnationis. At aduerſarij è contrario nolunt eſum, ſed non eſum, eſſe cauſam damnationis; nolunt potationem, ſed non potationem eſſe cauſam damnationis; quia videlicet indignus oblatum corpus non vult edere, & oblatum ſanguinem non vult bibere. Quod nihil eſt aliud, quàm ſacræ Scripturæ verba ad arbitrium contrarijs omninò expoſitionibus eludere. Manducare enim interpretantur, non manducare; & bibere, non bibere. Verùm ſicut Apoſtolus, dum bis mentionem facit corporis Domini, oſtendit priorem Aduerſariorum reſpōſionem eſſe friuolam: ita dum bis meminit eſus & potationis, poſteriorem hanc Caluini, & Bezæ reſponſionem

VIII.

Cal. ad hunc v. 27. & l. 4. Inſt. c. 17 ſec. 31. Beza cōtra 1. Repetitionē Claudij de Sain. ad c. 9. 1. Cor. 11. v. 27.

nem declarat eſſe manifeſtam corruptelam.

IX. SECVNDVM argumentum. Apoſtolus affirmat, quòd *ille qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit*: ſed ſola panis & vini perceptio iudicium adferre non poteſt animæ; neceſſe eſt igitur, vt hoc iudicium infligatur propter indignam acceptionem corporis & ſanguinis Chriſti, quæ indignus vſurpare non veretur. Sunt ex Aduerſarijs qui iudicium interpretantur ſignum iudicij. Sed hos meritò impugnat ipſemet Beza, Quandoquidem Sacramenta Chriſti ſigna ſunt rerum bonarum & vtilium, non malarum & perniciosarum, cuiuſmodi eſt iudicium ſeu damnatio æterna. Neq; enim eſt baptiſmus ſignum inquinati animi, ſed abluti: quemadmodum & olim circumciſio ſignum fuit fœderis cum Deo, & amicitiæ non inimicitiæ: nam cum pernicies non naſcatur ex vſu, ſed eſt abuſu Sacramenti, Sacramentum vſum ſignificat, non abuſum. Iudicium igitur hoc in loco ſignificat ipſum Chriſti corpus, quod manducatur indignè, & ipſum Chriſti ſanguinem, qui indignè bibitur: idque cauſali attributione, qua effectus tribuitur ſuæ cauſæ, & quã ſuprà oſtendimus frequentiſsimam eſſe in Scripturis ſacris. Quemadmodum enim corpus Chriſti vita eſt bonis, quia illis dat vitam: ita malis eſt mors, iudicium & damnatio; quia hæc infert indignè ſumentibus, idque iuſtiſsimè. Ita ſanctus Auguſtinus dicit, *Iudam manducaſſe pœnam*, id eſt, cauſam pœnæ: *& cæteros Apoſtolos vitam*, id eſt, cauſam vitæ. Verè igitur & propriè loquitur Apoſtolus, cùm dicit, illum *qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi ipſi manducare & bibere*, talis enim cauſam ſui iudicij & damnationis comedit & bibit, ipſum nempe Chriſtum, qui de ſeipſo ita loquitur:

1. Cor. 11. v. 29.

Beza cõtra 1. Repetitionẽ Claudij de Sainc. ad c. 9. vbi reſp. ad 4 Argument. Claudij p. 39. Edi. an. 1582.

Su. c. 9 §. 11. & 12.

S. Aug. to. 9. tract. 59. in Io.

1. Cor. 11. v. 29.

quitur: *Omne iudicium dedit Pater filio*: quòd ſi omne, & iſtud quoque. *Io. 5. v. 22.*

X.

Tertium argumentum. Aduerſarij dum pertinaciter defendunt indignos non ſumere corpus Chriſti, imprudentes incidunt in hæreſim Donatiſtarum olim damnatam ab antiquis Patribus & Concilijs. Nam cùm duo ſint in Sacramẽto; veritas Sacramenti, & fructus illius: quamuis fructus pendeat à fide & dignitate ſumentis, tamen veritas Sacramenti minimè; vt in multis libris contra Donatiſtas probat S. Auguſtin. & fatetur ipſe Caluinus. Porrò corpus Chriſti & ſanguis ad ipſam ſubſtantiam & veritatem huius Sacramenti pertinent: ipſam enim ſubſtantiam huius Sacramenti duabus rebus conſtare, terrena & cœleſti nimirum ſignis viſibilibus panis vinique, & corpore & ſanguine Chriſti, agnoſcunt non tantùm Catholici omnes cum ſancto Irenæo, ſed etiam Caluiniani, & nominatim ipſe Caluinus, qui expreſsè ſcribit, *Hoc ſemper in Eccleſia receptum fuiſſe, & hodie docere omnes, quicunque rectè ſentiunt.* Cùm igitur corpus & ſanguis Chriſti pertineant ad ipſam ſubſtantiam Sacramenti, ſi indignus ea non recipit, ſed dignus tantummodò, veritas Sacramenti pendebit à recipientis dignitate: atque hoc ipſum eſt, quod olim docebant Donatiſtæ.

Lib. hi S. Auguſt. habentur Tom. 7. Calu. l. 4. Inſt c. 14. ſect. 15. & 16.

S. Irenæus l. 4. c. 34. Calu. l. 4. Inſt. c. 17. ſect. 11.

XI.

Vidit quidem Caluinus hanc difficultatem, cui conatur ita ſatisfacere: aliud enim eſſe ait offerre, aliud recipere. Fatetur Chriſtum omnibus verò offerre, dare, exhibere & porrigere corpus ſuum & ſanguinem, ſed hæc dicit non recipi ab indignis: & ad integritatem Sacramenti ſufficere, quòd corpus Chriſti & ſanguis omnibus offerantur.

Calu. l. 4. Inſt. c. 14. ſect 16. & c. 17. ſe. 33. Beza cõtra 1. Reſpetis.

rantur. Idem reſpondet Beza. Idem & cæteri omnes Caluini ſectatores. Et illi quidem hac reſponſione putant ſe euaſiſſe omnem difficultatem: ſed reuera nihil reſpondent ad propoſitum, & prætera conijciunt ſe in maiores anguſtias, vt iam probabimus.

Claudij de Sainctes ad c.9.

XII. In primis quod dicunt corpus Chriſti offerri, ſed non recipi, nihil eſt ad propoſitum: quia non erat diſputatio inter Catholicos & Donatiſtas, an Sacramentum daretur tantùm, ſed an etiam verè reciperetur, quoties recipiuntur ſigna viſibilia iuxta Chriſti inſtitutionē, ſiue ille qui dat, aut percipit, ſit dignus, ſiue indignus, ſiue credat, ſiue non credat; neceſſe erit igitur, vt Aduerſarij amplectātur hæreſim Donatiſtarū, vel certè fateantur corpus Chriſti & ſanguinem nō tantùm offerri & dari, ſed etiam percipi ab indignis cùm alioqui indigni non reciperent verum & integrum Sacramentum.

XIII. Sed exemplo res hęc clarior euadet. Cùm verbi gratia, homo hæreſi imbutus baptizatur ab hæreticis, vel recipit Baptiſmum, vel non recipit: ſi recipit, ſequitur neceſſariò, quòd verum & integrū Sacramētum non tantùm offeratur, ſed etiam recipiatur ab indigno & infideli. Si autem talis non recipit Baptiſmum, non erit ille verè baptizatus: non enim poteſt vllus baptizari, niſi recipiat Baptiſmum, *Sacramentum enim baptiſmi eſt, quod habet qui baptizatur*, vt ait S. Auguſtinus contra Donatiſtas diſputans. Quód ſi talis nondum eſt baptizatus, rectè fecerunt Donatiſtæ, qui talem rebaptizabant, & impiè Catholici, qui id vetabant. Manifeſtum igitur eſt Aduerſarios in Donatiſtarum errorem incidere, dum docent receptionem Sacramenti pendere à dignitate recipientis: eoſq; in ea-

S. Aug. Tom. 7. de Baptiſmo cōtra Donatiſtas l. 1. c. 1.

in eadem ſalebra hærere, in qua olim hæſerunt Donatiſtæ. Nam cùm Donatiſtæ neſcirent diſtinguere inter veram receptionem, & vtilem receptionem Sacramenti, vt ſæpè teſtatur S. Auguſtinus, putarunt nullam eſſe aliam receptionem, niſi vtilem, id quod Caluinianis etiam nunc euenit, qui non agnoſcunt corpus Chriſti poſſe recipi, niſi vtiliter, vt poſteà clariùs oſtendemus.

S. Aug. Tom. 7. per tot. l. l de Baptiſmo contra Donatiſtas.

Porrò illud eſt ab omni ratione alieniſsimũ, quòd Aduerſarij non erubeſcant affirmare S. Auguſtinum ipſorum ſententiam comprobare, quaſi S. Auguſtinus quoq; fuiſſet Donatiſta, cùm ille integros libros, eoſque non paucos, ex inſtituto ſcripſerit contra hanc hæreſin Donatiſtarum, præſertim verò ſeptem illos libros de Baptiſmo contra Donatiſtas, qui habentur tom. 7. Operum ipſius: in quibus perſpicuè probat; vera & integra Sacramenta non tantùm offerri, ſed etiam recipi ab indignis & infidelibus, qui ea recipiunt ſine fide, & extra Eccleſiam: quamuis effectus & fructus Sacramenti haberi non poſsit extra Eccleſiam, aut ſine fide & dignitate recipientis. XIV.

Deinde Caluiniani hac ſua reſponſione conijciunt ſe in maiores anguſtias. Nam cùm admittant corpus & ſanguinem Chriſti ſaltem dari & offerri, idque non minus verè indignis quàm dignis, neceſſe eſt, vt multa conſequenter nobis concedant, quæ parùm cohærent cum ipſorum doctrina. Primum eſt, Neceſſe eſt vt agnoſcant duas præſentias corporis Chriſti, inter ſe diſtinctas, quæ nequaquam confundi debent. Vna eſt illa, qua Chriſtus eſt vtiliter præſens ipſi recipienti, illique ad ſalutem & vitam æternam vnitur, coniungitur, & copulatur: neque enim aliam præſen- XV.

tiam cum recipiente agnoſcunt præter vtilem, Donatiſtarum more. Sed vt hoc illis demus, certè de iſta vtili pręſentia hîc non diſputamus: ea enim non pertinet ad ſubſtantiam aut integritatem Sacramenti; ſed ſpectat ad effectum & fructum illius. Alia eſt præſentia corporis Chriſti cum ipſo ſymbolo panis, & cum verbis Chriſti, quæ tum proferuntur, cùm fit Sacramentum: hæc enim sũt viſibilia ſigna præſentis corporis Chriſti. Neque enim poſſet corpus Chriſti verè dari, offerri, exhiberi, & porrigi (vt loquuntur Aduerſarij) indigno & non credenti, niſi eſſet præſens in ſigno, vel vnà cum ſigno. Enimuerò cùm hoc ſignum ſit indicium rei præſentis, non abſentis (vt omnes Caluiniani agnoſcunt) neceſſe eſt vt res ſignificata, corpus ſcilicet Chriſti, ſit verè pręſens, cũ indignus cõmunicat, vt verè exhiberi poſsit indigno.

Hvc ſpectant & illa Caluini verba, quę ei extorſit ipſa veritatis lux: *Atque hæc* (inquit) *eſt Sa-*
XVI. *cramenti integritas, quam violare totus mundus non po-*
Cal. l. 4. *teſt, carnem & ſanguinem Chriſti non minus verè dari*
Inſt. c. 17. *indignis, quàm electis Dei fidelibus*. Ita Caluinus. Si nõ
ſect. 33. minùs verè datur corpus Chriſti indignis quàm dignis, neceſſe eſt vt corpus Chriſti verè adſit pręſens, cùm datur indigno: at non poteſt eſſe pręſens per fidem ſuſcipientis; nam ponimus illũ, qui indignè ſuſcipit, carere fide (nemo enim eſt magis indignus, quàm ille qui fide caret) ex quo conficitur, quòd corpus Chriſti non poſsit aliter eſſe præſens, niſi in Sacramento, vt ſcil. in Sacramento & per Sacramentum viſibile verè detur indigno, cùm non poſſet aliter verè dari indigno, qui fide caret. Eſt igitur pręſentia aliqua corporis Chriſti cùm ipſo ſigno viſibili, præter illam, quæ eſt corporis Chriſti cum recipiente per fidem.

Secvn-

Digitized by Google

Secundum, quod neceſſariò debent concedere Caluiniani, eſt quòd donatio ſeu exhibitio iſta corporis Chriſti, quam fatentur pertinere ad ſubſtantiam Sacramenti, pendeat duntaxat à recta adminiſtratione Sacramenti, & non à fide recipientis: quia corpus Chriſti non minus verè datur indignis, & infidelibus, quàm fidelibus, vt iam ex Caluino diximus. Ac proinde quando diſputamus de præſentia iſta corporis Chriſti, quæ pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti, non eſt confugiendum ad fidem recipientis, vt ſolent facere Aduerſarij, cùm iſta præſentia non pendeat à fide recipientis. Fides enim recipientis prodeſt tantùm ad intimam illam & vtilem præſentiam corporis Chriſti cum recipiente, quæ eſt effectus huius Sacramenti, non autem pars eius ſubſtantialis, quemadmodum eſt præſentia illa corporis Chriſti cum ſigno viſibili. XVII.

Hinc etiam ſequitur, quòd cùm diſputamus de præſentia iſta, quæ ſpectat ad ſubſtantiam & integritatem Sacramenti, non ſit confugiendum ad præſentiam corporis Chriſti in cœlis, vt ſæpè faciunt Aduerſarij. Nam cœleſtis iſta præſentia non cognoſcitur aut apprehenditur niſi fide, ſed fides recipientis non pertinet ad ſubſtantiam & integritatem Sacramenti, vt fatentur omnes præter Donatiſtas, & recentes quoſdam Anabaptiſtas, quos impugnat etiam Caluinus. XVIII.

Cal. l. 4. Inſt. c. 15. Sect 16.

Ex his deniq; conficitur verum non eſſe, quod Bezam affirmare ſuprà oſtendimus, nimirum præſentiam iſtam corporis Chriſti, quam ipſe diſtinguit à perceptione, eſſe præſentiam fidei, ſeu quæ res credita eſt præſens fidei. Hæc enim præſentia cùm pertineat ad veritatem & ſubſtantiam Sacraméti, & conſequenter adſit, ſiue dignus, ſiue XIX.

Beza Ep. 76.

 indignus

indignus percipiat Sacramentum, non poteſt à fide recipientis pendere, quæ in illis, qui ſuſcipiunt indignè Sacramentum, non rarò deſideratur.

XX. TERTIVM quod Caluinianos nobis concedere oportet, eſt, neceſſarium prorſus eſſe, vt corpus Chriſti & ſanguis ſint reipſa in ſignis Sacramentalibus, quæ porriguntur indigno, vel certè quòd corpus Chriſti & ſanguis nullatenus verè dentur aut exhibeantur indigno: & ex conſequenti quòd nulla ratione poſsint Aduerſarij ſe excuſare ab hæreſi Donatiſtarum. Etenim ſi corpus & ſanguis Chriſti verè dantur indigno; vel dantur in ipſis ſignis viſibilib. panis & vini, vel extra illa in cœlo. Si dantur extra illa in cęlo duntaxat, iam ſigna iſta nõ erunt indicia rerum præſentiũ, ſed abſentium, immò eorum, quæ remotiſsimè abſunt à ſignis, nempè quantum cœlum abeſt à terra. Neque poſſunt hîc Aduerſarij dicere, vt ſolent, fidem efficere abſentia præſentia, quià hîc ponimus recipientem indignè carere fide. Si verò corpus & ſanguis Chriſti dantur in ipſis ſignis, igitur antequam corpus & ſanguis Chriſti percipiantur, verè ſunt in ipſis ſignis, atque vnà cum ſignis percipiuntur tam à dignis quàm ab indignis.

XXI. RECENTIORES quidam Caluiniani reſpondent corpus & ſanguinem Chriſti eſſe in ſignis per repræſentationem, proptereà quòd ſigna ſignificent & repræſentent corpus & ſanguinem Chriſti. Verùm hac ratione corpus Chriſti & ſanguis non erunt aliter repræſentia, quàm res omnes, de quibus loquimur, præſentes ſunt in voce & verbis (quemadmodum illi etiam fatentur, vt præcedenti cap. 10. diximus) hanc autem non eſſe veram præſentiam, ſed tantùm imaginariam, iàm ſuprà abundè probauimus.

Cap. 10. *præceden.* §. 23 & 24.

NECES-

Necesse eſt igitur, vt ſi Aduerſarij velint corpus & ſanguinem Chriſti verè dari & exhiberi indignis, concedant corpus & ſanguinem Chriſti verè & realiter eſſe in ipſis ſignis, quæ indignis offeruntur & porriguntur: quemadmodum docent Catholici. Nam alioqui corpus & ſanguis Chriſti nunquam poterunt exhiberi indignis verè & reipſa, ſed tantùm imaginariè, veluti in ſigno & figura: quemadmodum Chimæra, aut quoduis monſtrum, quod neque vnquam fuit, neque vnquam futurum eſt, exhibetur & offertur in ſua imagine, figura, aut ſigno. *Supra c. 6. & 10.* XXII.

CAPVT XIV.

Reſpondetur ad argumenta, quibus Aduerſarij conantur probare indignos non manducare corpus Chriſti.

Primvm argumentum deſumunt Aduerſarij ex 6. capite S. Ioannis, in quo Chriſtus affirmat carnem ſuam dare vitam æternam omnibus manducantibus. Sed mirum eſt, quòd toties obijciant ea, quæ habentur in 6. capite S. Ioannis, cùm illi vbique doceant, in eo capite Chriſtum non loqui de Sacramentali manducatione, ſed de ſpirituali duntaxat: & tota hæc noſtra diſputatio ſit de Sacramentali receptione, non autem de ſpirituali; nemo enim eſt, qui ignorat corpus Chriſti manducari non poſſe ſpiritualiter, niſi dignè ſumatur. I. *Ioan. c. 6. v. 55. & 59.*

Deniqve etiamſi iſtæ promiſsiones Chriſti de Sacramentali manducatione intelligantur, vt II.

verè intelligi debent, mirum tamen eſt, quòd illi tam audacter & tam pugnaciter has nobis obijciant, cùm ipſimet ipſiſsima veritate coacti alibi agnoſcant, omnes huiuſmodi Sacramentales promiſsiones, quantumuis generales ſemper intelligendas eſſe ſub hac conditione, ſi Sacramentum ritè & dignè ſuſcipiatur; vt ex Caluino & Beza ſuprà oſtendimus.

Supra c. 11. §. 6. 7. & 8.

III. SECVNDVM argumentum deſumunt aduerſarij ex illis verbis Apoſtoli: *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Sed iſtud quoque friuolum eſt argumentum, non enim loquitur Apoſtolus de abſoluta poteſtate, ſed de licita. Nam alioqui expreſsè dicit idem Apoſtolus in eadem epiſtola ad Corinthios, calicem Domini poſſe bibi ab indignis, cùm ait: *Quicunque bibit calicem Domini indignè, reus erit ſanguinis Domini.* Et eodem loco, quem illi citant, ſtatim addit Apoſtolus: *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*: atqui ſatis conſtat, iſtud non eſſe intelligendum de poteſtate abſoluta, ſed de legitima & ſalutari poteſtate. Nam nemo eſt, qui negare poteſt, quin indigni ſint participes menſæ Domini, id eſt, eorum quæ ſupra menſam Domini collocantur: ſignorum nempè panis & vini.

1. Cor 10. v. 20.

1. Corin. 11. v. 17.

1. Cor. 10. v. 21.

IV. PORRÒ in ſacris litteris ſæpè dicitur id non poſſe fieri, quod legitimè & ſine peccato fieri nõ poteſt, aut quod non expedit, ſeu non decet fieri: vt videre eſt Matthæi nono verſu decimo quinto, Actor. 4. verſ. 20. Actor. 25. verſ. 11. Item 1. Corinth. 3. v. 1. & pleriſque alijs in locis noui Teſtamenti; eſtque iſta loquendi formula ex Hebræa lingua deſumpta, nam eadem extat in Hebraico textu,

Digitized by Google

textu, Gen. 29. v. 8. & Gen. 44. v. 22. & alibi paſſim in veteri teſtamento.

TERTIVM argumentum. Chriſtus affirmat, *id quod intrat in os, non coinquinare hominem.* Reſpondeo, corpus Chriſti quod in os intrat, non eſt illud quod coinquinat hominem, ſed infidelitas aut aliud peccatum mortale recipientis, *quod de corde hominis exit*, vt eodem loco dicit Dominus. Nam peccatum eſt illud quòd verè coinquinat hominem: corpus autem Chriſti non eſt cauſa peccati, ſed eſt tantùm cauſa pœnæ peccati, ſeu iudicij & damnationis, quæ infligitur propter peccatum: quemadmodum & ipſemet Deus cauſa eſt pœnæ peccati, ſed non eſt cauſa ipſius peccati. V. *Matt. 15. v. 11* *Matt. 15. v. 18.*

QVARTVM argumentum deſumunt ex nonnullis locis Patrum antiquorum, præſertim verò ex verbis quibuſdam S. Auguſtini, ſed planè deprauatis. Verùm non eſt cur in his hæreamus, quia quicunque diligenter conſiderat ea, quæ præcedunt & ſequuntur, facilè intelliget, Patres quos Aduerſarij citant, vel de ſola ſpirituali manducatione loqui, vel de Sacramentali, ſalubri, & vtili, de qua loquitur Chriſtus, Ioannis ſexto capite, vt dictum eſt; vel deniq; de myſtico corpore Chriſti, quæ eſt Eccleſia. Quemadmodum doctè & copioſè oſtendit Bellarminus. Nos breuitati conſulentes, vnum tantùm, aut alterum locum S. Auguſtini, in quibus Aduerſarij maximè triumphare videntur, exempli cauſa adducemus, vt ex his appareat quàm friuola ſint argumenta, quæ ex alijs S. Auguſtini verbis colligunt. VI. *Bellar. l. 1. de Euc. c. 13.*

HABENT Aduerſarij ſæpè in ore illud S. Auguſtini dictum: *Apoſtoli manducarunt panem Dominum, Iudas panem Domini.* Quaſi S. Auguſtinus VII. *S. Aug. Tō. 9. in*

Euan S. Ioannis. tra. 59. his verbis aſſereret Iudam non accepiſſe verum corpus Domini. Et tamen verba iſta ſunt omninò contra Aduerſarios, ſi rectè intelligantur. Nã verus ſenſus eſt, quòd cæteri Apoſtoli manducauerunt panem Dominum, id eſt, panem quem agnouerint eſſe Dominum ſuum: at Iudas nõ comedit panem illum, vt Dominum ſuum, ſed ſolùm, vt panem communem Domini ſui. Neque enim credebat Iudas verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum:* ſicut neque credebat Iudas, quando Chriſtus anteà de hoc Sacramento fuſiùs concionatus fuerat, vt teſtatur ſanctus Ioannes. Non negat itaque S. Auguſtinus Iudã verè accepiſſe corpus Chriſti, ſed tantùm negat illud accepiſſe vt Dominum ſuum, ſicut acceperunt alij Apoſtoli; ſed vt communem Domini ſui cibum. Nam alioqui S. Auguſtinus expreſsè dicit alio in loco contra Donatiſtas diſputans, *Iudam accepiſſe pretium noſtrum:* & certè pretium noſtrum non eſt panis & vinum, ſed corpus & ſanguis Chriſti.

Mat. 26. v. 26.

Io. in. 6. v. 65.

S. Aug. to. 2. Ep. 162. ad Epiſcop. Donatiſt. non procul à fine.

VIII. ALTER locus S. Auguſtini eſt ille, in quo non parum exultat Caluinus: nam poſtquam varia loca ex S. Auguſtino attuliſſet (quibus omnibus optimè reſpondet Bellarminus) tandem ita concludit: *Ac ne congerie me pugnare dicant Aduerſarij, ſcire velim, quomodo ex vna eius ſententia ſe expediant, vbi dicit Sacramenta in ſolis electis efficere quod figurant.* Hæc Caluinus. Sed facillimè ex hac ſententia nos expedimus: ipſiſsima enim verba, quæ adfert Caluinus nimirum, *Sacramenta in electis efficere quod figurant*, probant S. Auguſtinum loqui de effectu Sacramentorum, non autem de ipſa ſubſtantia & veritate illorum. Illud enim quod Sacramentum efficit in electis, eſt effectus Sacramenti, non ipſum Sacramentum: neque enim efficit Sa-

Bellar. c. 13. citato. Cal. l. 4. Inſtit. c. 17. ſect. 34. in fin.

Digitized by Google

eſt Sacramentum ſeipſum,ſed ſuum effectum. Atque vel hinc manifeſtè apparet veriſsimum eſſe, quod ſuprà diximus, Aduerſarios confundere effectum Sacramenti cum veritate & ſubſtantia Sacramenti, quemadmodum olim fecerunt Donatiſtæ. *Supra c. 11. §. 13.*

IX. *Cal. c 17. citato, ſe. 10. & 12.*

Deinde Caluinus nec locum citat S. Auguſtini, vnde hoc deſumpſit (quemadmodum facit, dum alia teſtimonia S. Auguſtini adducit) nec integra verba S. Auguſtini recitat, ſed mutila; quę etiam falſa interpretatione deprauat, cùm affirmat ſanctum Auguſtinum ibi loqui de ſignificatione, qua Sacramentum ſignificat corpus Chriſti. Non enim loquitur de hac ſignificatione; hæc nãque ſignificatio pertinet ad ipſam veritatem & ſubſtantiam Sacramenti (vt etiam agnoſcit ipſe Caluinus) quare ſiue Sacramentum detur digno, ſiue indigno, illud ſemper ſignificat corpus Chriſti. Sed ſanctus Auguſtinus in eo loco expreſsè loquitur de alijs quatuor ſignificationibus huius Sacramenti, qui ſunt effectus illius, quoſq; fusè proſequitur eodem in loco, nimirum Tomo nono, Tract. 26. in Euangelium S. Ioann. dum explicat illa verba Ioann. 6. verſu 55. *Qui manducat meam carnem &c.* Sunt autem iſti quatuor effectus, de quibus agit ſanctus Auguſtinus: Prædeſtinatio, Vocatio, Iuſtificatio, & Glorificatio: & hos quatuor effectus dicit Sacramentum Euchariſtiæ efficere in ſolis electis. Qua de re nemo eſt, qui iure dubitare poteſt; cùm perſpicuum ſit ſolos electos prædeſtinari, & glorificari.

X. *S. Augu. tõ 7. de Bapt. cõtra Don.*

Porrò ad apertiſsima verba S. Auguſtini, quibus tam frequenter, & tam aſſeueranter affirmat contra Donatiſtas, illos, quos Apoſtolus dicit iudicium ſibi manducare & bibere, comediſſe

Digitized by Google

nihilominus verùm Chriſti corpus; immò Iudam etiam idem corpus comediſſe, quod comederunt alij Apoſtoli. Ad hæc, inquam, omnia ita reſpondet Caluinus: *Fateor quidem ſæpius ad eum* (S. Auguſtinum intelligit) *occurrere iſtum loquendi formam comedi corpus Chriſti ab infidelibus, ſed ſeipsũ explicat, addens in Sacramẽto. Et alibi ſpiritualis mãducatio ab eo deſcribitur, in qua gratiã morſus noſtri non cõſumũt.* Hæc Caluinus. Sed quod poſteriori loco dicit de ſpirituali manducatione, nihil ad rem pertinet. Nemo enim Catholicus eſt, qui affirmat indignum, ſpirituali manducatione, ſumere corpus Chriſti. Illud verò quod priori loco reſpondet S. Auguſtinum ſeipſum explicare, cùm addit in Sacramento, perridiculum eſt. Nam nemo eſt ſiue dignus, ſiue indignus, qui poteſt Sacramentaliter comedere corpus Chriſti niſi in Sacramento. Extra Sacramentum etenim comedi non poteſt Sacramentaliter, ſed ſpiritualiter duntaxat.

l.5.c.8 Et cõtra Ep. Parmeniani, l.2 c. 6 & contra litteras Petil. l.2 c.40. & 55. Itẽ, to. 2. Ep. 120 ad Honorat. c. 27. Cal. l.4. Inſtit. c. 17. ſect. 34. ſub fi.

XI. VERVM quidem eſt quòd S. Auguſtinus quãdo diſtinguit manducationem dignam & vtilem ab indigna & noxia, ſoleat aliquando diſtinguere inter Sacramentum & rem Sacramenti, hoc eſt, effectum Sacramenti, & dicere indignos Sacramento tenus comedere corpus Chriſti, vel comedere tantùm Sacramentum corporis Chriſti. Sed cùm ita loquitur, per Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti intelligit verum & integrum Sacramentum, non mutilum, imperfectum, aut falſum, quod car[e]t vera Sacramenti ſubſtantia. Ad ipſam autem ſubſtantiam Sacramenti Euchariſtiæ pertinent non tantùm ſigna viſibilia, ſed etiam corpus & ſanguis Chriſti; id quod Caluinus non ſemel fatetur: & fateatur neceſſe eſt, niſi

velit

Digitized by Google

velit eſſe manifeſtus Donatiſta. Quare cùm ſanctus Auguſtinus dicit *Sacramento tenus corpus Chriſti comedi vel Sacramentum tantum comedi*, intelligit non tantum ſignum viſibile panis comedi, ſed etiam ipſum Chriſti corpus, alioqui indignus integrum & verum Sacramentum non comederet, ſed minimam duntaxat eius partem: imò falſum duntaxat, non verum Saaramentum, ſignumque inane & fallax, ipſo etiam Caluino iudice. Eſt namque corpus Chriſti veluti anima iſtius Sacramenti, ſine quo Sacramentum verum conſiſtere non poteſt magis, quàm homo ſine anima.

Calu l. 4. Inſt c. 14. Sect. 16. & rurſus c. 17. ſe. 11.

Cal. l. 4. Inſt c. 17. ſect. 10.

XII.

Dicit etiam alicubi S. Auguſtinus illum, qui indignè manducat corpus Chriſti, reuera nō mãducare corpus Chriſti (quod callidè etiam nobis obijcit Caluinus) ſed ex antecedentibus & conſequentibus conſtat ſanctum Auguſtinum ibi non loqui abſolutè de omni vera manducatione corporis Chriſti, ſed de illa tantummodò, de qua loquitur Chriſtus, Ioann. 6. eo enim in loco explicat S. Auguſtinus illa Chriſti verba: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.* Et tantùm dicit indignum non manducare corpus Chriſti reuera eo modo, quo loquitur Chriſtus nempè ſpiritualiter, vt expreſsè ſcribit idem S. Auguſtinus, cùm ex inſtituto interpretatur 6. caput S. Ioannis. Atque hoc ipſum manifeſtiùs etiam declarat S. Auguſtinus alio in loco, cùm ita ſcribit: *Illud autem quod ait Dominus: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in illo, quomodo intellecturi ſumus? nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apoſtolus, quod iudicium ſibi manducant & bibunt, cùm ipſam carnem manducent & ipſum*

S. Aug. to. 5 l. 21. de ciuit. Dei. c. 25. Cal. ſe. 34. c. 17. citat.

S. Augu. tom. 9. tr. 26. in Io.

S. Aug. in tom. 10 ſer. 11. de verbis Domini,

11. Ioa. 6. v. 57. 1. Cor. 11. v. 29. *ipſum ſanguinem bibant?* Et mox poſteaquam dixiſſet Iudam & multos Apoſtatas, qui à fide Chriſti deficiunt, etiam carnem Chriſti comedere, hæc addit, vt quæſtioni reſpondeat. *Sed profectò eſt quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illũ ſanguinem, quo modo qui manducauerit & biberit, in Chriſto manet & Chriſtus in eo. Non ergo quocunque modo quiſque manducauerit carnem Chriſti & biberit ſanguinem Chriſti, manet in Chriſto, & in illo Chriſtus, ſed certo quodam modo, quem modum vtique ipſe videbat, quãdo iſta dicebat.* Hactenus S. Auguſtinus. Non ergo negat ſanctus Auguſtinus abſolutè indignos manducare carnem Chriſti, immò expreſsè dicit eos manducare carnem ipſam Chriſti, & ipſum ſanguinem bibere; ſed tantùm negat eos manducare certo quodam modo, illo nimirum, de quo loquitur Chriſtus, Ioa. 6. Nunquam enim negat ſanctus Auguſtinus indignos manducare corpus Chriſti, niſi quando agit de illis verbis ſexti capitis ſancti Ioannis. Et ſanè veriſsimum eſt illos, qui indignè comedunt corpus Chriſti, illud reuerà non manducare certo illo modo, de quo loquitur Chriſtus, Ioannis ſexto. Cùm Chriſtus ibi tantùm loquatur de digna manducatione, vt ſuprà oſtendimus in principio huius capitis.

XIII. TANDEM confugiunt Aduerſarij ad leues quaſdam ratiunculas, quibus ſuam ignorantiam magis produnt. Prima illorum ratio eſt, corpus Chriſti non poteſt in vllo eſſe homine ſine Spiritu ſancto, & ex conſequenti ſine ſanctificatione recipientis: non poteſt ergò corpus Chriſti ſumi ab indigno & homine minimè ſanctificato. Hanc Cal. c. 17. citato, ſect. 33. rationem planè inuictam eſſe exiſtimat Caluinus: *Chriſtum* (inquit) *abſque fide recipi, nihilo magis cõſentane-*

ſentaneum eſt, quàm ſemen in igne germinare. Sed illud quod aſſumunt Aduerſarij tanquam certum, nimirum *corpus Chriſti non poſſe recipi ſine ſanctificatione aut fide recipientis*, non tantùm eſt falſum, ſed etiam abſurdiſsimum. Eſt quidem in corpore Chriſti, vbicunque illud ſit, Spiritus ſanctus, & vera diuinitas filij Dei: ſed nec Spiritus ſanctus, nec ipſe Deus operatur ſanctificationem, vbicumque ille eſt præſens reipſa & eſſentialiter. Nemo enim ignorat Deum eſſe vbique, etiam in impijſsimis, imò & in ipſis dæmonibus, in quibus tamen non operatur ſanctificationem. Fuit & ipſum corpus Chriſti realiter in manibus illorum, qui ipſum cœperunt, ligarunt, flagellarunt, crucifixerunt, ſine ipſorum ſanctificatione aut fide. Fuit denique & corpus Chriſti à diabolo acceptum, & tranſportatum ad alia, atque alia loca, ſine vlla diaboli ſanctificatione. *Matt. 4. v. 5. & 8.*

XIV. VERVM animaduertere debuiſſent Aduerſarij diſcrimen illud, quod eſt inter præſentiam, quæ eſt per eſſentiam, & præſentiam, quæ eſt etiam per ſalubrem operationem. Priori enim modo Deus ipſe (qui longè eſt ſanctior Chriſti corpore) eſt etiam in impijſsimis verè & realiter, & eſſentialiter, ſine vlla illorũ ſanctificatione: quare corpus Chriſti in ijſdem eſſe hoc modo, abſurdum, aut inconueniens videri non debet. At poſteriori modo nec Deus ipſe, nec corpus Chriſti eſt in infidelibus. Porrò vera ratio huius eſt, quòd Chriſti corpus (vt & Deus ipſe) non eſt cauſa neceſſaria, quæ vbicumque eſt reipſa præſens, naturali quadam neceſsitate operatur, quemadmodum ignis aut aqua: ſed eſt cauſa libera, quæ etiãſi reipſa præſens ſit, non agit tamen, niſi quando, vbi, & quo modo vult & iudicat eſſe operandum.

Proinde

Proinde poteſt eſſe verè præſens corpus Chriſti in impio, quamuis ſalutem in eo minimè operetur. Deinde non eſt vlla cauſa naturalis, quantumuis præſens, quæ operari poteſt, quando operatio illius impeditur contraria affectione & conſtitutione eius, in quod illa agere debet. Hic verò impeditur etiam corpus Chriſti praua recipientis affectione, ne ſanctificationem in eo operetur. Mirum igitur non eſt, ſi actio & operatio corporis Chriſti impediatur.

XV. *Calu. c. 7. citato ſe. 33. & rurſus 34. in fine.* EXEMPLVM autem illud pluuiæ ſuper ſaxa decidentis, & ea minimè penetranti (quo non ſemel vtitur Caluinus, & poſt eum alij) non ſolùm nõ infirmat noſtram ſententiam, ſed etiam eandem multùm corroborat. Nam ipſa pluuia reuera deſcendit ad ſaxa, atque attingit, eſtque reipſa loco, & ſitu ſaxis præſens; ſed in ſaxa non poteſt ſuum effectum exercere, neque enim poteſt ſaxa penetrare & mollire, idque propter contrariam ſaxorũ affectionẽ & conſtitutionẽ, nempè duritiem ſaxorum. Ad eundum prorſus modum corpus Chriſti reipſa ſumitur ab indigno; eſtque illi præſens reuera, ſecundum ſuam eſſentiam; ſed propter recipientis duritiam & impietátem non poteſt in illo operari proprium ſuum effectum; nutritionem ſcilicet ſpiritualem in vitam æternam.

XVI. *Mat. 26. v. 26.* SECVNDA ratio Aduerſariorum eſt: verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, promiſsionem continent, ergo debent fide accipi: atqui infideles fidem non habent; non poſſunt ergo illi corpus Chriſti accipere. Reſpondeo in primis verba illa Chriſti non continent propriè promiſsionem, ſed potiùs aſſeuerationem: non enim dixit Chriſtus, hoc erit corpus meum, ſi credideritis, ſed abſolutè

ſolutè aſſeuerat, illud quod dabat, eſſe corpus ſuum.

Deinde animaduertere deberent Aduerſarij quòd etiamſi iſta fuiſſet promiſsio, non tamen inde neceſſario confici, illam conſiſtere non poſſe ſine fide recipientis. Sunt enim duo genera promiſsionum diuinarum: quædam ſunt abſolutæ, & hæ minimè pendent à fide noſtra. De his etenim dicit Apoſtolus: *Nunquid incredulitas illorum fidem* (id eſt fidelitatem) *Dei euacuauit? Abſit.* Aliæ ſunt conditionales, quæ nimirum promittuntur cum conditione, ſi crediderimus; aut ſi mandata Dei obſeruauerimus (cuiuſmodi ſunt Promiſsiones vitæ æternæ) tales promiſsiones pendent à noſtra fide, & bonis operibus noſtris. Promiſsiones autem Sacramentales quatenus ſpectant ad fructum & vtilitatem illorum, qui eas ſuſcipiunt, ſunt conditionales, & pendent à fide ſuſcipientis: ſed quatenus pertinent ad veritatem & ſubſtantiam Sacramenti, ſunt abſolutæ: & ob id nequaquam pendent à fide recipientis. XVII. *Rō. 3. v. 3.*

His adde falſum eſſe quod Aduerſarij aſſumunt tanquam certum, nempè fidem & promiſsionem eſſe correlatiua: ex quo deinde inferunt promiſsionem Dei conſiſtere non poſſe ſine noſtra fide. Fides enim & promiſsio abſolutè ſumpta, correlatiua non ſunt; ſed fides & promiſsio credita, aut potius promiſsio & res promiſſa. Nā alioqui veriſsima erat illa promiſsio quam per Prophetam Eſaiam fecit Deus Regi infideli Achaz, *Ecce virgo concipiet, &c.* quamuis ille minimè crediderit. Veriſsimæ fuerunt & promiſsiones omnes factæ Iudæis de venturo Meſsia, quamuis multi illorum non crediderint, teſte Apoſtolo: hinc & illud eiuſdem Apoſtoli: *Si non credimus ille fidelis permanet.* XVIII. *Iſa. 7. v. 14.* *Ro. 3. v. 3.* *2. Tim. 2. v. 13.*

VLTIMA

XIX. VLTIMA Aduerſariorum ratio eſt: Quorſum (inquiunt) contenditis corpus Chriſti ſumi ab impijs, cùm illud eis nihil prodeſſe poſsit? Reſpódeo, Idipſum olim obiecerunt Donatiſtæ Catholicis (& etiam nunc poſſunt obijcere Anabaptiſtæ) de baptiſmate indignè ſuſcepto: non enim prodeſt illud quidquam ſuſcipienti, verum tamen eſt Baptiſma & minimè iterandum. Verùm, corpus Chriſti ab indignis ſumi, contendimus, non quòd putemus corpus Chriſti poſſe prodeſſe indignis, ſed potiùs, quia multùm illis obeſt. Idcircò enim inſtruendi & monendi ſunt, ne tantum facinus committant. Id quod diligenter etiam præſtitit Apoſtolus ad Corinthios ſcribens.

ADHAEC non propter indignos duntaxat hoc aſſerimus, ſed etiam vt Deus ſemper verax inueniatur, & comprobetur in promiſsis, ſignis atque Sacramentis ſuis: & ne cogamur dicere cum Aduerſarijs, Sacramenta à Chriſto inſtituta inania & mendacia eſſe ſigna; cuiuſmodi ſunt illa, quæ rem ſignificatam verè non exhibent; cùm ſint ſigna rei præſentis non abſentis: & conſequenter Deum ipſum (quod abſit) fallacem eſſe aſſeueremus, vel ipſo Caluino teſte. *Niſi enim quis fallacem* (inquit Caluinus) *vocare Deum volet, inane ab ipſo ſymbolum proponi nunquam dicere audebit.*

1. Corin. 11. v. 27. 29. 30. 31. & 32.

XX.

Calu. l. 4. Inſt. c. 17. Sect. 10.

XXI. POSTREMÒ eſt & hîc animaduerſione dignum, quàm Aduerſarij in ſua doctrina inconſtantes ſint & volatici. Nam etſi ſępè multiſque verbis contendant corpus Chriſti non accipi ab indigno; immò fieri non poſſe, vt corpus Chriſti ſumatur ſine magno fructu recipientis, vt iam diximus: tamen vi argumentorum, & ipſa rei euidentia coacti, alicubi fatentur corpus Chriſti accipi ab in-

ab indignis,& quidem ſine vllo fructu, immò cũ magno etiam ſalutis detrimento. Enimuero cùm Catholici illis obijciunt iuxta illorum doctrinam Apoſtolum fruſtrà tam ſeriò admonuiſſe, vt quiuis ſe probaret antequam accederet ad hoc Sacramentum. Nam ſi ſola fide accipitur corpus Chriſti,omnis qui credit, dignè illud accipiet: atqui omnes Caluiniani dicunt ſe credere,igitur non opus erit vlla alia probatione, cùm ſola fides ſufficiat.

Vt huic argumento reſpondeant Aduerſarij, diſtinguunt tres gradus illorum, qui recipiunt hoc Sacramentum. Primus eſt illorum,qui præditi ſunt viua fide,& ſyncera pœnitentia:& hos dicunt verè & dignè comedere Chriſti corpus. In ſecundo gradu ponunt illos,qui vel nullam omninò fidem habent,vel fidem tantùm hiſtoricam, ſeu mortuam ſine viuo pœnitentiæ & fidei ſenſu: & hos aiunt nihil accipere niſi panem & vinum. In tertio gradu cõſtituunt illos, qui vera quidem fide,ſed infirma præditi ſunt; aut certè non ita vt deceret,comparato animo percipiunt hoc Sacramentum:& hos dicũt corpus & ſanguinem Chriſti verè ſumere, ſed indignè, & grauem pœnam mereri. Ita tam Caluinus quàm Beza. *Fateor* (inquit Caluinus) *quoſdam eſſe qui verè ſimul in cœna & tamen indignè Chriſtum recipiunt. quales ſunt multi infirmi*. Beza verò ad hunc modum ſcribit: *Etiamſi ſola fide corpus ipſum editur, non tamen conſequitur dignè ſemper edi à fide præditis, ac proinde ſuperuacaneam eſſe Pauli doctrinam de ſui ipſius probatione, & inanem illam grauiſsimi reatus denunciationem. Nam qui ipſam quoque rem Sacramenti fideli quidem, at non ita, vt decuit, comparato animo percipit, grauem pœnam meretur*. Ita ille.

XXII.

Cal. in 1. ad Cor. 11 ad v. 27.

Beza cõtra 1 rep. Claudij de Sainctes, ad c. 9 pa. 35. vol 3. iuxta editionem anni 1582.

XXIII. HABEMVS ergò etiam ipſorum Aduerſariorum aperta confeſsione, multos in fide infirmos, verè, ſed indignè accipere ipſam rē Sacramēti, nēpe corpus Chriſti, eosq́; grauem pęnam illam mereri, quam denunciat Apoſtolus: ac proinde corpus Chriſti accipi à multis ſine fructu, & cum dāno; quod anteà negabant fieri poſſe. Immò quod Caluinus affirmat, *nihil aliud eſſe, quàm Chriſtum mortuum recipere, aut otioſum aut diſiunctum à gratia & virtute ſua, aut denique mutilatum.* Verùm ſicut Deus ipſe quamuis ſit in impijſsimis, non ob id cenſendus eſt mortuus, aut otioſus, aut diſiunctus à ſua gratia & virtute, aut denique mutilatus, ſed viuus & integer, ita & corpus Chriſti. Sed Aduerſarij inſcitè confundunt actionem externam corporis Chriſti, quæ in ſuſcipiente eſt, cum ipſa eſſentia corporis Chriſti, aut certè cum interiori eius gratia, ac virtute, quæ in Chriſto inhærent, & à Chriſto nequaquam ſeparari poſſunt.

Cal. loco citato.

XXIV. CONCLVDAMVS ergo cum S. Auguſtino, qui contra Donatiſtas diſputans, ita ſcribit: *Non intereſt cùm de Sacramenti integritate & ſanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum. Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quaſtionem nihil intereſt. Fieri enim poteſt, vt homo integrum habeat Sacramentum & peruerſam fidem.*

S. Aug. To 7. de Baptiſmo contra Don. l. 3. c. 14.

CAPVT

CAPVT XV.

Aduerſarios deprauaſſe omnes Symboli Apoſtolici articulos, vt Euchariſtiæ Sacramentum facilius impugnarent.

ABSOLVIMVS quinque illas præcipuas queſtiones, quas ſuprà contra Caluinianos diſcutiendas ſuſcepimus: cætera quę ſuperſunt breuiùs perſtringemus. Clamant identidem Aduerſarij, dogma omne, de quo eſt controuerſia, analogia fidei examinandum eſſe. Nam quod cum primis illis fidei principijs, quę extra controuerſiam ſunt, benè conuenit, verum eſt; quod ab illis diſſentit, falſum. Et rectè quidem ita docent. Verùm ſi hæc illorum doctrina de Euchariſtia hac trutina examinetur, inueniemus eam non vni tantùm, ſed omnibus planè primis illis, & receptiſſimis fidei principijs, quæ Symbolo Apoſtolorum continentur, adeò aduerſari, vt illi, qui eius patrocinium ſuſceperunt, coacti fuerint omnes illos fidei articulos non vno tantùm modo, ſed pluribus deprauare, quò poſſent hanc ſuam nouam doctrinam ſartam & tectam, vt aiunt, conſeruare. Hoc equidem facilè apparebit, ſi vniuerſos Symboli articulos percurramus. I. *Sup. c. 1. §. vlt.*

CONTRA primum Symboli Apoſtolici articulum, qui eſt de omnipotentia Dei, quinque minimum diuerſos errores excogitarunt. Primus eſt, audent aſſerere diuinam potentiam non ad hoc valere, vt poſsit corpus Chriſti in Sacramento Euchariſtię cõſtituere, eo modo, quo Catholici II.

Vermilius in l. cōtra Step. Gardinerum Vintonienſē Epiſ. Anglum cū reſpondet ad 11. ob.

docent. Hoc quidem paſsim affirmant omnes Caluiniani. Hinc illa querela Petri Vermilij (ſocij Caluini & Bezæ) qui ſe martyrem non rectè appellat. *Querimur* (inquit) *quòd ſemper Dei potentiam obijciatis, cùm hoc ex illarum ſit rerum genere, ad quas Dei potentia ſe non extendit.* Ita ille. Ex hac Aduerſariorum aſſertione ſatis apparet, quòd etiamſi millies apertiſsimè dixiſſet Chriſtus ſuum corpus eſſe in Euchariſtia, & millies etiam extaret illud ipſum in ſacris litteris, nihilominus non crederent: cùm illi certiſsimè iam ſibi perſuaſerint, iſtud nec in Dei potentiam cadere. Quod tamen Deo facillimum eſſe paulò inferiùs manifeſtabimus, quin immò & Deum effeciſſe longè difficiliora, quæque multò maiorem videntur habere repugnantiam.

Infr. c. 19.

III. Secundus error eſt, vt præcedentem errorem facilius tueantur, affirmant Deum non poſſe efficere, vt idem corpus ſit in diuerſis locis, ne quidem ſpirituali & inuiſibili modo. Immò adeò in hac re excedunt veritatem, vt non vereantur aſſeuerare, *Deum efficere non poſſe, vt vlla res creata ſit eodem tempore in diuerſis locis; Quod hoc vnius diuina natura ſit proprium & quidem creatura omni prorſus incommunicabile.* Seu, vt Beza Græcè loquitur ἀκοινώνητον. Quæ maxima eſt temeritas & inſcitia. Certè ipſi Gentiles Philoſophi agnouerunt hoc reipſa communicatum eſſe omni animæ rationali. Et ſanè nullus eſt vel mediocriter in Philoſophia verſatus, qui dubitet, quin anima cuiuſuis hominis ſit tota in capite, & tota in pede, & tota in cæteris omnibus corporis partibus, eodem omninò tempore. Id quod iſti contendunt, *vnius diuinæ naturæ proprium eſſe, nec creaturæ vlli communicari poſſe per Diuinam*

Beza in Dialogo contra Hesbuſium, qui inſcribitur κρεωφαγία ſiue Cyclops vol. 1. p. 101. in pr. Edi. ann. 1581.

Beza loco citato.

potentiam

potentiam: adeò demiſsè & abiectè ſentiunt de Dei omnipotentia.

Tertius error, vt priores duos errores magis confirment, negant Deum omnipotentia ſua poſſe efficere, vt corpus Chriſti ſit in loco tam anguſto. Verùm ad hoc improbandum adducimus aperta illa Chriſti Saluatoris noſtri verba, quibus affirmat diuina potentia fieri poſſe, *Vt camelus trãſeat per foramen acus.* Ex quibus euidenter colligimus Deum poſſe efficere, vt corpus Chriſti ſit in hoſtia conſecrata. Camelus namque maior eſt corpore Chriſti, & foramen acus multò minus eſt hoſtia conſecrata: quod ſi poſsit Camelus, qui maior eſt, in minore loco eſſe; poterit multò faciliùs corpus Chriſti, quod camelo minus eſt, eſſe in loco longè maiore. IV. *Mat. 19. v. 24 & 26.*

Sed Aduerſarij, vt hæc Chriſti tam perſpicua verba aliquo modo eludant, mirum quot, quantumque inter ſe diuerſas excogitent horum verborum Chriſti corruptelas, eaſq; planè pueriles, quare vel hac ſola re ſatis ſuperque declarant, quàm parui faciant expreſſum Dei verbum. Nõnulli.n. fingunt ſine vllo teſtimonio portam fuiſſe vnam ciuitatis Hieroſolymitanæ, cui nomen fuerit, *Foramen acus,* per quã per trãſire poterat camelus, etſi paulò difficilius. Hos, aniles fabulas comminiſci, rectè affirmat Eraſmus. Alij reſpondent acum tam ingentem & immenſam fabricari poſſe, turris inſtar, vt per eius foramen facilè tranſeat camelus. Alij transformant camelum in funem nauticum, quem aiunt in tenuiſsima fila ita diſſolui poſſe, vt facilè per foramen acus, grandioris præſertim, permeet. Placet hoc maximè Caluino, *Cameli voce,* inquit, *funem nauticum potiùs quàm belluam notari arbitror.* V. *Eraſmus in ſuis annot. ad c. 19. S. Matth.* *Calu. in ſua Harmo. ad v. 24. c. 19. S. Mat.*

VI. At Bezæ non ita probatur hoc effugium, tum quòd nullius idonei Scriptoris autoritate confirmetur iſta cameli ſignificatio: tum quòd Syrus interpres de animali hunc locum interpretetur, tum denique quòd ſecundum eos, qui funem interpretantur, non per litteram *Ita* ſed per *Iota* ſcribi deberet: cùm tamen in omnibus libris Græcis per *Ita*, & non per *Iota* ſcribatur.

Beza ad eundem v. 24.

VII. Alii propriam quidem cameli ſignificationem retinendam eſſe agnoſcunt, ſed affirmant animal ipſum adeò diſcindi & extenuari poſſe in minutiſſima fila, vt tranſeat per foramen, magnæ præſertim, acus.

VIII. Verum has omnes corruptelas eſſe verborum Chriſti, apertè probant verba illa quæ Dominus eodem loco addit, *Apud homines hoc impoſsibile eſt:* hæc enim omnia, quæ iſti excogitarunt, hominibus etiam ſunt poſsibilia.

Matt. 19. v. 26.

IX. Alii denique fatentur Chriſtum locutum eſſe de re hominibus impoſsibili, ſed hi rurſus confugiunt ad figuratas locutiones. Nam nonnulli ex his confingunt hîc eſſe Ironiam, aſſerẽtes Chriſtũ in his verbis Ironicè loqui de re prorſus impoſſibili. Quod cùm affirmant, minus conſideratè loquuntur quàm Ethnicus ille Orator, cum ait, *Bella ironia, ſi iocaremur: Si aſſeueramus, vide ne religio nobis tam adhibenda ſit quàm ſi teſtimonium diceremus.* Certè Chriſtum hîc non iocari, ſed aſſeuerare ſatis probant illa eius verba, *Amen, Amen dico vobis.* Item illa, *Iterum dico vobis.* Plures contendunt hîc eſſe Hyperbolicam locutionem (inter quos eſt & Beza) quaſi Chriſtus hyperbolicè locutus fuerit de re prorſus impoſsibili: atque hac ſua Hyperbole putant difficultati huic ſatisfactum eſſe. Sed vehementer errant; nam etſi Chriſtus dicat, *apud homines*

Cicero de claris Oratorib.

Mat. 19. v. 23, & 24.

Beza ad eundem v. 24. c. 19. Matt. in annot. vlt. an. 1598.

homines hoc impoßibile eſt, tamen ſtatim addit, *Apud Deum autem omnia poßibilia ſunt*. Si omnia, ſine dubio & iſtud. Quæ etiam Chriſti verba paulò clariùs refert ſanctus Marcus ad hunc modum: *Apud homines impoßibile eſt, ſed non apud Deum: omnia enim poßibilia ſunt apud Deum*: non loquitur igitur Chriſtus hyperbolicè, de re, ipſi etiam Deo impoſsibili, ſed de re, Deo planè poſsibili.

Mat. 19. v. 26. Marc. 10. v. 27.

X.

Porrò, ad modum inconſiderata eſt reſponſio Miniſtrorum quorundam, qui vt eludant ſancti Marci verba allata, aſſerunt hoc quod dicit Chriſtus, *apud homines impoßibile eſt ſed non apud Deum*, pertinere duntaxat ad ingreſſum diuitum in regnum Dei, & non ad penetrationem cameli per foramen acus. Nam quod iſtud ad vtrumque ſit neceſſariò referendum, manifeſtè conſtat ex verbis Chriſti: dicit enim Dominus: *Quod facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Atqui ipſimet Aduerſarij fatentur Deum poſſe efficere, vt diues ingrediatur in regnum cœlorum, quod eſt difficilius: poterit ergo aliud facere quod facilius eſt: nimirum vt camelus tranſeat per foramen acus. Nam valdè abſonum eſt aſſerere DEVM poſſe efficere id quod eſt difficilius, non autem id quod facilius eſt.

Reſponderunt Miniſtri illi in diſputat. Pariſienſi an. 1566. vt conſtat ex reſponſione quam illi exhibuerunt die Iouis 18. Iul.

Mat. 19. v. 24.

XI.

Et hinc eſt, quòd Beza quamuis in prioribus ſuis annotationibus, & etiam in vltimis, in Euangelium S. Matthæi (vt iam diximus) cõfugiat ad hyperbolicas locutiones: tamen cũ poſtea peruenit ad hunc locum S. Marci cogitur fateri illud quod dicit Chriſtus, *Apud homines impoßibile eſt, ſed non apud Deum*, omninò referendum eſſe ad vtrãque ſententiam: nempè tam ad ingreſſum diuitis in regnum cœlorum, quàm ad penetrationem came-

Supr hoc ipſo c. 5. 9. Marc. 10. v. 27.

camelí per foramen acus. Et tãdem veritate conuictus fatetur, *Quòd Deus ex maiore camelo minorem efficere ſolus extra ordinem poteſt, vt tumore depoſito per acus foramen facillimè pertranſeat.* Ita Beza. Tanta eſt veritátis vis, vt inuitos etiam ad ſe trahat. Si poteſt id Deus efficere in camelo bruto animali, cur non poterit id ipſum præſtare in humana natura vnigeniti filij ſui, verbo Hypoſtaticè vnita.

Beza ad v. 27 c. 10. S. Marci, in annot. ad 1598.

XII. SED neque ſunt incredibilia aut mira Chriſti verba, ſi rectè conſiderentur: quia non aliud affirmat, quàm quòd Deo facilius ſit leges naturalium rerum mutare, quàm hominis impiam voluntatem. Res enim naturales nequaquam reſiſtere poſſunt diuinæ voluntati, cui tamen non rarò aduerſantur homines, libero arbitrio à Deo donati. Hinc illa Chriſti querela; *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Rectè igitur dicit Chriſtus facilius eſſe Deo rerum naturalium leges & conditiones mutare, quàm impiam hominis voluntatem.

Mat. 23. v. 37.

XIII. QVARTVS Aduerſariorum error circa hunc primum ſymboli articulum eſt, quòd vt firmiùs ſtabiliant præcedentes errores, negant etiam Deum per omnipotentiam ſuam efficere poſſe, vt duo corpora ſint ſimul in eodem loco & ſitu. Et cùm hîc rurſus illis opponimus facta & exempla Chriſti Domini noſtri, qui (vt refert S. Ioannes) *bis ingreſſus eſt ad diſcipulos ſuos ianuis clauſis*, confugiunt denuò ad noua commenta valdè futilia, ne cogantur concedere corpus Chriſti & oſtium clauſum fuiſſe aliquando eodem omnino loco & ſitu. Enimuerò, nonnulli comminiſcuntur Chriſtum aperuiſſe ianuas, cùm ingrederetur, & ſtatim

Ioan. 20. v. 19. & 20.

tim clauſiſſe: quod quiuis facilè præſtare poteſt. Alij contendunt non Chriſtum, ſed angelum id feciſſe, vt Caluiniani Palatinatus in colloquio Malbrunenſi. Alij, non per oſtium, ſed per feneſtram introducũt Chriſtum, vt Oecolampadius. Alij inſtar ſtrigarum volunt Chriſtum ingreſſum eſſe per fiſtulam camini. Alij, per foramina aut rimas oſtij. Alij per hiatus parietis. Alij, quibus hęc videntur nimis anguſta, lapidem volunt è muro amotum fuiſſe, donec pertranſiſſet Chriſtus, & poſteà eodem loco repoſitum. Ita Petrus Vermilius, qui ſe martyrem nominat. At Beza cenſet partes oſtij diuulſas eſſe, vt aditum darent Chriſto, eaſdemque rurſus illicò coaluiſſe. Verùm Caluinus, vt latiorem viam aperiat Chriſto, confingit Chriſtum in nihilum redegiſſe totum oſtium, & illud ipſum denuo creaſſe, atq; in priorem formam reſtituiſſe. Sunt & aliæ illorum innumeræ ferè deprauationes horum verborum S. Ioannis, quas vel recenſere, nedum refutare, faſtidioſum eſſet. Nam vix eſt vllus inter Aduerſarios, qui non conetur nouam aliquam horum verborum S. Ioannis, quas vel recenſere, nedum refutare, faſtidioſum eſſet. Nam vix eſt vllus inter Aduerſarios, qui non conetur nouam aliquam horum verborum deprauationem excogitare. Qui plura cupit de hac re, legere poterit Bellarminum Feu-ardentium & Coccium.

Oecolāp. in l. de Euchariſtia. Vermilius in l. cit. contra Gardinerum. Beza to. 1. Tract. 1. ad Ioa. Brentij ar. p. 562. Edit. Geneu ann. 1582. Calu. in vlt. admonitione ad VVeſtph. Bell l. 3. de Euch. c. 6 Feu-ardentius l. 6. c 3. Theoma. Caluin. Coccius To. 1. Th. l. 2. art. 5.

XIV.

QVINTVS error contra hunc primum articulum eſt, quòd cùm Aduerſarij pertinaciùs adhuc conantur confirmare præcedentes errores, adeò deſipiant, vt non vereantur apertè negare Deum poſſe ſeparatas naturales corporum proprietates ab ipſis corporibus, quibus illę naturaliter inſunt. Hunc errorem pertinaciter tuentur Caluinus,

Cal. l. 4. Inſt. c. 17. Sect. 24. & 29. Beza in dialogo contra Heshuſium iam citato §. 3. Miniſtri in diſpu. Pariſiẽſi an. 1566. in reſpõſ. quam exhibuerũt die Lunæ 15. Iul.

Beza & alij recentiores illorum diſcipuli. Et Beza quidem apertè affirmat, *Deum non magis ſeparare poſſe has proprietates à corpore naturali quàm poſſit mutari, mori aut mentiri.* Qua in re non ſolũ negant Deum eſſe omnipotentem contra primam partem huius articuli, ſed etiam negant Deum eſſe creatorem & factorem rerum omnium, quod eſt contra ſecundam partem huius primi articuli, in qua profitemur ac credimus Deum eſſe creatorem cæli & terræ. Multò. n. maius & difficilius eſt, dare rebus omnibus tot tantaſque proprietates, quàm eaſdem ab illis auferre; cùm omnes hę proprietates ſint accidentia quædam, quæ à rerũ ſubſtantia ſeparari poſſunt. Et ſanè quicunque affirmat proprietates naturales ſubſtantiarum ab ipſis ſubſtantijs ſeparari non poſſe, neceſſe eſt vt is non tantùm huic Euchariſtiæ Sacramento, ſed & multis alijs præcipuis fidei myſterijs fidem & autoritatem deroget; præſertim verò mortuorum reſurrectioni, in qua complures humanæ carnis proprietates naturales mutari, prorſusque interire manifeſtum eſt. Verùm de hac re plura paulò poſt.

Vide infra. c. 19.

XV. *Beza vol. 1. Tr. 11. ad Brentij argumenta. p. 563. Edit. ann. 1582.*

IMMO Beza præ cæteris in hac re aberrat non tantùm à fide, ſed etiam à naturali ratione. Nam admodum inſcitè ſcribit, *Neque ſine colore corpus vllum eſſe poſſe.* Atqui ſatis conſtat vel naturali ſolo lumine, nec ignem, nec ſolem, nec cætera aſtra, ſed neque cœlum ipſum, habere verum colorem: quæ tamen vera eſſe corpora nemo ignorat: Omitto aerem & ventum vera etiam eſſe corpora ſine colore, nam aerem & ventos, fortaſsis exiſtimauit Beza, corpora non eſſe, ſed Spiritus, quòd oculis non videantur, quæ puerilis eſt inſcitia, à vera Philoſophia alieniſsima.

ILLVD

Illud autem quod obijcit Beza, facilè dilui- XVI.
tur: dicit enim, *Hac contradictoria eſſe viſibile & non* *Beza loco*
viſibile, occupare locum & non occupare. proinde eidem *citat.*
conuenire non poſſe. Sed meminiſſe debuiſſet Beza *Beza in*
illius quod ipſemet alibi ſcribit, diſputans contra *1. Apologia con-*
Claudium de Sainctes. *Adeone parum* (inquit Be- *tra Cla.*
za, Claudium alloquens) *in dialecticis promouiſti, vt* *de Sain-*
homonyma diſtingui oportere & diuerſo reſpectu idē & *ctes habentur*
affirmari & negari meritò poſſe, non didiceris? Ita Beza *hac ver-*
contra Claudium. Id quod in ipſum Bezam op- *ba 2. vol.*
timo iure retorqueri poteſt. Etenim Beza hac ſua *pag. 289.*
obiectione, parum ſe verſatum eſſe prodit in dia- *prope fin:*
lecticis, aut etiam Theologicis? cùm neget diuerſo *in Edit.*
reſpectu idem affirmari & negari meritò poſſe *Geneu.*
de corpore Chriſti. Alio enim reſpectu dicitur *ann. 1582.*
corpus Chriſti viſibile, & alio inuiſibile: Item alio
reſpectu dicitur occupare locum, & alio non oc-
cupare. Eſt namque Chriſti corpus viſibile, locúque occupat, reſpectu naturalis & viſibilis modi
exiſtendi, quem habet in cœlo: ſed idem Chriſti
corpus & inuiſibile eſt, & locum non occupat,
reſpectu ſupernaturalis & inuiſibilis modi exi-
ſtendi, quem habet in Sacramento Euchariſtiæ.
Non ſunt igitur hæc contraria aut contradicto-
ria corpus Chriſti eſſe viſibile, & non viſibile,
occupare locum & non occupare, nam etſi eidē
corpori Chriſti conueniant, non tamen eodem
reſpectu, ſed diuerſo: quemadmodum vni & ei-
dem Deo conueniunt eſſe vnum & non vnum;
generare & non generare; mori & non mori, aliaque huiuſmodi infinita, ſed non eodem reſpectu,
verùm diuerſo.

Porrò omnia iſta quinque, quæ Aduerſarij XVII.
exiſtimant Deo eſſe impoſſibilia, facillima illi eſ- *Inf. c. 19.*
ſe, infra ſuo in loco euidenter commonſtramus.

Con-

XVIII. CONTRA ſecundum Symboli articulum tres alios excitarunt Aduerſarij errores, eoſque grauiſsimos, vt Euchariſtiæ Sacramento facilius iniuriam inferrent. Primus eſt, Chriſtum non expleſſe proprium officium & munus veri Meſsiæ à Deo promiſsi: & ex conſequenti, ipſum non eſſe verum Meſsiam & Chriſtum in Scripturis promiſſum, quod in ſecundo ſymboli articulo profitemur. Proprium enim officium veri Meſsiæ, iuxta complura Prophetarum oracula, erat Idololatriam penitus auferre, quam tamen non ſubſtuliſſet Chriſtus, ſed potius auxiſſet, ſi verum eſſet, quod aiunt Aduerſarij, Chriſtianos omnes tot ſeculis panem & vinum pro Deo adoraſſe. Secundus error eſt, humanam Chriſti naturam non eſſe adorandam, nec in Euchariſtia, nec extra illam, quod nonnulli ex Aduerſarijs contendunt. Ex quo ſequitur Chriſtum hominem non eſſe Dominum noſtrum: quod in ſecundo hoc articulo nos firmiter credere affirmamus. Verùm hos duos errores fuſiùs proſequemur infrà in quinta Controuerſia, quæ eſt de adoratione Sacramenti Euchariſtiæ: nam eò propriè pertinent.

Oſee. 2 v. 17. Sop. 3. v. 6. Zac. 13. v. 2.

XIX. TERTIVS eſt carnem Chriſti ex ſeſe & in ſeſe non eſſe viuificatricem. Ita enim apertè ſcribit Beza, qui proinde non tantùm affirmat, *carnem Chriſti in ſepulchro mortuam non potuiſſe vitam dare vlli*: ſed hoc etiam probare contendit argumento, qui ſatis ſuam prodit inſcientiam. *Caro*, inquit, *Chriſti mortua in ſepulchro non modò non viuifica, ſed ne viua quidem fuit, niſi velimus illam ſimul fuiſſe viuam & mortuam*. Ita Beza. Verùm animaduertere debuiſſet, carnem Chriſti aliundè habere quòd viuat, & aliundè quòd viuificet, vitamque omnibus conferat. Quòd viuat habet ab anima; nam & hoc

Beza in 1. parte l. cōtra Io. Brentiū habetur vol. 1. Tr. 11. p. 526. & 527. in prim. Ed. an. 1582.

hoc habet omnis caro viua ex anima ſua propria, proinde cùm anima Chriſti eſſet à carne ſua ſeparata, non viuebat amplius Chriſti caro. At verò quòd viuificaret ſeu vitam alijs conferret caro Chriſti, hoc habuit ab ipſo Dei verbo, cui coniuncta fuit hypoſtaticè. Et quia iſta hypoſtatica vnio carnis Chriſti cum verbo, nunquam diſſoluta fuit, ſed perpetuò manſit, etiam cùm caro ab anima ſeparata iacebat mortua in ſepulchro; hinc eſt, quòd caro Chriſti, etiam mortua in ſepulchro, fuerit verè viuificatrix, vitamque præſtare potuerat, etiam ſi illa nunc temporis non viueret. Eſt itaque caro Chriſti ex ſeſe, & in ſeſe viuificatrix, ſiue in ſepulchro, ſiue in Euchariſtia, ſiue in cœlo, ſiue in alio quocunque loco, propter intimam vnionem hypoſtaticam cum verbo Dei. Quemadmodum n. rectè dicimus ferrum candens ex ſeſe, & in ſeſe habere vim cõburendi, etſi ferrũ alioqui ſua natura vim hanc non habeat: ita rectiſsimè dicimus, carnem Chriſti ex ſeſe, & in ſeſe vim viuificandi habere, non quà caro eſt duntaxat, ſed quà Chriſti eſt caro, hoc eſt, caro Verbo Dei hypoſtaticè vnita; talis n. eſt Chriſti caro, vbicumq; ſit, aut quomodocũq; viua vel mortua. Sed Beza in eo errat, quòd cõfundat naturã cũ hypoſtaſi (id quod nõ raro facit & eius magiſter Caluinus.) Nã in eodem loco dicit, *Carnem Chriſti aſſumptam fuiſſe à Diuina natura*, cùm debuiſſet dicere, carnem Chriſti aſſumptam fuiſſe à Verbo, ſeu filio Dei, aut certè à diuina perſona: neque enim fuit diuina natura, quæ carnem aſſumpſit, alioqui & Pater, & Spiritus ſanctus carnem aſſumpſiſſent: quæcunque enim conueniunt diuinæ naturæ, conueniunt omnibus tribus perſonis, cùm in omnibus tribus perſonis ſit vna & eadem natura diuina: ſed quia ſola

Cal l. 2. Inſt c. 14. Sect. 2. 3.

Digitized by Google

ſola ſecunda perſona Verbi ſeu filij carnem aſ-
ſumpſit, ea ſola incarnata eſt, non Pater, non Spi-
ritus ſanctus.

XX. Contra tertium Symboli articulum quatuor ſeſe implicuerunt erroribus Aduerſarij, dum conantur Euchariſtiæ Sacramentum impugnare, aut certè ea, quæ ipſimet contra illud adferunt, firmiùs ſtabilire. Primus error admodum pernicioſus eſt, quòd totum vnionis hypoſtaticę incarnationis filij Dei, atque conceptionis de Spiritu ſancto, myſterium (quod tertio hoc articulo profitemur) funditus euertat. Enimuerò contendunt proprietates naturales ſubſtantiæ ab ipſa ſubſtantia ſeparari non poſſe, ne diuina quidem omnipotentia, vt iam iam oſtendimus: ex quo neceſſariò conficitur, quòd hypoſtaſis ſeu ſubſiſtentia, quæ maximè propria eſt, & intrinſeca proprietas ſubſtantiæ ſingularis, omnium Philoſophorum ſententia, à ſubſtantia ſingulari ſeparari non poſsit: atque hac ratione, vt ſunt in Chriſto duæ ſubſtantiæ ſingulares, vna diuina, alia humana; ita erunt in eo duæ hypoſtaſes & perſonæ: quę eſt ipſiſsima hæreſis Neſtoriana, ante mille ducentos, & ampliùs annos in Synodis Alexandrina & Epheſina prima, anathemate damnata. Adhæc, ſi hypoſtaſis, quæ intima maximeque propria eſt ſubſtantiæ ſingularis proprietas, à ſubſtantia ſingulari ſeparari non poteſt, nulla vnquam fieri potuiſſet vnio Verbi ad carnem in perſona Verbi, ſed duæ fuiſſent in Chriſto perſonæ, accidentaliter tantùm vnitæ, duæque hypoſtaſes, vna diuina, alia humana, vt ſunt in eo duæ naturæ. Atque in hunc modum penitus euertunt Aduerſarij vniuerſum Incarnationis filij Dei Sacramentū: quod vnius & eiuſdem hypoſtaſis vnitate maximè nititur.

Hoc ca. 5. 14.

Secvn-

Digitized by Google

SECVNDVS error eſt, conuellunt planè pulcherrimam illam ſimilitudinem, quæ eſt inter perſonam filij Dei incarnatam, & Euchariſtiam, quam toties inculcant Patres antiqui, cùm contra veteres hæreticos diſputant. Nam ſecundum doctrinam Aduerſariorum, *Non conſtabit Euchariſtia ex duabus rebus, terrena & cæleſti* (vt conſtat filius Dei ex duabus rebus, terrena & cœleſti, humana nimirum natura & diuina) quemadmodum loquitur S. Martyr Irenæus, ſed conſtabit Euchariſtia ex ſola terrena re, pane nempè & vino; non autem ex re cæleſti corpore & ſangnine Chriſti. Verùm de hoc errore plura in Controuerſia de tranſſubſtantiatione. — XXI. *Irenæus li. 4.c.34.*

TERTIVS error ne cogantur Aduerſarij fateri duo corpora fuiſſe in eodem loco, quod illi diuinæ etiam potentiæ impoſsibile eſſe contendunt (vt paulò antea oſtendimus) audent impijſsimè negare B. Virginem Mariam Dei matrem in partu Virginem permanſiſſe. Non enim credunt Virginem Mariam clauſo virginali vtero filium Dei peperiſſe, ſed aperto vtero more cæterorum hominum. Ita enim Beza varijs in locis: ita quoque miniſtri illi qui Pariſijs ann. Domini 1566. cum Catholicis Doctoribus diſputarunt. — XXII. *Hoc ipſo c.§.13.*

HIC ipſe eſt error qui olim in Iouiniano hæretico condemnatus fuit ab antiquis Patribus ante annos mille ducentos, vt teſtantur S. Ambroſius Epiſt 31. & S. Aug. Tom. 6. in libro de Hæreſibus Hæreſi 82. Qui etiam eodem vtebatur argumento, quo iam vtuntur Caluiniani: nimirum partum Virginis conſiſtere non potuiſſe cum vera Chriſti humanitate: & ob id Iouinianus iſte Catholicos appellabat Manichæos teſte S. Auguſtino. Quare falſum omninò eſt, quod ſcribit Beza cōtra Ia-

Beza To: 1. Opuſc. in reſpon. ad Brentij argum. p.562. & To.2.reſ. 3 ad Selnecceri 5: Calumniam p: 269 & To.3.in reſp. ad Iacobi Andreæ Cal. Th. 9. Miniſtri Par. in ſcripto quod exhibuerũt die 18. Iu. art.14. & in alio

quod exhibuerūt 25.Iul.eo. art.

tra Iacobum Andream Theſ.9. citata, *Dogma hoc*
(de Virginitate nempè Beatæ Mariæ in partu)
neque Verbi Dei authoritate, neque fidei analogia, neque
alicuius Patrum probabili coniectura niti: ad Chriſtia-
XXIII. *nam denique fidem nihil facere.* Certè hanc hæreſin
tam impiam, & Scripturæ ſuæ apertis teſtimonijs
& fidei analogia, & multorum Patrum autoritate
conuincunt manifeſtè Caniſius, Bellar. & Coc-
cius, ad quos lectorem remittimus, ne in refutan-
dis ſingulis his Aduerſariorum erroribus adeò
manifeſtis nimiùm immoremur.

S. Aug. To.7.l.2. de nuptijs & concu. c.5.l.1.cōtra Iulia. Pelagianum c.2. in fi. Caniſius li. 2. de B. Virgine à c.4. ad 10. & l. 4.c.12. Bella.l.3. de Euch. c.6. in 3. exemplo. Coccius To.1.Th. l.2.ar.4.

PORRÒ vnum quod præſentis eſt loci, ſatis
conſtat, videlicet hunc Caluinianorum errorem
apertè pugnare cum tertio Symboli articulo,
in quo profitemur filium Dei non tantùm con-
ceptum, ſed etiam natum eſſe ex Virgine: pug-
nare etiam cum diuino illo oraculo, quo prædi-
xit Propheta Iſaias, Virginem non tantùm con-
cepturam, ſed & parituram filium Emanue-
lem.

ET quidem fieri poteſt non tantùm Diaboli-
ca, ſed & naturali atque humana vi, vt Virgo
concipiat, teſte S. Thoma: vt virgo etiam pariat,
XXIV. fieri non poteſt niſi ſupernaturali & diuina vir-
tute: atque hinc eſt quòd in Symbolo credamus
Chriſtum non tantùm conceptum, ſed & natum
XXV. ex virgine, quod cùm negant Aduerſarij, præci-
puam huius myſterij partem inficiantur.

Iſ.7.v14. Mat.1.v 23. S.Tho. quodlibet 6.art 18.

DENIQVE, negari non poteſt quin in perti-
naci huius erroris defenſione multò deteriores
XXVI. ſint Caluiniani ipſis Turcis & Mahometanis; nam
impius ille Mahomet in ſuo Alcorano expreſsè
fatetur, *Beatam Mariam & in partu & poſt partum*
Virginem permanſiſſe, idquè diuina quadam virtute fa-
ctum eſſe: Vtrumque tamen vel planè inficiantur
Caluini-

Alc c.29

Caluiniani, vel certè in dubium reuocare non verentur.

QVARTVS error, quem contra hunc articulum excogitarunt Aduerſarij, vt Euchariſtiam faciliùs oppugnarent, non tantùm aduerſatur huic articulo, ſed & cæteris omnibus ſequentibus Symboli articulis, qui ſunt de filio Dei. Nam vt probent verba illa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum,* impropriè & per figuram eſſe intelligenda, contendunt omnes articulos qui ſunt de filio Dei eſſe improprias & figuratas locutiones; immò ſingulos articulos affirmant continere duplicem Synecdochen, adeò ſunt iſti ad Tropicas locutiones excogitandas procliues. Beza etenim affirmat omnes has locutiones, *Filius Dei eſt conceptus, natus paſſus, crucifixus, mortuus, ſepultus, deſcendit, reſurrexit, aſcendit, venturus eſt, improprias & figuratas eſſe locutiones: immò non vnam, ſed duplicem continere Synecdochem alteram in ſubiecto, quia in eo pars pro toto ponitur: alteram in attributo: quia in eo tribuitur toti, quod eſt vnius partis proprium.* Ita Beza. Idem ferè habet & Caluinus. XXVII. *Mat. 26. v. 26.* *Beza ad v. 13. c. 3. S. Ioan.* *Calu. l. 2. Inſt. c. 14. §. 2.*

VERVM craſſus eſt iſte error, & ex inſcitia ortus: qua non animaduertunt actiones & paſsiones ſoli perſonæ, ſeu hypoſtaſi hominis propriè tribui, non autem naturæ: homo enim dicitur comedere, ambulare, pati, mori: non humana natura; quare nulla eſt in his locutionibus, vel impropria locutio, vt loquitur Caluinus; vel Synecdochica, vt loquitur Beza; immò ſi in his eſſet Synecdoche, non tantùm impropria eſſet locutio, cùm aſſerimus ipſum filium Dei, verumque Deum eſſe natum & paſſum: ſed eſſet etiam locutio planè falſa: ſenſus enim eſſet, quòd natura vel diuina, vel humana eſſet paſſa & nata, quod verum non eſt. XXVIII. *Calu. & Beza locis citatis.*

Gg Sed

Sed quia vnica eſt perſona & hypoſtaſis in Chriſto, nimirum filij Dei, actiones omnes tam diuinæ quàm humanæ naturæ verè & propriè, ac ſine vlla figura tribuuntur filio Dei. Quare ſicut filius Dei verè & propriè dicitur æqualis Patri, omnipotens, æternus, quæ illi conueniunt ratione diuinæ naturæ: ita verè & propriè dicitur conceptus, natus, paſſus, & cætera feciſſe, quæ illi conueniunt reſpectu humanæ naturæ. Verùm Aduer-

Beza loco citat. ſarij, quia has ſubtiliores Theologorum de diuinis rebus diſputationes vel contemnunt, vel ignorãt, dum volunt Neſtorianos aut EVTYCHIANOS impugnare, in craſſos incidunt errores; vt Bezæ hoc in loco contigiſſe, facile eſt animaduertere.

XXIX. *De Zuin. vide ſup. c.4.§.1. De Beza hoc c. §. 19.* CONTRA quartum Symboli articulum contendunt Aduerſarij carnẽ Chriſti nihil nobis prodeſſe, vt de Zuinglio ſupra oſtendimus aut certè ex ſe vim viuificandi non habere, vt vult Beza: quo vno errore eneruant omnem vim & efficaciã paſsionis, mortis, & ſepulturę Chriſti, cũ hæc omnia carnis Chriſti, nõ diuinitatis fuerint propria.

XXX. *Calu. l. 4. Inſt. c. 17. ſect. 29. ſub finẽ.* CONTRA quintum Symboli articulum negant Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis clauſo ſepulchro, ne cogantur fateri duo corpora poſſe eſſe in eodem loco. Et Caluinus quidem diuinat ſuo more, nunc *lapidis duritiem ſe flexiſſe ad Chriſti corporis occurſum, nunc Chriſti imperio amotum fuiſſe lapidem, & mox tranſitu dato, in ſuum locum rediſſe.* Neque enim negari poteſt quin ſepulchrum fuerit clauſum poſt Chriſti reſurrectionem cum ad-

Mat. 28. v. 2. uentantibus manè mulieribus, *Angelus reuoluit lapidem ab oſtio monumenti.*

XXXI. NEGANT etiam Chriſtum poſt ſuam reſurrectionem potuiſſe ingredi ad diſcipulos clauſis ia-

nuis,

nuis, ne etiam cogantur admittere duo corpora in eodem fuiſſe loco: id quod olim negaſſe Berengarium teſtis eſt Guitmundus Berengarij coæuus. Porrò duo illa expreſſa ſacræ Scripturæ loca quæ hoc aſſerunt variè & ridiculè deprauant, vt paulò ſuperiùs oſtendimus. Contra vtrumque hunc errorem varia antiquorum Patrum teſtimonia collegit Coccius. *Guitm. l. 3. de Euchariſtia. Io. 20. v. 19. & 26. Hoc c. §. 13 Coccius Tō. 1. Th. l. 2. art. 5.*

CIRCA ſextum articulum de aſcenſione Chriſti ad cœlos, duos etiam errores excogitarunt, dum Euchariſtiam oppugnare ſatagunt. Primus, iſque planè ridiculus eſt, quòd negent Chriſtum ad cœlum ſupremum aſcendere potuiſſe, niſi diſruptis omnibus cœlis inferioribus: ne ſcilicet cogantur concedere Chriſti corpus eodem loco fuiſſe cum cœlorum corporibus; cœlos enim eſſe corporeos, atque *fortes ſeu ſoli diſſimos tanquam æs formatos*, & ratio naturalis, & ſacræ litteræ edocent. Et cùm cœlorum particularium magna ſit multitudo, vt probant Mathematici, neceſſe erit Aduerſarios affirmare Chriſtum *Aſcendendo ſupra omnes cœlos* (vt loquitur Apoſtolus) omnes prorſus cœlos diſrupiſſe, nec aliter ad ſupremum cœlum aſcendere potuiſſe. Et quidem Miniſtri illi, qui in Pariſienſi illa diſputatione adfuerunt, pertinaciſsimè contendebant *Chriſtum aſcendere non potuiſſe, niſi ſiſſis, atque diſruptis cœlis*. Cæteroſque Caluinianos idem aſſerere neceſſe eſt, niſi velint penetrationem cœlorum contra ipſorum receptam doctrinam admittere. XXXII. *Iob 37. v. 18. Ad Ephe 4. v. 10. Miniſtri in ſcripto exhibito Pariſijs 18. 25. & 30. Iulij. art. 26. an. 1566.*

SECUNDUS error, cùm dicitur Chriſtus ſedere ad dexteram Patris, contendunt corpus Chriſti verum & naturalem locum in cœlis habere. Certè Caluinus vehementer contendit Deum ipſum efficere non poſſe, vt Chriſti corpus non continea- XXXIII. *Calu l. 4. Inſt. c. 17. Sect. 24. in fine.*

Ad Eph. 4.v.10. Ad Heb. 7.v.26.

tur vno certoq́ue loco. Verùm cùm contrà obijcimus, hoc articulo nos profiteri, *Chriſtum aſcendiſſe ſuper omnes cœlos*. Item, *Chriſtum eſſe excelſiorem cœlis*, vt Apoſtolus apertiſsimè docet: atqui extra & ſuprà cœlos nullum eſſe locum verum & naturalem, quo ambiri & contineri poſsit Chriſti corpus: hîc nihil habent ſolidi quod reſpondeant.

Cal. c.7. act. ad ſi v. 56. Et in c.4. ad Epheſ. ad v. 10. Beza To. 1. Opuſc. in libro cõtra Ioachimum VVeſtph. cum reſpondet ad c.33. l. VVeſtph. pag. 45. Et rurſus eodem to. 1. in dial. qui inſcribitur Cyclops p. 304.

Caluinus quidem alibi non ſemel (vt eſt in ſuis Dogmatibus ſæpè varius & inconſtans) ingenuè fatetur, Chriſti corpus iam non eſſe in loco proprio & phyſico, quòd *propriè loquendo hoc eſt philoſophicè nullus ſupra cœlos ſit locus*. At Beza cùm ſatis animaduerteret iſtud ſi admitteretur, non parum officere communi ipſorum doctrinæ, quæ affirmat omne corpus neceſſariò vno certoq́ue loco contineri: & ex alia parte non auderet affirmare extra cœlum eſſe locum, cùm extra & ſupra omnes cœlos nulla ſit corporis ſuperficies, qua ambiatur & circumſcribatur Chriſti corpus, ne nihil reſpondiſſe videatur, dicit quæſtionem hanc eſſe curioſam, & minimè inueſtigandam. Et nihilominus Aduerſarij non verentur inueſtigare, quomodo corpus Chriſti ſit Euchariſtia: ſed neque aſſerere reformidant Deum efficere non poſſe, corpus Chriſti vno certoq́ue loco contineatur, & cùm nos ex ipſis ſacris literis contrarium probamus, reſpondent tandem, curioſam eſſe quæſtionem, minimeq́ue inueſtigandam, cùm illi eandem quæſtionem primi & inueſtigarint, & in eius inueſtigatione non parum de diuina potentia detraxerint.

XXIV.

SEPTIMI articuli fidem eleuant Aduerſarij: nam ſeptimo hoc articulo profitemur Chriſtum Dominnm noſtrum venturum in fine mundi ad iudicandum viuos & mortuos: & ex conſequenti

ipſum

ipſum nondum veniſſe. At verò, ſi à multis centenarijs annorum ceſſaſſet recta Euchariſtiæ adminiſtratio (vt contendunt Aduerſarij) oportuiſſet Chriſtum à multis annis iam veniſſe ad iudicium viuorum & mortuorum. Diſertis enim verbis affirmat Apoſtolus veram & rectam Euchariſtiæ adminiſtrationem finem non habituram, donec Chriſtus ad iudicium venerit: *mortem* (inquit Apoſtolus) *Domini annunciabitis, donec veniat*: nulli dubium, quin ad iudicandum viuos & mortuos. *1. Cor. 11. v. 26.*

Porrò, in Spiritum ſanctum (in quem profitemur nos credere in octauo articulo) maximè iniurij ſunt Aduerſarij, dum non verentur affirmare, illum tot annis deſeruiſſe Chriſti Eccleſiam, contra tam multa & tam expreſſa Chriſti promiſſa. XXXV. *Mat. 16. v. 18. Mat. 18. v. 20. Ioan. 14. v. 16.*

Nonvm articulum prorſus euertunt: neque enim poterat his tot annis elapſis ſancta eſſe Eccleſia, ſi Idola colebat, panem videlicet & vinum nec Catholica, ſi inuiſibilis in neſcio quo angulo latitabat: nec denique poterat illa eſſe Sanctorum communio, quæ manifeſta Idololatria polluta fuit. XXXVI.

In decimum articulum, qui eſt de peccatorum remiſsione, grauiter peccant Aduerſarij, dum inficiantur Euchariſtiam eſſe non tantùm Sacramentum, ſed etiam Sacrificium ad remiſsionem peccatorum obtinendam à Chriſto inſtitutum. De qua re infra, cùm diſputabimus de Miſſæ ſacrificio. XXXVII.

Vndecimvm articulum, qui eſt de reſurrectione carnis, multis modis infirmant, dum aſſerunt naturales rerum proprietates à rebus ipſis ſeparari non poſſe (vt ſuprà ex eorum ſententia xxxviii. *Sup. hoc c. §. 14.*

Digitized by Google

oſtendimus) omnes enim dotes corporum reſurgentium aduerſantur naturalibus corporum proprietatibus: quid enim eſt magis naturale corpori humano quàm igne conſumi, & in cineres redigi: & tamen damnatorũ corpora igne quidem vruntur, ſed non conſumuntur. Quid magis naturaliter inſitum humano corpori, quàm eſſe mortale, paſsibile, fragile, morbis periculisque ſubiectum, nutriri, augeri? quæ tamen omnia à corporibus beatorum longè abſunt: vt & aliæ infinitæ naturales corporum noſtrorum proprietates.

XXXIX. ADHAEC longè plures, & magis etiam arduæ ſunt difficultates, quæ obijci poſſunt contra reſurrectionẽ mortuorum, ſi rationẽ ſolã naturalẽ ſpectemus, quàm quæ contra Euchariſtiam adferri poſſunt; quare qui propter rationes naturales reuocãt myſteriũ Euchariſtię in dubium, facilè etiã deinceps dubitabunt de corporum reſurrectione. Atq; hinc eſt quòd videamus non paucos ex Caluini Diſcipulis hoc Myſterium reſurrectionis carnis noſtræ planè negaſſe, vt perſpicuè teſtatur ipſe Caluinus, idq; non ſemel. Inter quos fuit Lęlius Socinus Senenſis, quem Caluinus in fine Ep. 103. vocat *virum eximium & fratrem ſibi in Chriſto Domino chariſsimum*. Qui nihilominus aſſerebat hæc noſtra corpora non reſurgere, ſed Deum noua nobis corpora in reſurrectione mortuorum creaturum: vt conſtat ex Epiſtolis Caluini ad eundem Lælium datis.

Cal. l. 3. Inſt. c. 25. ſect. 6. & 7. Item in l. contra Libertin. c. 22. Et iterum Epi. 103. & 104.

Cal. ep. 103. & 104.

XL. DENIQVE in duodecimũ articulũ Symboli iniurioſi ſunt in eo, quòd negant carnem Chriſti in Euchariſtia comeſam nobis dare vitã æternam, & corporis immortalitatẽ; quòd tã expreſsis verbis affirmat Chriſtus: *Qui manducat* (inquiens) *meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitã æternam &*

Io. 6. v. 55 Ib. v. 58 Ibi v. 59

nam & ego reſuſcitabo eũ in nouiſſimo die. Et rurſus: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Et iterũ: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Iam verò Zuingliani carnẽ Chriſti comeſam nihil nobis prodeſſe contendunt, quos proinde carpit Caluinus, cuius verba ſuprà attulimus. Beza etiam planè inficiatur carnem Chriſti ex ſe vim viuificandi habere, vt ſuprà etiam oſtendimus hoc ipſo capite. Et quotquot tandem Caluini doctrinam ſequuntur, cùm non admittant carnem Chriſti verè & reipſa edi, ſed tantùm in ſigno, & figura, aut certè inani duntaxat, & phantaſtica imaginatione, quemadmodum ſupra probauimus: neceſſe eſt vt fateantur ſe in hoc inſigni carnis Chriſti effectu priuari: ſublata enim cauſa, à qua neceſſariò pendet effectus, neceſſe eſt vt effectus auferatur: quemadmodum ablato igne, aufertur & calor ignis: recedente Sole, aufertur & lumen ſolis. Sic vera ac reali manducatione corporis Chriſti ablata, neceſſe erit etiam nos priuari eius proprijs effectibus, qui ſunt immortalitas corporum, & vita æterna, vt ex verbis Chriſti oſtendimus.

De Zuinglio vide ſup. hac Controu. c. 4. §. 9. Cal. in c. 6. Io. ad v. 63. De Beza hoc c §. 19. Sup. c. 5. & 6.

CAPVT XVI.

Caluinum nullum habere teſtimonium doctrinæ ſuæ à veteri Eccleſia.

I. PIos Iudæorum doctores, qui ante Chriſtum fuerunt hoc ipſum futurum credidiſſe de Sacramento Euchariſtiæ, quod nos iam credimus, manifeſtè probat ex eorum ſcriptis Petrus Galatinus: quò remittimus lectorem, quòd res ex ſe ſit perſpicua, illis præſertim, qui callent Hebraicam linguam.

Pet. Gal. l. 10. c. 4. §. 6. & 7.

II. PORRÒ Patres, qui poſt Chriſtum vixerunt, idipſum docuiſſe multi Catholici integris libris com-

Bell. per totũ l. 2.

de Euch. comprobarunt & nouiſsimè Bellarminus, & *Coccius* Coccius: ex quibus plura teſtimonia peti poſſunt. *tō. 2. Th. l. 6. art. 1.* Apertiſsima verò loca Patrum ſunt illa, in quibus hi affirmant etiam tranſſubſtantiationem panis & vini: item adorationem Euchariſtiæ, & oblationem eiuſdem pro peccatis viuorum & mortuorum: quæ infra ſuis in locis adducenda erunt, ne eadem ſæpiùs repetamus. Hic ſatis erit quatuor annotaſſe circa doctrinam antiquorum Patrum.

III. Primvm eſt. Patres adeò apertè de hac re loquuntur, vt non pauci ex Aduerſarijs rei veritate conuicti, id negare non poſsint: præſertim cùm agunt de illis tribus capitibus iam dictis: vt infrà ſuis in locis oſtendemus.

IV. Secvndvm eſt. Quotieſcumque auſus eſt quiſpiam aliquid docere de hoc Sacramento contra communem & receptam doctrinam Eccleſiæ; mox arguebatur ab omnibus, & notabatur hæc eius noua doctrina vt impia, hæretica, & in Chriſtum blaſphema. Ita enim factum eſſe vſque ad tempora Berengarij iam oſtendimus primo capite huius controuerſiæ: Idem verò eius tempore & deinceps factum eſſe, ſequenti capite declarabimus.

V. Tertivm eſt. Fieri non poterat, vt tot populi, tot regna, tot viri doctiſsimi & ſanctiſsimi credidiſſent rem adeò pugnantem cum humana ratione, & ſenſibus hominum, niſi Apoſtoli hoc ipſum & docuiſſent, & miraculis confirmaſſent: vbicunque enim per totum orbem terrarum, vel vnquam fuerunt, vel adhuc ſunt Chriſtiani, omnes hanc fidem, vt certiſsimam tenuerunt; atque in hac fide hucuſque perſeuerauerunt; quemadmodum adhuc videre eſt in veterum Chriſtianorum

norum

Digitized by Google

norum reliquijs, quæ remanſerunt Antiochiæ Alexandriæ, Hieroſolymis, & in omnibus alijs locis Orientis, in quibus olim prædicauerunt & fundarūt Eccleſias ipſimet Apoſtoli. Itē, in Chriſtianis nuper inuentis in AEthiopia, Chaldæa, & in Indijs Orientalibus, qui vocantur S. Thomæ. Omnes enim iſti idem planè nobiſcum ſentiunt de reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia de tranſſubſtantiatione, de adoratione Euchariſtiæ, & eius oblatione pro peccatis.

NEQVE poſſunt Aduerſarij dicere Papam introduxiſſe hanc nouam doctrinam. Nam plerique ex iſtis nationibus adeò diſtabant à Papa, vt ignorarent planè an eſſet Papa. Præterea Neſtoriani, Eutychiani & alij hæretici in AEgypto. Item Rutheni, Moſcouitæ, & alij, qui non agnoſcebant Romanum Pontificem, idem nobiſcum credunt. Denique Græci ſchiſmatici, qui fuerunt capitales hoſtes Romanæ Eccleſiæ, & minimas quaſque cęremonias, in quibus Latini ab ipſis diſcrepabant, diligentiſsimè ſemper notabant, & carpebant: in hac re optimè ſemper nobiſcum conuenerunt. Immò videtur Deus idcircò conſeruaſſe Græcos & alios ſchiſmaticos ad noſtra vſque tempora, vt per ipſos ſaltem conuincerentur ſectarij huius temporis: quemadmodum de Iudæis ſcribit S. Auguſtinus, quos hucuſque conſeruauit Deus, vt illorum teſtimonio confirmaretur vetus Teſtamentum. VI.

S. Aug. To. 8. in fine enarrationis in Pſ. 40.

QVARTVM eſt. Argumenta, quæ ex Patribus deſumunt Aduerſarij contra nos, leuiſsima ſunt. Nam in primis ſi alicuius eſſent momenti, probarent, non quidem nouas iſtas imaginationes, quas Caluiniani tribuunt ſuæ fidei: ſed potiùs Zuinglianorum, Anabaptiſtarum & Anti-trinitariorum VII.

errorem, nimirum panem & vinum eſſe nudas figuras & ſigna abſentium corporis & ſanguinis Chriſti: quod Caluinus damnat, *vt extremam dementiam*: & Beza, *vt horrendam blaſphemiam*.

Cal. l. 4. Inſt. c. 17. ſe 9. in fi. Beza ep. 5.

VIII. DEINDE facile erit reſpondere ad omnia loca Patrum, quæ Aduerſarij obijciunt ſi modò diligenter obſeruentur tres ſequentes regulę, quas ſectatores Caluini negare non poſſunt; nam eas veriſsimas eſſe ex ipſorum confeſsione conſtat.

IX. PRIMA regula. Quotieſcunque dicunt Patres Euchariſtiam eſſe ſignum, figuram, aut ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti, loquuntur de ſigno, figura & ſimilitudine rei præſentis, non abſentis. Hanc regulam ſuprà non ſemel probauimus ex communi doctrina Caluinianorum. Et eandem approbat ipſe Caluinus diſertis verbis. Illud ipſum habet & confeſsio fidei Aduerſariorum Rupellæ edita.

Cal. l. 17. c. citato, ſe. 10. Conf. Rupel. art. 17.

X. HINC ſequitur Aduerſarios fruſtra obijcere varia loca Patrum, in quibus dicunt Chriſtum in cœna dediſſe ſignum, aut figuram ſui corporis: id enim veriſsimum eſt, ſed nō dedit ſignum rei abſentis, verum præſentis: non inane ſignum, ſed cui coniuncta fuit veritas ſignificata, hoc eſt, corpus & ſanguis Chriſti. Immò omnia huiuſmodi Patrum loca confirmant noſtram doctrinam: docemus enim ſpecies panis & vini, quæ videntur, ſigna eſſe certiſsima pręſentis corporis & ſāguinis Chriſti, quæ ſub illis nō inuiſibiliter, ſed veriſsimè latent. Quare ſicut ex fumo probatur vera & realis præſentia ignis in eodem loco exiſtentis: propterea quòd fumus ſit ſignum ignis pręſentis; ita ex his figuris panis & vini probatur realis pręſentia corporis & ſanguinis Chriſti in eodem prorſus loco; quia nimirum ſunt ſigna rerum pręſentium non abſentium.

Ex

Digitized by Google

Ex hac etiam regula ſequitur ſanctum Auguſtinum rectiſsimè ſcripſiſſe, *Dominum non dubitaſſe dicere, Hoc eſt corpus meum; cùm ſignum daret corporis ſui* præſentis, nempè realiter, non abſentis; de tali enim ſigno agit ibi ſanctus Auguſtinus. Illic enim conatur probare ſanguinem pecoris poſſe dici animam pecoris, quia videlicet ſanguis eſt ſignum animæ realiter præſentis in eodem planè corpore, ſicut non dubitabit vllus dicere ignem eſſe in domo, cùm videt in domo ingentem fumum: neque dubitabit vllus dicere hominem viuere, aut habere in ſe animam, quem videt loquentem, ambulantem & ratiocinantem: nam iſta ſunt ſigna vitæ & animæ præſentis realiter in eodem homine. XI. *S. Aug. Tom. 6. contra Adimantũ Manich. diſcipulum c. 13.*

XII. SECVNDA regula. Quotieſcunque dicunt Patres nos nõ mãducare corpus Chriſti, quod videbatur in terris, ſed illud quod nõ videtur: non loquuntur de ſubſtantia corporis Chriſti, ſed de modo exiſtendi Chriſti corporis viſibiliter & ſenſibiliter, hoc eſt, dicunt quòd non comedimus corpus Chriſti viſibili & ſenſibili modo, vt erat in terris, ſed modo inuiſibili in Sacramento; realiter tamen & veriſsimè. Neque enim eſt Chriſtus homo bicorpor, nec habet ille duo corpora humana, vnum viſibile, aliud inuiſibile, ſed vnicum duntaxat corpus humanum, quod olim fuit viſibili modo in terra, & iam inuiſibili modo eſt in hoc Sacramento. Atque ita intelligendi ſunt S. Auguſtinus & S. Hieronymus cum dicunt duplicem eſſe carnem Chriſti, vnam viſibilem, aliam inuiſibilem in hoc Sacramento. *S. Augu. tom. 8. in Pſ. 98. ad v 5. S. Hier. in c. 1. ad Eph. ad v. 7.*

XIII. *S. Aug. loco citato. Cal l. 4 Inſt. c. 17. § 34. ſub fin.*

HANC regulam veriſsimam eſſe agnoſcit ipſe Caluinus. Nam cùm citaſſet verba illa ſancti Auguſtini, *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi*

eſtis:

Digitized by Google

eſtis:ſtatim ſubiungit:***Negare certè noluit quin idem corpus quod in Sacrificium Chriſtus obtulit, in cœna porrigatur, ſed manducationis modum notauit.*** Hæc Caluinus.

XIV. TERTIA regula. Non ſunt miſcenda, & cõfondẽda illa quæ ſcribunt Patres de fructu & effectu

Sup. c. 13. §. 10. Sacramẽti Euchariſtię, cũ illis, quæ ſcribũt de ipſa veritate Sacramenti. Hãc regulã ſatis probauimus ſuprà; quam neceſſe eſt, vt etiam recipiant Aduerſarij, niſi velint eſſe Donatiſtæ. Caluinus

Cal c. 17. citato Sect 11. certè hanc recipit, & addit; ***hoc ſemper in Eccleſia receptam fuiſſe; & hodie docere quicunque rectè ſentiunt.***

XV. HINC diſſoluuntur omnia loca Patrum ab Aduerſarijs allata, in quibus Patres loquuntur de ſpirituali vnione & coniunctione Chriſti nobiſcum. Hæc enim non eſt pars vel aliquid pertinens

Sup. c. 13. & 14. ad ſubſtantiam Sacramenti (de qua hîc diſputamus) ſed eſt effectus & fructus Sacramenti, cuius participes ſunt ſoli fideles & pij. qua de re ſatis ſupra.

XVI. Ex his tribus regulis facile eſt reſpondere ad omnia ſophiſmata & fallaces concluſiunculas, quas Aduerſarij deſumunt ex dictis antiquorum Patrum. Quare in his vlteriùs immorandum non

Sup. hoc c. §. 2. erit; præſertim cùm auctores ſuprà citati abundè ſatisfecerint ſingulis Aduerſariorum obiectionibus ex antiquis Patribus depromptis: quos qui cupit, conſulere poterit. Nos enim hic ex ipſis ſcripturis præcipuè diſputamus contra Aduerſarios.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XVII.

Caluini doctrinam non habere firmum teſtimonium ab vllo qui ante illum vixit.

CVM Aduerſarij vident ſe deſtitui auctoritate ſacræ Scripturæ, & Patrum antiquorum, confugiunt ad recentiores quoſdam hæreſiarchas: ſed fruſtrà. Sunt enim ex his ſeptem ad quos præcipuè ſolent confugere: qui omnes & perdita auctoritate, & facinoroſa vita extiterunt. I.

II. PRIMVS eſt Berengarius, verùm ille fuit potiùs Anabaptiſta quàm Caluinianus, tres enim habuit errores. Primus infantes non eſſe baptizandos. Secundus, diſſolui poſſe matrimonia ad nutum: immò licitum eſſe adulterium, & promiſcua connubia. Tertius eſt, Corpus Chriſti eſſe in pane, vt in ſigno duntaxat. Quamuis nonnulli ex eius diſcipulis faterentur corpus Chriſti verè eſſe in Sacramento, ſed ſimul cum pane, vt iam dicunt Lutherani.

III. DEINDE Berengarius de inuocatione Sanctorum, de oratione pro defunctis, de ſacrificio Miſſæ, de iuſtificatione, de bonis operibus, & cæteris omnibus dogmatibus iam controuerſis nobiſcum omninò cenſebat: tribus illis iam dictis exceptis. IV. V.

Lanfrancus in tri. l. de Euc. ſacram. Guitmũdus l. 1. de corporis & ſangu. Chriſti veritate, in

PRAETERA ſtatim vt Berengarius cœpit illas hæreſes diſſeminare, damnatus fuit ab omnibus: & quidem à quinque diuerſis Concilijs Oecumenicis.

AD hæc, antequam incideret in hæreſim, fuit homo non tantùm ſuperbus & arrogans, ſed etiam magiæ & necromantiæ deditus: poſt hæreticus fa-

principio. Malmeſ. de rebus Anglicis lib. 3. Gaguinus l. 5. annal. Franciæ in fine.

cus factus, in ſua doctrina aſſerenda fuit inconſtantiſsimus. Nam ter, quaterue abiurauit ſuum errorem; idque in publicis Synodis. Item, bis fuit periurus, præterea proprijs manibus publicè cóbuſsit ſuos libros: & tandem ſub finem vitæ ſyncerè abiurauit ſuam hæreſim, atque aliquamdiu egit auſteram pœnitentiam in inſula quadam fluminis Ligeris: mortuuſque eſt Catholicus, & valdè pœnitens.

VI: *Maſſ. l. 3. ann. Gal. in vita Phil. 1. Reg. Belleforeſt. l. 3. ann. Franc. c. 18.*

Haec omnia fusè referunt Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Guitmundus & Guilelmus Malmesburienſis, qui eodem ſæculo vixerunt, vt alios complures omittamus. Item, de pœnitentia eius, & quòd mortuus ſit Catholicus, ex antiquis Annalibus Franciæ referunt Robertus, Gaguinus, Papyrius Maſſonus, & Franciſcus Belleforeſtius.

VII. Secvndvs, quem adferre ſolent Aduerſarij, eſt Baſilius quidam Gręcus, non ille antiquus doctor (vt nonnulli perſuadere conantur indoctis) ſed recens quidam medicus, qui in Græcia cœpit oppugnare hoc Sacramentum, eodem ferè tempore, quo Berengarius in occidente, nimirum circa annum 1080. Verùm neque fuit iſte Caluinianus, ſed potiùs Manichæus: immò illis multò etiam deterior: plurimas enim & abſurdas docebat hæreſes, quas prolixè recitat Euthymius, qui eadem ætate vixit, inter quas fuerunt iſtæ: multos ſacræ ſcripturæ libros reijciebat. Deum dicebat corporeum. Filium aſſerebat genuiſſe Spiritum ſanctum, & Spiritum ſanctum genuiſſe Iudam, ac cæteros vndecim Apoſtolos. Item, dæmonem eſſe fratrem Filij Dei, & quidem natu maioré, & præſtátiorem. Præterea dæmones eſſe colendos, ne obſint nobis: & alia huiuſmodi multa abſur-

Euth. in ſua Pan. parte 2. per totum tit. 23. Euth tit. 23. ci. c. 1. Eut. ib c 2.

ſurda. Reijciebat quidē hoc Sacramentū & ſacrificiū Miſſę, ſed alia prorſus ratione quā Caluiniani; affirmabat enim ſolam orationem Dominicam eſſe Sacramentum Euchariſtię, eodem Euthymio teſte. Hic tandem cum modò fingeret ſe reſipiſcere, modò ad vomitum rediret, Imperatoris Græcorum Alexij, omniumque magiſtratuum, tam ciuilium, quàm Eccleſiaſticorum, communi ſētētia, igne cōbuſtus eſt, vt refert idē Euthymius.

Eut. ib. c. 5. *Eut. ib. c. 6.* *Eut c. 20. eod. loco.* *Euth. tit. 23. citato c. 17.* *Eut. eod. ti. 23. c. vl.*

VIII. TERTIVS eſt Petrus Bruzius, & quidam Henricus, qui fuerunt tempore S. Bernardi, circa annum 1140. Contra hos ſæpe agit S. Bernardus, & Henricum illum egregiè depingit. Sed iſti duo erant potiùs Anabaptiſtæ quàm Caluiniani, nā negabant infantes eſſe baptizandos. Preterea de Euchariſtia longè aliter docebant, quàm Caluiniani: illi enim fatebantur Chriſtum in cœna dediſſe verum ſuum corpus diſcipulis, ſed negabant vllum iam poſſe id efficere: atque ita tollebāt prorſus hoc Sacramentum. Ita teſtantur ſanctus Bernardus & Petrus Cluniacenſis, ſancti Bernardi coætaneus, qui fusè illorum errores proſequitur.

S. Bernar. epiſt. 104. ad comitē S. Aegidij S. Bern. epiſt. 240. cit. Petr. Cl. in tra. de miſſa & Trāſſubſtantiatione.

IX. QVARTVS eſt quidam VValdo nomine, ciuis Lugdunenſis, à quo dicti ſunt VValdenſes & pauperes de Lugduno: qui fuerunt circa annum Domini 1160. Sed iſti docebant etiam varios errores Anabaptiſtarum: negabant enim vllum malefactorem puniendū eſſe pęna capitali: dicebāt illicitum eſſe omne iuramentum: fornicationem autē, & adulterium eſſe licita: Omnem poteſtatem tam ciuilem quàm Eccleſiaſticam dicebant amitti per peccatum mortale. De Sacramento Euchariſtiæ duo docebant. Primum, conſecrationem fieri per ſolam orationem Dominicam ſepties repetitam, ſine vllis alijs verbis: nam omnem aliam orationem præter Dominicam reijciebant. Secundum,

Aeneas Syluius de origine Bohemorum c. 33. & 35.

dum, docebant hoc Sacramentum non poſſe confici niſi ſemel in anno nimirum feria quinta in cœna DOMINI: ac proinde Sacramentum eo die conſecratum conſeruabant per totum annum; in quo fatebantur verum eſſe corpus Chriſti. Qui errores nihil commune habent cum doctrina Caluinianorum: de his ſcribunt AEneas Syluius & Guido Carmelita. Immò Lutherani ipſi probant ex ſcriptis VValdenſium illos non fuiſſe Caluinianos, ſed Caluinianos deprauaſſe eorum confeſsionem ante paucos annos.

Guido de hæreſibus VVald. c. 9. Ita Conradus Schluſſelbürgius in Theol. Caluiniſtarum l. 2. art. 6. ſub fin.

X. QVINTVS eſt Almaricus quidam cum ſuis ſocijs, qui Albigenſes dicti ſunt. Hi multùm vexarunt Galliam Narbonenſem, circa annum Domini 1200. Verùm abſurdiſsimas etiam habuerunt hæreſes. Nam cum Manichæis aſſerebant duos eſſe Deos, vnum malum, alium bonum: negabant reſurrectionem mortuorum: reijciebant Symbolum Apoſtolorum, & totum vetus teſtamentum: aſſerebant omnes Patres veteris teſtamenti eſſe damnatos: porrò, ſanctum Ioannem Baptiſtam affirmabant fuiſſe vnum ex præcipuis dæmonibus: denique blaſphemabant ipſum Chriſtum, qui viſibiliter apparuit, & alium ponebant inuiſibilem, quem aſſerebant veram non habuiſſe carnem. Quod verò attinet ad hoc Sacramentum, erant potiùs Vbiquetarij quàm Caluiniani: nam dicebant Chriſtum illum inuiſibilem eſſe vbique & non aliter in Euchariſtia quàm in omnibus alijs rebus. Quare mirum eſt, quòd non pauci recentiores Caluiniani hos laudent tanquã veros Dei cultores. De his ex profeſſo ſcribunt qui eadem ætate vixerunt, Cæſarius & Petrus Ciſtercienſis.

Caeſa. l. 5. dial. Pet. Ciſter. c. in hiſt. Albig.

SEXTVS

SEXTVS quem adducunt eſt Ioannes VVicleph Anglus: qui vixit circa annum 1360. Sed iſte multos docuit errores, quos Caluiniani damnant: Verbi cauſa. Quòd Deus debet obedire diabolo. Quòd omnis poteſtas tam Eccleſiaſtica quàm ciuilis amittatur per peccatum mortale: Quòd illicitum ſit Eccleſiaſticis vllas poſſeſsiones tenere; Quòd iuramenta omnia eſſent illicita. Quòd omnia eueniant de abſoluta neceſsitate. Quòd omnes vniuerſitates & gradus, qui in illis dantur, ſint à diabolo, & alia pleraque huius generis, quæ in articulis eius per generale Concilium Conſtantienſe damnatis continentur. Deinde quod attinet ad præſens negotium de Euchariſtia; VViclef iſte fuit reuera in hæreſi Anabaptiſtarum & Zuinglianorum, quam accepit ex Berengarij libris: Caluini autem nouam opinionem planè ignorabat. Docebat enim panem & vinum eſſe nuda ſigna corporis & ſanguinis Chriſti; vt conſtat ex verbis eius, quæ extant apud Thomam VValdenſem. Illos autem qui hoc docent efficere Deum ipſum mendacem & impoſtorem ingenuè fatentur Caluinus & Beza. XI.

Cõ. Cõſt. ſeſſ. 8.

Thomas VVal. to. 2 de Sac. c. 13 Cal. l. 4. Inſt. c. 17. ſect. 10 Beza ep. 5.

Septimus & vltimus quem afferunt, eſt Ioannes Hus Bohemus. Sed reuera Caluiniani inferunt illi magnam iniuriam: nunquam enim negauit ille veram præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, immò ipſe in tractatu de hoc Sacramento (quem ſe conſcripſiſſe teſtatur Epiſt. 51. in carcere paulò ante mortem) apertiſsimè confitetur Tranſſubſtantiationem panis & vini, adorationem Euchariſtiæ, & ſacrificium Miſſæ: & addit, *nunquam ſe aliter docuiſſe aut ſenſiſſe, de quo ipſum veritatis inimici mendaciter accuſarunt.* Cuius verba prolixè recitat Coccius. Huius rei teſtes ſunt, XII.

Ioa. Hus tom 1. in tract. de Sacr. corporis & ſanguinis Domini, c. 3. Coccius tom. 1 th. l. 8. ar. 4. §. 45. & ſeq.

& verba illa rythmi cuiuſdam Ioannis Hus de hoc Sacramento, quæ extant in ſecundo tomo operum Hus, ſunt autem huiuſmodi:

Non eſt panis, ſed eſt Deus
Homo liberator meus,
Qui in cruce pependiſti,
Et in carne defeciſti:
Non augetur conſecratus,
Nec conſumptus fit mutatus,
Nec diuiſus in fractura,
Plenus Deus in ſtatura.

Et Huſsitę ipſius diſcipuli omnia iſta nobiſcum profitentur vſque in hodiernum diem: qui non minus damnant Caluinianos, & etiam Lutheranos quàm nos: neque alium habent errorem circa hoc Sacramentum, quàm quòd putent communionem ſub vtraque ſpecie omnibus eſſe neceſſariam, etiam infantibus, quibus proinde ſtatim pòſt Baptiſmum porrigunt communionem ſub vtraque ſpecie. Id quod improbant omnes Caluiniani. Præterea Ioannes Hus eiuſque ſectatores idem planè ſentiunt nobiſcum de inuocatione Sanctorum, de oratione & ſacrificio pro defunctis, de ieiunijs & alijs cæremonijs Eccleſiaſticis, de libero arbitrio, de bonis operibus, de confeſsione peccatorum, de ſeptem Sacramentis, alijſque ferè omnibus quæ negant Caluiniani.

XIII. PORRÒ hæc omnia, quę de Huſsitis ſcribo, non ex aliorum dumtaxat relatione intellexi, ſed & præſens agnoui & aſpexi. Nam cùm ante quadraginta annos, hoc eſt, anno 1576. Pragæ eſſem (quæ prima eſt Bohemiæ ciuitas Huſsitis refertiſsima) religionem, ritus cæremoniaſque omnes Huſsitarum diligenter perſcrutatus ſum, remque ita ſe habere, vt retuli, certiſsimè cognoui. Quod etiam ſa-

am ſatis conſtat ex ipſis operibus Ioannis Hus à Lutheranis editis Noribergæ anno 1558. cum præfatione Lutheri, VVitembergæ ſcripta anno 1537.

Ex his conſtat eos omnes, quos pro ſe adducũt Aduerſarij, & nouam Caluini doctrinam penitùs ignoraſſe, & in multis alijs dogmatibus fuiſſe manifeſtos hæreticos, etiam Caluinianorum iudicio: proinde nõ poterant iſti à Spiritu ſancto accepiſſe ſuam doctrinam, quæ tot alijs ſcatebat erroribus. Sed tales Patres & doctores libenter relinquimus Aduerſarijs. XIV.

CAPVT XVIII.

Diluuntur rationes, quas Aduerſarij colligunt ex alijs fidei dogmatibus malè intellectis.

VT finem imponamus huic Controuerſiæ, neceſſe eſt vt ſatisfaciamus etiam rationibus Aduerſariorum, quibus hoc diuinum Euchariſtiæ myſterium frequentiùs ſolent oppugnare. Sunt autem hæ rationes in duplici differentia: nam quaſdam deſumunt ex alijs fidei dogmatibus ab omnibus quidem receptis, ſed ab illis non rectè vſurpatis; alias adferunt ex meris naturalibus rationibus. De prioribus hoc capite agemus: de poſterioribus ſequenti. I.

PRIMVM argumentum eſt Caluini. Euchariſtia (inquit) eſt teſtamentum in corpore Chriſti: igitur non eſt ipſum corpus Chriſti. Reſpondeo, infirmam eſſe conſequentiam; nam Euchariſtia eſt vtrumque, ſed diuerſa ratione: enimuerò duas habet diuerſas rationes Euchariſtia, II. *Calu. l. 4. Inſt. c. 17. ſect. 20. in fine.*

videlicet Sacramenti & ſacrificij (vt infrà probabimus) quatenus Sacramentum eſt ipſum corpus & ſanguis Chriſti: at verò quatenus ſacrificium, eſt etiam teſtamentum nouum, hoc eſt, ſacrificium quo ſancitur nouum teſtamentum, idque in, id eſt, per corpus & ſanguinem Chriſti, quæ in ſe continet, vt ſuprà oſtendimus. At ſi nudus eſſet
Sup. c. 9. §. 11. & ſe. panis (vt volunt Aduerſarij) proculdubio non
Luc. 22. v. 20. 1. ad Co. 11. v. 25. eſſet nouum teſtamentum: quod tamen Chriſtus apertè affirmat apud S. Lucam & S. Paulum.

III. Atqve hinc etiam facilè diſſoluitur Sophiſma illud Bezæ, quod ex verbis quibuſdam Homeri fallaciter colligit: affirmat enim Homerum
Beza c. 22. Luc. v. 20 ad Verbum, hoc poculum. 3. Iliad. *Agnis & vino fœderis appellationem tribuere, quòd fœderis dumtaxat ſymbola eſſent, ſimili prorſus dicendi genere: quo hic vſus Lucas poculum vocauit nouum teſtamentum.* Ita Beza. Sed non ita res ſe habet: nam Homerus Agnis & vino tribuit quidem appellationem fœderis, verùm non quia erant duntaxat ſymbola ſeu ſigna fœderis, ſed quia erant etiam ſacrificium, quo fœdus illud ſanciebatur, conſtituebatur, & efficiebatur inter Græcos & Troianos: nam agni erant hoſtiæ, vinum libamẽ.
Κήρυκες φέρον ὅρκια πιςὰ ἄρνε δύο καὶ οἶνον εὔφρονα καρπὸν ἀρούρης
Pracones ferebant fœdera firma, agnos duos, & vinum lætũ fructum telluris
Et iuxta hunc modum loquendi ſanctus Lucas, & S. Paulus, dicunt calicem, ſeu poculum eſſe nouum fœdus, ſeu teſtamentum, quia nimirum eſt illius cauſa, nempè ſacrificium, quo ſancitur nouum Sacramentum, & non quia eſt dumtaxat ſignum noui teſtamenti. Vox enim teſtamenti ſeu fęderis etiam in ſacris literis ſignificat non tantùm ipſum fœdus, ſed etiam victimam ſeu hoſtiam, cuius cęde ſancitur fœdus. Atque hinc eſt quòd vox Hebraica *Berith* ברית (quod eſt fœdus aut teſtamentum Latinè) in ſacris literis, ſæpe dicitur feriri,

riri,percuti,ſcindi,diuidi:quia videlicet in ſanciendo fœdere (apud Hebræos præſertim) hoſtia ſeu victima,qua fœdus ſanciebatur, & quæ efficiebat fędus,ſolebat feriri,mactari,ſcindi,ac diuidi in partes:& illi inter quos ſanciebatur fœdus, ſolebant tranſire inter partes illas diuiſas: vt ſatis conſtat ex Geneſi,& ex Propheta Ieremia. Sicut ergo ipſa hoſtia quę immolabatur in veteri teſtamento appellabatur *Berith*,id eſt fœdus,nō quòd fuerit ſignū dūtaxat fœderis,ſed quòd fuerit etiā cauſa fœderis,illud conſtituens & firmans: ita in nouo teſtamento corpus & ſanguis Chriſti, quatenus in Euchariſtia conſtituunt hoſtiam propitiatoriam incruentam,rectè vocantur à S. Luca & S. Paulo *Berith*, ſeu fœdus,aut teſtamentum; non quòd ſint ſigna dumtaxat fœderis huius,ſed quòd etiam efficiant & conſtituant nouum fœdus inter Chriſtum & nos, conferendo ſcilicet nobis remiſsionem peccatorum & vitam æternam. *Luc 22. v.20. 1.Cor. 11. v. 25. Ge.15. v. 10.17. & 18 Ierem. 34. v. 18. & 20.*

IV. VERVM,quia nos ſæpè rumpimus hoc fœdus, quod cum Chriſto ſancimus (quoties nimirum peccamus mortaliter) opus eſt,vt ſæpè illud fœdus renouetur per hoc diuinum & ſaluberrimum corporis & ſanguinis Chriſti incruentum ſacrificium. Atque hoc eſt quod dixit S. Ambroſius: *Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſsionem peccatorum funditur,debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.* Hactenus S. Ambroſius. *S. Amb. To.4.l. 4. de Sac. c.6. ſeu vlt.*

V. SECVNDVM argumentum. Verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*,explicanda ſunt per illa verba Apoſtoli: *Panis eſt communicatio corporis Chriſti*; ſed *Mat. 26. v.26.*

1 Cor.10. v. 16. hęc eſt figurata locutio, ergo & illa. Reſpódeo, etiamſi concederemus Aduerſarijs maiorem propoſitionem, nihilominus realis, & vera rei alicujus communicatio neceſſariò includit realem illius pręſentiam & vnionem cum re cui communicatur (vt iam ſuprà probauimus.) Quare non poteſt eſſe vera communicatio corporis Chriſti, niſi verè & realiter adſit corpus Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ. Deinde falſum planè eſt quod iſti aſſumunt: nam hæ duæ propoſitiones: *Calix cui benedicimus eſt communicatio ſanguinis Chriſti: & panis quem frangimus, eſt participatio corporis Chriſti*, ſunt proprię & non figuratę: ſunt enim cauſales locutiones: & cauſales quidem eſſe negare non poteſt ipſe Beza. Verùm malè cōtendit huiuſmodi propoſitiones eſſe figuratas, cùm ſint proprijſsimę, vt ſatis conſtat ex ijs quæ ſupra diximus. Falſum etiam eſt, quod eodem loco dicit Beza, Euangeliū de quo loquitur Apoſt. ad Rom. 1. v. 16. ſignificare cauſam tātùm inſtrumentalem: neq; enim ſignificat vox Euangelij apud Apoſtolum, vel codicem ſcriptum, vel nudam prædicationem duntaxat: ſed pręcipuè vim, potentiam & efficaciam ipſius Spiritus ſancti, quæ eſt præcipua & maximè eſſentialis pars Euangelij. Quare propriè dicitur Euangelium virtus & potentia Dei, cauſa enim huius potentiæ Dei eſt ipſe Deus, Euāgelium verò non eſt cauſa potentiæ huius, ſed eſt ipſa Dei potētia & operatio, qua Deus animas ad ſe ducit. Denique falſum quoque eſt quòd verba cœnę explicanda ſint per iſta verba Apoſtoli. Nā cum duo ſint in hoc Sacramento, ſubſtantia Sacramenti & eius effectus: quę minimè confundi debēt, vt olim à Donatiſtis factum eſt. Porrò, verba cœnę: *Hoc eſt corpus meū*, declarant ipſā ſubſtantiā & veritatem huius

Sup. c. 6. §. 10. & 12.

1 Cor. 10. v. 16.

Beza in 2. par. qu. Theol. q. 230.

Sup. c. 9. §. 11.

1. ad Cor. 10. v 17.

huius Sacramenti:illis autem Apoſtoli verbis oſtenditur fructus,effectus & vtilitas eiuſdem Sacramenti.Senſus enim Apoſtoli eſt,quòd calix iſte benedictus efficiat in nobis communicationē ſanguinis Chriſti,& panis quem frangimus efficiat in nobis participationem corporis Chriſti. Et hunc eſſe verum ſenſum probant euidenter ea quæ proximè ſequuntur: *Quoniam vnus panis,vnū corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* Quod.n.efficiamur vnus panis, vnūq; Chriſti corpus effectus eſt huius Sacramenti.Non ſunt igitur verba cœnæ explicanda per verba S. Pauli, cùm in illis loquatur Chriſtus de veritate & ſubſtantia ipſa Sacramenti;in iſtis verò loquatur Apoſtolus de effectu ſeu fructu Sacramenti: quæ ſunt inter ſe valdè diuerſa:etiam ipſorum Aduerſariorum iudicio,& nominatim Caluini;de qua re plura etiam ſupra. *Calu.l.4. Inſt.c.17. ſect.11. Sup.c.13. ſ.10.*

VI. TERTIVM argumentum deſumunt ex ſimilitudine Baptiſmi cum Euchariſtia. *Aqua* (inquit) *Baptiſmi vocatur* ſanguis Chriſti,cùm dicitur *Chriſtus lauaſſe nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo:* & tamen ſanguis Chriſti non eſt realiter in Baptiſmo, ſed tantùm per fidem Baptizati.Reſpondeo,hanc ſimilitudinem Baptiſmi cum Euchariſtia ſæpè repetunt Aduerſarij,eamque adducunt etiam in ipſorum fidei confeſsione Rupellæ edita. Verùm nimia iſta ſimilitudo,quam Aduerſarij introducunt inter Baptiſmum & Euchariſtiam, eſt illis cauſa multorum errorum: vt infrà ſæpius oſtendendum erit. Quod verò attinet ad præſens negotium,dum ſimilitudinem hanc vrgent;incautè delabuntur in errores Anabaptiſtarum & Donatiſtarum.Nam in primis ſi aqua Baptiſmi per fidē eſſet ſanguis Chriſti (vt illi contendunt) infantes *Ap.1.v.5. Confeſsio Rupe.art. 37.&38.*

qui nullum habent actum fidei, baptizandi non eſſent: atqui iſte manifeſtus eſt error Anabaptiſtarum. Deinde, ſi aqua in Baptiſmo ſignificaret ſanguinem Chriſti, ſenſus illorum verborum, *Ego te baptizo*, eſſet iſte, *Ego te lauo ſanguine Chriſti*: quæ verba in Baptiſmo hæreticorum eſſent falſa: atq; ita Baptiſmus hæreticorum eſſet nullius momenti, & repetendus; vt docebant Donatiſtæ. Porrò, verus ſenſus illorum verborum Baptiſmi eſt iſte: *Ego confero tibi Sacramentum Baptiſmi*: qui etiam eſt verus in Baptiſmo hæreticorum.

VII. NON eſt igitur par ratio Baptiſmi & Euchariſtiæ, ſed longè diſsimilis, etiam ſecundum doctrinam Aduerſariorum. Nam ipſi docent Chriſtum in Euchariſtiæ Sacramento ſumi per fidem *Calu l. 4. Inſt. c 16. ſect. 19.* ſuſcipientis: quod de Baptiſmo aſſerere non poſſunt, niſi velint infantes omnes à Baptiſmo arcere. Neque enim habet infans actum fidei, quo Chriſtum apprehendat, etiam Caluino teſte.

DEINDE nuſquam in ſacris literis appellatur
VIII. aqua Baptiſmi ſanguis Chriſti, vt Aduerſarij falsò aſſumunt. Quod enim citant ex Apocalypſi, *Ap. 1. v. 5.* *Chriſtum lauiſſe nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*: malè coarctare conantur ad ſolius Baptiſmi ablutionem, cùm S. Ioannes loquatur de omni prorſus peccatorum ablutione, quæ vel vnquam fuerat, vel aliquando futura eſt. Enimuerò quicunque *Ad Heb. 9. v 14.* accipit remiſsionem peccatorum, is lauatur à peccatis ſuis in ſanguine Chriſti, vt apertè teſtatur S. *1. Io 1. v. 7.* Paulus. Hinc idem S. Ioannes aſſerit, *Omnes qui in luce ambulant lauari à peccatis ſanguine Chriſti*; & *Apo 7. v 14.* alibi: *Omnes qui aduerſa patiuntur propter Chriſtum, lauare ſtolas ſuas in ſanguine agni.* Non debet igitur

iſta

iſta ablutio quæ fit ſanguine Chriſti reſtringi ad ſolum Baptiſmum, vt volunt Aduerſarij

DENIQVE, in loco, quem illi citant ex Apocalypſi, nulla prorſus fit mentio aquæ: ſed ſolius ablutionis ſeu purgationis peccatorum: quam quotidie ſine aqua fieri in his, qui iam olim baptizati fuerunt, perſpicuum eſt. IX.

QVARTVM argumentum deſumunt ex ſimilitudine, quæ eſt inter Chriſti corpus, & noſtra corpora. *Debuit Chriſtus* (vt ait Apoſtolus) *per omnia fratribus ſimilari*: & rurſus alibi, *quod Chriſtus ſit ſimilis nobis in omnibus abſque peccato*: ſed noſtra corpora non ſunt inuiſibilia, aut ſpiritualia, aut in tali ſitu, & loco, quo aſſerimus corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia. Reſpondeo, Aduerſarij in hoc argumento bis peccant. Primò quia non admittunt Deum poſſe efficere, vt corpus hominis cuiuſuis ſit inuiſibile, & modo ſpirituali, atq; in loco quouis minimo, ſicut eſt corpus Chriſti in Euchariſtia: quòd non tantùm eſt contra veram philoſophiam, & rationem naturalem (vt ſequenti capite oſtendemus) ſed etiam contra aperta Chriſti verba, quibus aſſerit Deum poſſe efficere, *vt camelus tranſeat per foramen acus*: cùm camelus ſit maior homine, & foramen acus minus quauis hoſtia conſecrata: vt ſuprà fusè probauimus, etiam teſtimonio ipſius Bezæ. Quare in hac re non eſt diſsimilitudo inter Chriſti corpus, & noſtra corpora; nam ſicut Deus omnipotentia ſua facit, vt corpus Chriſti ſit in hoſtia conſecrata: Ita poſſet Deus, ſi vellet, efficere, vt corpus cuiuſuis alterius hominis eſſet ſimili modo in hoſtia conſecrata. X. *Ad Heb. 2. v. 17. Ad Heb. 4. v. 15. Matt. 19. v. 24. Sup c. 15. §. 4. & ſeq.*

SECVNDÒ peccant, quia non animaduertunt XI.

 dupli-

Digitized by Google

duplices eſſe proprietates,ſeu conditiones humanitatis Chriſti:quaſdam naturales, alias ſupernaturales.Cùm Apoſtolus affirmat Chriſtum eſſe ſimilem nobis,loquitur de proprietatibus naturalibus corporis Chriſti,non de ſupernaturalibus. Nam alioqui ſatis conſtat Chriſtum hominē multas accepiſſe à Deo proprietates ſupernaturales, ad quas noſtra corpora non pertingunt. Neque enim naſcimur ex Virgine,& ſine peccato originali,vt Chriſtus: nec ſumus redemptores mundi, nec aſcendere poſſumus ad cœlos,nec ſuper aquas ambulare,vt ille;ſed neque eſt caro noſtra hypoſtaticè vnita Verbo Dei, vt eſt caro Chriſti. Iam verò modus iſte, quo exiſtit corpus Chriſti in Euchariſtia,eſt planè ſupernaturalis,& non naturalis proprietas corporis Chriſti: quare mirum non eſt,ſi ea re corpus Chriſti differat à noſtris corporibus:quemadmodum etiam differt multis illis alijs ſupernaturalibus donis, & proprietatibus iam allatis. Denique non dicit Apoſtolus Chriſtum eſſe ſimilē nobis in omnibus,ſed Chriſtum fuiſſe tentatum per omnia abſque peccato: quod longè diuerſum habet ſenſum, vt manifeſtum eſt. Vide Riberam in Epiſtolam ad Hebræos.

Franciſc. Ribera in c.4. Epiſ. ad Heb. ad v.15.

XII. QVINTVM argumentum. Obijciunt (idq́ue non rarò) præſentiam corporeā carnis Chriſti eſſe inutilem,quòd ſola ſpiritualis prǫſentia, quǫ eſt per fidem,ſufficiat. Addunt etiam nonnulli præſentiam hāc Chriſti corpoream etiam eſſe noxiā: idq́ue inde conantur probare,quòd Chriſtus dixerit de ſua corporea præſentia: *Expedit vobis,vt ego vadam. Si.n.nō abiero, Paracletus non veniet ad vos.* & de eadem præſentia ſcribit Apoſtolus: *Si cognouimus ſecundum carnem Chriſtum,ſed nunc iam non nouimus.*

Io 6. v. 7.

nimus. Reſpondeo, in hoc admodum perniciosè errant Caluiniani, quòd ſibi perſuadeant realem Chriſti præſentiam parùm, aut nihil nobis prodeſſe. Hæc.n. eſt ipſiſsima hæreſis Neſtoriana ante mille & ducentos ferè annos damnata in Concil. Alexandrino & Epheſino generali canone II. vbi definitum eſt, *carnem Chriſti nobis dare vitam æternam:* & idem affirmat, idque non ſemel, ipſe Chriſtus Dominus in prima illa ſua concione, quam de hòc Sacramento habuit, vt refert S. Ioannes. Quare impium planè eſt dicere præſentiam carnis Chriſti eſſe inutilem; & magis impium eſt aſſerere illam eſſe pernicioſam.

1. ad Co. 5 v. 16.

Ioa. 6. v. 52. 55. 58. & 59.

XIII. ADVERSARII autem duobus modis errant, dum illa loca Scripturæ nobis obijciunt. Primò, quia non animaduertunt Chriſtum, & S. Paulum loqui de præſentia corporea, quæ viſu & ſenſibus corporis percipitur: cuiuſmodi erat præſentia Chriſti in hac vita, dum verſaretur cum Apoſtolis, quam percipiebant non tantùm Iudæi, infideles, & Chriſti perſecutores; ſed etiam beſtiæ: at verò præſentia Chriſti in Euchariſtia, etſi vera ſit, & realis, eſt tamen illa ſupernaturalis, inuiſibilis & ſpiritualis, vt quæ non poſsit niſi ſola fide percipi. Proinde hoc modo Chriſtum cognoſcere, nō eſt illum cognoſcere ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, cùm hoc modo non cognoſcatur, niſi ab illis qui habent Spiritum fidei.

XIV. SECVNDÒ errant. Quia cùm dicunt realem præſentiam humanitatis Chriſti non eſſe vtilem hominibus: aut loquuntur de illis qui fidem nullam habent, nec pium affectum erga Chriſti carnem: & hac ratione verum quidem dicunt, ſed nihil ad propoſitum: nemo enim eſt Catholicus, qui aſſerat præſentiam carnis Chriſti prodeſſe huiuſmodi

iuſmodi hominibus, cùm iſtis nihil prodeſſe poſſit, ne Dei quidem ipſius pręſentia; qui realiter eſt in omnibus, etiam in impijſsimis: nam vt dicit Apoſtolus: *Coinquinatis & infidelibus nihil eſt mundū, ſed inquinata ſunt eorum & mens & conſcientia.* Aut loquuntur Aduerſarij de fidelib. & pijs hominibus: de quibus ſolis eſt hîc Controuerſia: & in hoc ſenſu valdè impium eſt aſſerere præſentiam realē humanitatis Chriſti hominibus nihil prodeſſe. Præſentiam etenim hanc Chriſti verbo plurimū prodeſſe, perſpicuè probant illa Chriſti verba ad Apoſtolos: *Beati oculi qui vidēt quæ vos videtis.* & illa Euangeliſtarū: *Quotquot tangebant illum ſalui fiebant: & omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.*

Ad Tit. 1. v. 15. *Luc. 10. v. 23.* *Marc. 6. v. vlt.* *Luc. 6. v. 19.*

XV. Enimvero Deus ipſe, etſi vbique ſit præſens; eſt tamen in vna re perfectiori modo, quām in alia: & vbi eſt perfectiori modo, ibi perfectiùs & abundantiùs communicat ſua dona: vt manifeſtum eſt in præſentia Dei, quæ eſt in pijs, & in impijs: in cœlo & in inferno. Cùm igitur Deus ſit in humana natura Chriſti perfectiſsimo modo, ibi perfectiſsimè communicat ſua dona: atque hinc eſt quod dicat Apoſtolus. *In Chriſto eſſe omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ.* Et alibi, *In eo eſſe inueſtigabiles diuitias.* Et denique, *In ipſo inhabitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter.* Quo magis ergo accedimus ad Chriſti humanitatem, eò copioſius inde haurimus omnia dona ſupernaturalia, quæ Deus in Chriſto homine collocauit. Et quāuis ille qui fide viua accedit ad Chriſtum, fruatur præſentia eius, tamen ille qui non tantùm fide viua, ſed etiam reipſa accedit ad Chriſtum per Sacramentum Euchariſtiæ, fruitur longè præſtantiori modo eius præſentia: & ex conſequenti maiorem

Ad Col. 2. v. 3. *Ad Ep. 3. v. 8.* *Ad Col. 2. v. 9.*

iorem copiam donorum,&gratiarum atque bonorum,quæ in Chriſto homine poſuit Deus, ex Chriſti humanitate accipit

Denique ſi præſentia ſolius vmbræ S. Petri tanta præſtitit beneficia his,qui varijs infirmitatibus laborabant, quemadmodum refert S. Lucas quomodo non proderit realis præſentia, non vmbræ dumtaxat, ſed corporis ipſius Chriſti Domini,& Saluatoris noſtri. Verùm de hac re etiam ſuprà latius. XVI. *Act.5. v. 15. Sup.c. 4. §. 9. & c. 15. §. 19.*

CAPVT XIX.

Soluuntur argumenta Aduerſariorum ex rationibus naturalibus deſumpta.

Cvm de myſterio hoc magno,quod Euchariſtiæ Sacramento continetur,diſputamus, nihil eſt,quod homines, præſertim populares, vel facilius inducat in errorem, vel inductos fortius retineat, quàm quod ſenſuum iudicio & rationibus quibuſdam naturalibus, ſed friuolis, nimium tribuant: verbis autem Chriſti parum, aut nihil. Quare ſatisfaciendum hîc erit obiectionibus Aduerſariorum, quæ deſumuntur, vel ex rationibus naturalibus, vel ex iudicio ſenſuum. I.

Et quidem ſi de ſenſuum iudicio agamus, nihil mirum,ſi illud fallatur in hoc fidei myſterio, cùm in cæteris quoque fidei myſterijs non rarò fallatur. Nemo enim ſi iudicium ſenſuum ſecutus fuiſſet, iudicaſſet Chriſtum cùm in terris eſſet, fuiſſe filium Dei, verumq; Deum; Patri per omnia æqualem,ſed potius purum hominem. Nemo II.

non iu-

non iudicaſſet ex ſenſuum iudicio Chriſtum habuiſſe veram perſonam humanam, quemadmodum habuit veram naturam: cùm tamen reuera non habuerit humanam perſonam, ſed diuinam duntaxat. Neque mirum eſt, ſi in diuinis rebus nos fallat iudicium ſenſuum, cùm etiam in rebus naturalibus non rarò fallat. Qui enim iudicium ſenſuum ſequeretur, iudicaret Solem vix eſſe bipedalem, cùm reuera ſit longè maior tota terra. Nihil igitur mirum ſi in hoc diuino myſterio Euchariſtiæ fallat ac fallatur iudicium ſenſuum. Verùm rationibus naturalib. ſatisfacere difficilius eſt. Has autem deſumunt Aduerſarij ex duplici capite: Quaſdam ex rei indignitate; alias ex repugnantia, quæ videtur eſſe ex parte rei.

III. OBIICIVNT enim primò, indignũ eſſe quòd corpus Chriſti cadat in terram, quòd pedibus cõculcetur, quòd comburatur, quòd à beſtijs comedatur: Item, quòd ſanguis Chriſti fundatur in terram, quòd bibatur à brutis. Verùm omnia huiuſmodi argumenta, quæ deſumuntur ex rei indignitate, ſi quid valerent, probarent etiam Chriſtum nunquam debuiſſe incarnari, naſci, flagellari, crucifigi, mori: hæc.n. videntur longè indigniora filio Dei (ſi humanum iudicium ſpectemus) quàm illa quæ de Euchariſtia adferunt Aduerſarij. Nam in Euchariſtia nihil patitur Chriſtus, aut caro vel ſanguis eius, etiamſi Sacramentum comburatur. Eſt enim corpus Chriſti in Euchariſtia immortali & impaſsibili modo. Omnia autem iſta, quę videntur indigna, afficiunt dumtaxat ſpecies panis & vini, quæ videntur & remanent, vt antea, corporaliter & viſibiliter: ſed ipſum corpus Chriſti, cùm ſit in Sacramento ſpirituali & inuiſibili modo, pati nequaquam poteſt.

QVA-

Digitized by Google

QVARE ſicut in ipſo Chriſto cùm in terris eſſet, humana & viſibilis eius natura ſubiecta fuit multis miſerijs & afflictionibus: quæ tamen in diuinam eius naturam (quæ ſpiritualis & inuiſibilis erat) cadere non poterant: ita iam corpus Chriſti in Euchariſtia ſpirituali & inuiſibili modo exiſtens eſt planè immortale & impaſsibile. Verùm ſpecies panis & vini ſunt illæ, quæ has affectiones ſuſcipiunt, illisque ſubiacent. IV.

IAM verò Chriſti corpus cùm adhuc in terris eſſet, ſubiectum fuit omnibus iſtis indignitatibus, quas Aduerſarij afferunt: nam & cadebat ſæpius in terram, & multis afficiebatur iniurijs, non ſine cruciatu multorum dolorum: ſanguis etiam Chriſti non tantùm cadebat in terram, ſed etiam conculcabatur ab his, qui Chriſtum flagellabant & crucifigebant: denique ſanguinem eius non rarò ſugebaut vel culices, vel aliæ beſtiolæ. Vt interea omittamus illud quod de muſcis perridiculè obijciunt, quidam ex Aduerſarijs: quod illę nimirum aliquando inſideant hoſtiæ conſecratæ: cùm ſatis conſtet muſcas etiam Chriſto inſediſſe, idque non rarò, cùm adhuc eſſet mortalis in terris. Si ergo Chriſtus ipſe cùm viſibiliter in terra eſſet, omnia iſta quæ videntur Aduerſarijs indigna perpeſſus eſt pro nobis, & quidem cum ſenſu doloris, & cruciatu, nihil mirum, ſi iam ſine vllo dolore, aut perpeſsione iſta ſubeat, ratione dumtaxat ſpecierum panis & vini, quibus ſolis iſtę affectiones inſunt & inhærent. V.

NON eſt igitur quòd iſta quæ videntur indigna Chriſto, nos moueant, aut inducant in vllam dubitationem de vera præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, ſed ea potiùs inducere nos debent in admirationem Dei bonitatis erga nos; qui dig- VI.

natus

natus eſt tam indigna ſubire propter nos, & propter noſtram ſalutem. Nam vt ſcribit S. Gregorius: *Tantò Deus ab hominibus digniùs honorandus eſt, quantò pro hominibus & indigna ſuſcepit.* Quemadmodum enim Chriſtus in ſua Incarnatione & Paſsione multùm humiliauit ſe pro nobis, ita & adhuc ſe humiliat in hoc Euchariſtiæ Sacramento: id quod prædictum etiam fuiſſe olim in Scripturis egregiè oſtendit ſanctus Auguſtinus.

S. Greg. hom. 6. in Euangel.
S. Augu. tom. 8. concione 1. in Pſ. 33.

VII. Deniqve omnia iſta argumenta quæ Aduerſarij deſumunt ex indignitate rei, ſunt illa eadem quæ contra Incarnationem, Natiuitatem, & Paſsionem Chriſti: Item, contra Reſurrectionem mortuorum, aliaque præcipua fidei myſteria, obijciebant olim Gentiles, & veteres hæretici, atque hæreſiarchæ, vt teſtantur S. Auguſtinus, & S. Hieronymus, ac alij plerique antiqui ſcriptores. Et inter cæteros Tertullianus teſtis eſt Marcionem antiquum hæreſiarcham huiuſmodi indigna obieciſſe contra Chriſti Incarnationem: cui ille acutè reſpondet ad hunc modum: *Si Deo indigna, homini autem neceſſaria: & ita iam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo, quàm ſalus hominis.* Ad iſta etiam indigna, quæ Heluidius alter hæreſiarcha S. Hieronymo obijciebat, ita audacter reſpondit S. Hieronymus: *Non erubeſcimus, non ſilemus. Quantò ſunt humiliora, quæ pro me paſſus eſt Chriſtus, tantò plus illi debeo: & cùm omnia replicaueris cruce nihil contumelioſius proferes, quam profitemur & credimus, & in qua de hoſtibus triumphamus.* Qui plura de his indignitatibus cupit, legat Bellarminum.

S. Aug. Tom. 2. Ep. 3. & 59. q. 6.
S Hier. Ep. 61.
Tert. l. 2. aduerſus Marci. c. 27.
S. Hier. aduerſus Helu. ſub fin.
Bell l. 3. de Euch. c. 10.

VIII. Secvndò: Obijciunt Aduerſarij varias rationes naturales, quibus conantur probare, myſterium hoc pugnantia & impoſsibilia continere, iuxta noſtram doctrinam, vt quòd corpus humanum

Digitized by Google

num ſit in tam paruo loco: in locis tam diuerſis, adeoq́ue diſiunctis eodem planè tempore: item in locis ab alijs corporib. iam occupatis: Denique inuiſibili planè, & ſpirituali modo, qui ſolis ſpiritibus proprius eſt, & nulli corpori communicabilis, ne diuina quidem potentia. Verùm vt hæ omnes naturales rationes facilè diſſoluantur, explicanda eſt Catholicorum doctrina de hoc Sacramento; nam omnia Aduerſariorum argumenta oriũtur ex doctrinę noſtrę ignorãtia, qua vel reuera laborãt Aduerſarij, vel certè fingũt ſe laborare.

Dvo etenim in Euchariſtia conſideranda ſunt, nimirum, illud quod aſſerimus eſſe in Euchariſtia: & modus quo aſſerimus iſtud exiſtere in Euchariſtia. Id quod aſſerimus eſſe in Euchariſtia, eſt ipſum verum & naturale corpus Chriſti: immò totus & integer Chriſtus, verus Deus & homo; qui natus eſt ex Virgine, & qui iam ſedet ad dexteram Patris in cœlis. Sed modus iſte exiſtendi, non eſt naturalis, viſibilis, aut diuiſibilis; ſed ſupernaturalis, inuiſibilis, & ſpiritualis. Id quod ſatis probat vel ſola appellatio Sacramenti: neque enim eſſet vllo modo Sacramentum, niſi ſub viſibili ſigno res ſignificata exiſteret modo ſpirituali, myſtico & inuiſibili. Et hoc eſt quod docent Patres nonnulli, cùm ſcribunt corpus Chriſti eſſe ſpiritualiter in hoc Sacramento. Nam re vera eſt ſpiritualiter, hoc eſt, modo ſpirituali. Quia, vt ſuprà diximus ex ipſo Beza, *aduerbijs illis ſpiritualiter, corporaliter, & ſimilibus etiam ſecundùm Grammaticos, non res ipſa, ſed qualitates ſeu modi rerum ſignificantur.* Et in hac re errarunt Capharnaitæ: exiſtimarunt enim Chriſtum daturum ſuam carnem ad manducandum viſibili & corporali modo, vt benè explicat S. Auguſt.

Beza ep. 5. vide ſu. c. 5. §. 7. Ioa. 6. v. 53.

S. Aug. To. 8. in pſal. 98. ad v. 5. & to. 9. tr. 27. in Ioa. Euang.

X. Ex hoc autem modo ſpirituali, quo corpus Chriſti eſt in Euchariſtia, facilè diluuntur omnes rationes naturales, quas Aduerſarij adferunt. Nam in primis etſi difficile ſit intelligere, quomodo corpus viſibiliter & extenſiuè ſit eodem tempore in diuerſis locis, tamen facillimum eſt intelligere, illud quod ſpiritualiter, & indiuiſibili modo exiſtit, poſſe eſſe in pluribus locis: neque vllus eſt in Philoſophia mediocriter verſatus, qui hoc negabit: cùm conſtet Angelos, & dæmones totos exiſtere in ſingulis partibus ſpatij, quod occupant, & ſimiliter animam hominis conſtat ità eſſe in corpore humano, vt ſit tota in ſingulis partibus. Quare ſi Deus faceret hominem, cuius caput eſſet in cœlo, & pedes in terra, tota anima illius eſſet eodem tempore in cœlo & in terra: atque etiam in omnibus ſpatijs inter cœlum & terram interiectis.

XI. Deinde etſi difficile ſit intelligere, quomodo corpus viſibile, quod occupat magnum locum, ſit in paruo loco, aut in eodem loco cum alio corpore: tamen facillimum eſt intelligere, quòd res inuiſibiliter, & indiuiſibiliter exiſtens, poſsit eſſe in minimo loco, aut in eodem loco, cum re quanta & extenſa. Videmus enim animam totam eſſe in quauis minima parte corporis, & per totum corpus ſine vlla penetratione dimenſionum. Item, in vno homine *fuiſſe legionem Dæmonum* (hoc eſt, vltra ſex millia) narrant ſanctus Marcus & ſanctus Lvcas. Caluinus ſanè fatetur, ***vnum hominem ingentis turbæ dæmonum eſſe receptaculum.***

Mar. 5. v. 9. Luc. 8. v. 30. Cal. in c. 5. Marci ad v. 9.

XII. Deniqve facile eſt hinc intelligere, cur corpus Chriſti in Euchariſtia non ſit ponderoſum: & cur pati non poſsit ab vlla re corporea, idque non

non ſolùm iam cùm corpus Chriſti eſt immortale, ſed etiam in cœna, dum adhuc eſſet mortale. Nam corpus Chriſti, etiam in cœna, dabatur modo indiuiſibili, impaſsibili & ſpirituali, quare nec in cœna quicquam omninò pati poterat à re corporea.

ADVERSARII cùm vident hoc vnico fundamento poſito omnes illorum rationes naturales infirmari atque diſui, pertinaciter contendunt, impoſsibile eſſe, immò nec Deum ipſum efficere poſſe, vt verum corpus exiſtat modo ſpirituali & indiuiſibili. Neque enim aliter veritatem ſubterfugere poſſunt. Quare ſi oſtendamus hoc eſſe poſſibile, illico eneruabuntur omnes illorum rationes naturales. Quod autem iſtud ſit poſsibile his argumentis conuincimus. XIII.

PRIMVM argumentum. Exiſtere diuiſibiliter vel indiuiſibiliter: ſeu extenſiuè vel ſine extenſione ſunt modi duntaxat diuerſi exiſtentiæ naturæ ſingularis, ſed qui negat modum exiſtentię naturę ſingularis diſtingui realiter, & conſequenter reipſa ſeparari poſſe ab ipſa natura ſingulari: is funditus euertit tam myſterium Trinitatis, quàm Incarnationis: nam myſterium Trinitatis in eo fundatur, quod in Deo ſint tres modi exiſtendi (quæ hypoſtaſes ſeu perſonæ vocantur) & vnica duntaxat, & ſingularis diuina natura. Et myſteriũ Incarnationis in eo conſiſtit, quòd in Chriſto ſint duæ naturæ ſingulares diſtinctiſsimæ, diuina ſcilicet & humana: & vnica nihilominus atque eadem ſubſiſtentia filij Dei, qui eſt modus quidam exiſtendi. Igitur niſi velint Aduerſarij reijcere vtrumque myſterium Trinitatis & Incarnationis, neceſſe erit vt concedant modum exiſtendi naturæ ſingularis poſſe diuina potentia à natura XIV.

ipſa ſingulari ſeparari: cùm ergo exiſtere diuiſibiliter ſit modus exiſtendi, poterit is ſeparari à natura corporis Chriſti,& in eius locum ſubſtitui alius modus, nempè modus exiſtendi indiuiſibiliter.

XV. SECVNDVM argumentum. Cui communicatur modus exiſtendi longè perfectior & excellentior, poterit eidem à Deo communicari modus exiſtendi multò inferior & imperfectior: atqui humanæ naturæ Chriſti communicatus eſt modus exiſtendi excellentiſsimus, perfectiſsimus & planè diuinus, ille nimirum modus, quo exiſtit ipſe filius Dei, quique eſt ipſa Verbi Dei hypoſtaſis: igitur multò magis poterit eidem humanæ naturę Chriſti communicari modus exiſtendi imperfectior, nempè exiſtendi indiuiſibilis & ſpiritualis: nam & hic modus exiſtendi communicatur multis rebus creatis, vt Angelis & animabus hominum, immò ipſis etiam dæmonibus. Et ſanè abſurdum eſt exiſtimare aliquam perfectionem dæmonibus communicatam eſſe, quæ non poſsit communicari humanitati Chriſti aſſumptæ ab ipſo filio Dei, ad vnitatem perſonalem. Subſiſtere enim in Verbo & per Verbum, infinitè excedit omnem ſpiritualem modum exiſtendi creaturarum: ſi iſtud ergo quod longè perfectius eſt, communicatur humanæ Chriſti naturæ, poterit ſine dubio & illud ei communicari, quod minus eſt perfectum.

XVI. TERTIVM argumentum. Viliſsima quæuis creatura, & quicquid tandem eſt in tota rerũ natura, ex ſe & ex propria ſua eſſentia habet quòd exiſtat indiuiſibiliter: & tantùm ex accidente habet quòd exiſtat diuiſibiliter: nam eſſentia cuiuſuis rei eſt indiuiſibilis, & à quantitate dumtaxat habet

Vide Gabrielem Vaſque. To. 3. in 3. p. S. Tho. diſp. 9. c. 3.

habet quòd ſit diuiſibilis. Atque hoc ipſum oſtẽdit S. Auguſtinus etiam de accidentibus, non tãtùm ſpiritualibus (vt eſt ſapientia, ſcientia) ſed etiam de corporeis accidentibus (vt eſt ſanitas, candor, & cætera.) Atqui valde abſonum eſt dicere, Deum non poſſe eam proprietatem communicare corpori Chriſti, quam communicauit cuiuis viliſsimæ creaturæ. Porrò hoc eſt, quod docent Scholaſtici, cùm dicunt corpus Chriſti eo modo eſſe in Euchariſtia, quo antea erat ſubſtantia panis. Nam ipſa ſubſtantia & eſſentia panis exiſtit modo indiuiſibili, hoc eſt, ita vt tota panis eſſentia ſit in quauis minima parte panis, quemadmodum benè declarat S. Thomas. *S Au To. 2. Ep 57. ad Dardanũ q 1.* *S. Th. 3. p. q. 76. a. 3.*

XVII. IAM verò quàm inconſideratè affirment Aduerſarij, Deum efficere non poſſe, vt corpus Chriſti ſit in tam paruo loco, hinc euidenter conſtat: quod iſtud Deo poſsibile eſſe non vno dumtaxat modo, ſed quatuor minimùm modis diuerſis, iam olim oſtenderint homines in philoſophicis rebus benè verſati. Et nihilominus ſatis conſtat Deum plura poſſe facere quàm nos intelligere. Et qui dixerit Chriſtum in Euchariſtia exiſtere quouis ex his quatuor modis (dummodo credat totum Chriſtum Deum & hominem verè, realiter, & ſecundùm ſubſtantiam ſuam in eo contineri) non poterit hæreſeos argui: omnes enim hos modos ponunt doctores aliqui Scholaſtici Catholici.

XVIII. NEQVE id mirum videri debet. Duo ſunt enim in hoc Sacramento conſideranda. Alterum eſt illud quod aſſerimus contineri realiter & ſubſtantialiter in eo; ipſe nimirum Chriſtus totus Deus & homo: de quo inter Catholicos nulla eſt

controuerſia. Alterum eſt, ratio ſeu modus quo Chriſtus exiſtit in hoc Sacramento: porrò modus iſte adeò eſt diuinus & ſupernaturalis, *vt illum verbis exprimere vix poſſimus*, quemadmodum prudenter monet Concilium Tridentinum. Quod non tantùm, hic, ſed & in alijs myſterijs fidei euenire manifeſtum eſt. Omnes. n. credimus tres eſſe perſonas in Deo, & vnam ſubſtantiam; duas in Chriſto naturas & vnam perſonam: mortuos omnes in die iudicij reſurrecturos cum proprijs corporibus: quomodo autem hæc omnia fieri poſſunt, non vno modo, ſed valdè diuerſis explicatur. Quarè cùm iſte modus, quo Chriſtus exiſtit in Sacramento Euchariſtiæ, ſit myſterium fidei, quod verbis vix exprimi poteſt, mirum non eſt, ſi id non vno modo ab omnibus, ſed diuerſis modis à diuerſis exprimatur.

Conc. Tr. ſeſ. 13. c. 1.

XIX. PRIMVS itaque modus, quo corpus Chriſti poteſt eſſe in hoc Sacramento, eſt, ſi Deus conſtituat ibi totam & integram ſubſtantiam Chriſti, ſed ſine eius quantitate; nam cum quantitas ſit accidens realiter à ſubſtantia diſtinctum, poterit illa per diuinam potentiam à ſubſtantia ſeparari: qua ſeparata remanebit tota & integra ſubſtantia Chriſti ſine vlla extenſione, & conſequenter modo indiuiſibili.

XX. SECVNDVS modus eſt, remanente etiam quãtitate Chriſti, poteſt illa per diuinam potentiam adeò minui, vt ea poſsit quauis minima hoſtia contineri: hac enim ratione quantitas non amittit ſuam naturam, ſed ſemper exiſtit diuiſibiliter, cùm poſsit illa ſemper in infinitum diuidi. Nam ſi agens naturale poteſt eandem numero quantitatem efficere maiorem & minorem per rarefactioné, & condenſationem; multò magis poteſt ipſe Deus

Sup. cap. 15. §. 11. Beza in cap. 10.

Deus hoc efficere. Atque hoc modo ſuprà oſtendimus Bezam ipſum fateri, *Deum ex maiore camelo minorem efficere poſſe, vt tumore depoſito per acus foramen facillimè pertranſeat.* *Marci in ann. vlt. an. 1591. ad v. 27. in fin.*

TERTIVS modus. Poteſt Deus totum Chriſtum, vnà cum ſua quantitate conſtituere in quauis minima parte hoſtiæ conſecratæ, per penetrationem dimenſionum. Nam quamuis naturali vi vnum corpus non poſsit aliud penetrare, tamen diuina & ſupernaturali vi illud fieri poteſt. Enimuerò *Chriſtum Dominum cœlos penetraſſe* in ſua Aſcenſione teſtatur Apoſtolus, & nos ſupra probauimus. Quod non tantùm in corpore Chriſti verum eſt: ſed etiam in noſtris corporibus: quæ cùm poſt Reſurrectionem mortuorum aſcendent vſque ad ſupremum cœlum, diuina vi penetrabunt cœlos inferiores. Poterit igitur Deus efficere, vt vna pars glorioſi corporis Chriſti penetret aliam partem eiuſdem corporis, & illa rurſus aliam: quouſque tandem corpus Chriſti ſit in minimo loco. XXI. *Ad Heb. 4. v. 14. Supra c. 15. § 32.*

QVARTVS modus. Poteſt Deus conſtituere totum Chriſtum cum ſua quantitate, & ſine vlla diminutione ſuæ quantitatis, atque etiam abſque vlla penetratione dimẽſionum, ſub minima quauis parte hoſtiæ conſecratæ: ſeparando dumtaxat à corpore Chriſti modum quemdam exiſtendi accidentalem & diuiſibilem: & loco eius conferendo Chriſti corpori modum exiſtendi indiuiſibilem, longè perfectiorem, & veluti ſubſtantialem; qualem nimirum antè habuerat ſubſtantia panis & vini. Et hunc modum non tãtùm eſſe poſſibilem Deo, ſed Deum reipſa hac ratione efficere vt corpus Chriſti ſit in Euchariſtia; cõmunis eſt, & veriſsima doctorum Scholaſticorum ſententia XXII.

ſed neque deſunt alij innumerabiles modi nobis incogniti, quibus Deus hoc præſtare poteſt: multùm ergo falluntur Aduerſarij, cùm arbitrantur Deum nullo pacto hoc poſſe efficere.

XXIII. PORRÒ vt modus iſte vltimus, quo aſſerimus Chriſtum eſſe in Euchariſtia, faciliùs & clariùs intelligatur, obſeruandum eſt, difficultatem magnam nõ eſſe, quin ipſa ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti poſsit exiſtere modo inuiſibili: cũ omnis rei eſſentia conſiſtat in indiuiſibili: vt agnouit etiam ipſe Ariſtoteles ſola naturali ratione edoctus, etſi ille alioqui lumine fidei careret: ſed præcipua difficultas hîc eſt de quantitate corporis Chriſti: quomodo videlicet poſsit tota eius quantitas exiſtere modo indiuiſibili, cùm diuiſibilis modus exiſtendi videatur eſſe de eſſentia quantitatis.

Ariſt. 8 Metaph. textu 10.

VERVM quantitas humani corporis duas habet veluti proprietates, aut modos naturaliter ei
XXIV. connexos, qui nequaquam confundi debent. Prima proprietas quantitatis eſt, extendere corpus ipſum, cui illa inhæret, ad certam magnitudinem: item efficere certam figuram, formam, ſeparationem atque ordinem membrorum inter ſe, quæ rectè vocatur intrinſeca extenſio. Secunda proprietas eſt extendere idem corpus extrinſecè in ordine ad locum, ſitum, & alia vicina aut remota corpora; quæ appellatur extrinſeca extenſio. Illi qui exiſtimant vtramque hanc proprietatem, ſeu extenſionem eſſe de eſſentia quantitatis, coguntur conſequenter aſſerere quantitatem Chriſti non eſſe in Euchariſtia, ſed eius ſubſtantiam dumtaxat: nam ſatis conſtat corpus Chriſti, vt eſt in Euchariſtia, non habere hanc ſecundam extenſionem

ſionem: neque enim extenditur Chriſti corpus in ordine ad locum, cùm ſit indiuiſibili modo in Euchariſtia, & totum in ſingulis partibus hoſtiæ conſecratę. Sed quia falſum eſt hoc fundamẽtum, quo nititur hæc opinio (vt iam dicemus) ea proinde meritò reijcitur à quàm multis Theologis. Veriſsima enim ſententia eſt priorem illam proprietatem quantitatis, hoc eſt, extenſionem corporis in ordine ad ſeipſum, ſeu intrinſecam extẽſionem, eſſe de eſſentia quantitatis, nec poſſe ab ea ſeparari. Poſteriorem verò proprietatem, quæ eſt exterior extenſio in ordine ad locum, non eſſe de eſſentia quantitatis, poſſeque ab ea ſeparari. Id quod his argumentis probatur & declaratur.

PRIMVM argumentum. Illud quod poſterius eſt, & ex alio naſcitur tanquã effectus ex cauſa poteſt à priori ſeparari, diuina ſaltem potentia: ſed extenſio iſta extrinſeca in ordine ad locum, eſt poſterior extenſione intrinſeca corporis in ſeipſo & eius effectus: prius enim natura eſt quòd corpus extendatur in ſeipſo, quàm quòd extendatur in ordine ad locum aliquem extra ſeipſum: Item, quòd extendatur in ſeipſo, cauſa eſt cur extendatur in ordine ad locum, poteſt igitur effectus iſte, qui conſequitur diuina poteſtate, ſeparari à ſua cauſa, quæ præcedit: quemadmodum poteſt ſol ſeparari à ſua luce per diuinam potentiam. XXV.

SECVNDVM argumentum. Quæcunque realiter inter ſe differunt, ſeparabilia ſunt diuina virtute: Atqui poſterior quantitatis proprietas differt à priori non tantùm realiter, ſed etiam ſpecie & genere, immò etiam toto prædicamento. Nam XXVI.

Digitized by Google

prior extenſio intrinſeca eſt in prædicamento quantitatis: ea enim eſt, quæ conſtituit propriam rationem & eſſentiam quantitatis: at poſterior extenſio in ordine ad locum, eſt in prædicamento Situs ſecundum aliquos, aut certè in prædicamento Vbi: poteſt igitur vna ab alia ſeparari.

XXVII. TERTIVM argumentum. Non diuina duntaxat potentia, ſed etiam humana videmus priorem extenſionem ab alia ſeparari: & priore extenſione eadem numero remanẽte, plures numero naſci extenſiones poſterioris ordinis. Nam quando homo ambulando mutat diuerſa loca, prior extenſio illa intrinſeca corporis remanet eadem numero in ſingulis locis; at poſterior extenſio, quæ eſt in ordine ad locum, alia eſt, atque alia, ſaltem numero, iuxta mutationem locorum, mutationem vbi & mutationem ſituum corporis. Quòd ſi naturali vi ſeparetur prior extenſio à poſteriori, multò magis poterit id fieri per Dei omnipotentiam.

XXVIII. Ex his ſequitur, quòd corpus Chriſti in Euchariſtia, ſi ſecundùm ſe conſideretur, retineat eandem planè formam, figuram, magnitudinem, diſtinctionem & pulchritudinem membrorum, quam habet in cœlo: hæc enim omnia habet à quantitate ſua, ſeu à priori illa extenſione intrinſeca, quàm retinet inſeparabiliter. Sed quia non habet poſteriorem proprietatem quantitatis; cùm nullam habeat extenſionem, ſitum, aut ordinem naturalem ad locum aut vicina corpora, hinc eſt quòd exiſtat modo indiuiſibili, & totum in ſingulis partibus Sacramenti: eodem videlicet modo, quo anteà exiſtebat ſubſtantia panis, cui corpus Chriſti ſuccedit.

ATQVE

Digitized by Google

ATQVE hoc ipſum planè exigebat natura & ratio huius diuini myſterij: nam niſi ſeparata fuiſſet à corpore Chriſti poſterior illa proprietas quantitatis, corpus Chriſti in Sacramento fuiſſet viſibile, palpabile, ſenſibusq́ue omnibus humanis expoſitum: qua ratione perijſſet omne meritum fidei, ſed neque fuiſſet hoc myſterium fidei aut Sacramentum: cùm in omni Sacramento lateat illud quod diuinum eſt & ſacrum: ſed fuiſſet manifeſtum miraculum fidelibus minimè neceſſarium. Et rurſus niſi relicta fuiſſet quantitas Chriſti vera, quæ conſiſtit in priori illa extenſione, Chriſtus in Euchariſtia non haberet verum aut certè integrum, atque organizatum corpus humanum, quod conſtat diuerſis membris & organis exteriorum ſenſuum: item, certa figura, forma, aptaq́ue membrorum omnium compoſitione ac interuallo atque diſtantia: hæc enim ſine intrinſeca corporis extenſione cõſiſtere nõ poſſũt. XXIX.

NEQVE etiam mirum eſt, ſi præſentiam hanc Chriſti corporis in Euchariſtia imaginari nequeamus: idipſum enim in cæteris ferè omnibus fidei myſterijs euenit. Quis enim vnquam imaginabitur myſterium Trinitatis, Incarnationis, partus ex virgine, reſurrectionis mortuorum, &c. Sed in his myſterijs ſufficit quòd intellectu percipiamus tale myſterium nihil impoſsibile, aut repugnans in ſe continere. Et multò magis ſufficere debet, ſi rationibus etiam naturalibus humano intellectui demonſtretur illud quod credimus, Deo eſſe poſsibile: quod iam de ſeparatione poſterioris proprietatis quantitatis à priore tribus naturalibus argumentis oſtendimus. Nam & naturales Philoſophi plus fidunt intellectui & rationi, quàm ſenſibuus aut imaginationibus, quas ſæpè fal- XXX.

Supra ſ. 25. 26. 27 huius ca.

pè fallaces eſſe nō ignorant. Satis igitur debet eſſe vel ipſis Philoſophis de fide deſtitutis, quòd naturalibus rationibus iam demonſtrauerimus priorem quantitatis extenſionem à poſteriori ſeparari poſſe, etiamſi id imaginari ſit perdifficile: multa enim cadunt ſub intellectum, quæ ab imaginatione percipi non poſſunt.

XXI. Est & hoc quoque animaduertendum, quòd vt corpus Chriſti ſit ſpirituali & indiuiſibili modo in Euchariſtia, ſicuti ille iam re vera eſt, neceſſaria quidem ſit iſta ſeparatio poſterioris extenſionis à corpore Chriſti, quemadmodum nunc explicuimus; iſta tamen ſola ſeparatio non ſufficit, ſed neceſſarium præterea eſt, vt Deus communicet corpori Chriſti nouum alium modum exiſtēdi. Nam quemadmodum in Chriſti incarnatione humanitatis Chriſti non tantùm caruit ſuo modo ſubſiſtendi humano, ſed etiam accepit à Deo alium ſubſiſtendi modum longè præſtantiorem (diuinum nempè ipſius Verbi) cuius vi multa præſtitit Chriſtus homo, quæ alioqui præſtare non potuiſſet. Ita in hoc Sacramento corpus Chriſti non tantùm caret poſteriori illa extenſione in ordine ad locum, ſed etiam accipit à Deo alium nouum exiſtendi modum indiuiſibilem: qui cùm ſit planè ſupernaturalis & diuinus, efficit vt totum Chriſti corpus vnà cum ſua quantitate, omnibusque accidentibus ei naturaliter inhęrentibus exiſtat ſpirituali planè modo, inuiſibili & diuino: quo fit vt corpus Chriſti non tantùm ſit in quauis minima parte vnius hoſtiæ, ſed etiam in pluribus locis, atque adeò in omnibus, in quibus ſunt hoſtiæ conſecratæ: tum quia exiſtentia ſeu præſentia iſta Chriſti non habet ordinem ad vllum locum, vt dictum eſt: tum etiam quia corpus Chri-

Chriſti exiſtit indiuiſibiliter & modo ſpirituali: ita vt ſit totum in tota hoſtia, & totum in ſingulis partibus: & conſequenter eodem tempore in pluribus locis: ſicut eſt & anima in corpore, & Angelus, etiam malus, in omnibus locis ſpatij quod occupat.

Hunc etiam ſpiritualem exiſtendi modum probabilius eſt Chriſtum ſuſcepiſſe in ſua natiuitate, cùm natus eſt ex Virgine, non aperto Virginis vtero: nam non videtur vti potuiſſe penetratione dimenſionum ſine dolore matris ſuæ, qui in partu illo nullus omninò fuit. Verùm cùm reſurrexit clauſo ſepulchro, & cùm ingreſſus fuit bis ad diſcipulos clauſis ianuis, atque etiam cùm aſcendit ſuper omnes cœlos, videtur potiùs vſus ſola penetratione dimenſionum, quæ ad hæc omnia ſufficiebat. XXXII. *Mat. 1. v. 23. Mat. vlt. v. 2. Ioa 20. v. 19. & 26. Ad Eph. 4. v 10.*

Vocamus autem modum hunc exiſtendi corporis Chriſti ſpiritualem, non quòd corpus Chriſti ſit Spiritus, aut in Spiritum mutetur (vti Aduerſarij inuidioſè criminantur) ſed quia corpus Chriſti prout eſt in Euchariſtia, participat quaſdam proprietates Spiritus. Id quod olim etiam perſpicuè docuerat ſanctus Thomas. Habet enim corpus Chriſti ex hoc indiuiſibili modo exiſtendi, quòd non ſit ponderoſũ: quòd nõ ſit viſibile oculis corporeis: quòd à nullo sẽſu corporeo percipi poſſit: quòd pati non poſſit ab vllo agente naturali: quod poſſit eſſe in eodem loco cum alio corporeo abſque vlla penetratione dimenſionum: quòd poſſit eſſe eodem tempore in multis locis: & alia non pauca, quæ naturaliter ſolis ſpiritibus ſunt propria. In alijs tamen multis differt corpus Chriſti à ſpiritibus, verbi gratia, quòd componatur ex materia & forma: quòd retineat XXXIII. *S. Tho in 4. li. ſent. diſt 10. q. 1. a. 3 q 3. ad 3.*

in ſe

in ſe ſuam quantitatem: & priorem quantitatis extenſionem actu poſteriorem etiam, licet non actu, tamen potentia. Item; quòd habeat formam & figuram humanam, parteſque omnes, & accidentia naturalia, quæ ad integritatem humani corporis pertinent; quæ Spiritus nequaquam habet.

XXXIV. *Aug. To. 2. Ep. 5. q. 1.* ILLVD autem quod Aduerſarij ſolent obijcere ex Epiſtola quadam ſancti Auguſtini, vt probent corpus Chriſti non poſſe eſſe in diuerſis locis, nihil eſt ad propoſitum. Primò quia S. Auguſtinus expreſsè loquitur de corpore Chriſti viſibili in propria & naturali forma exiſtente. Et ſanè ſunt non pauci Catholici, qui putant impoſsibile eſſe, vt idem corpus viſibili modo exiſtens ſit in diuerſis locis: inter quos eſt ſanctus Thomas: horũ ſententiam ſequitur etiam Gabriel Vaſquez, qui multos pro hac ſententia citat. Verùm nos de hac re non diſputamus; ſed tantùm aſſerimus corpus Chriſti inuiſibili & ſpirituali modo exiſtens, poſſe eſſe in pluribus locis; de qua re nemo Catholicus dubitat, ſed neque vllus benè in philoſophia verſatus dubitare poterit: cùm eſſe ſpirituale & indiuiſibile abſtrahat ab omni loco. Qua de re ne verbum vllum facit S. Auguſtinus.

Gabriel Vaſquez to. 3. in 3. partem S. Th. diſ. 89. c. 5. & 6.

XXXV. DEINDE euidenter conſtat ex toto contextu diſputationis S. Auguſtini tum in Epiſtola 3. tum in 57. illum nequaquam loqui de potentia Dei, ſed dumtaxat de naturali rerum ordine, iã à Deo conſtituto; nuſquam enim dicit, Deum efficere non poſſe, vt idem corpus ſit in diuerſis locis. Porrò, cùm dicit epiſtola 57. *Tolle ſpatia locorum, & non erunt corpora*: loquitur non de vno quouis ſpacio, ſed de omnibus ſpatijs: atqui nos non dicimus

omnia

omnia ſpatia tolli à corpore Chriſti, hoc enim eſſet corpus Chriſti nullibi eſſe, & carere omni loco: ſed contra aſſerimus corpus Chriſti eſſe in cœlo tanquam in loco corporeo,& alibi etiam in multis locis inuiſibiliter & Sacramentaliter, nimirum vbicumq; eſt Sacramentum Euchariſtiæ. Non tamen dicimus corpus Chriſti eſſe vbique per totum mundum etiam extra Sacramentum: Contr. 4. hæc enim eſt hæreſis quædam noua quorundam 91. Lutheranorum,quam in eadem epiſtola 57. benè confutat ſanctus Auguſtinus: & nos infrà refellere non omittemus.

Et hæc quidem ſunt argumenta Caluinianis propria: nam alia nonnulla, quæ ſunt illis cum XXXVI. Lutheranis communia ſequenti tomo, in quo contra Lutheranos diſputandum erit, commodiùs diſcutientur Vide Contr.4.c.3. & 4.

CAPVT XX.

Quòd valdè pernicioſa ſit Caluinianorum hæreſis, & in Chriſtum hominem iniurioſa,atque adeò in ipſum Deum.

EX his, quæ diximus varijs in locis huius 2. I. tomi, facilè intelligi poteſt quàm pernicioſa ſit Caluinianorum hæreſis; quamq́; contumelioſa in Chriſtum,& ipſum Deum. Nam inprimis pernicies eius ex eo ſatis ſuperq́ue elucet, quòd omnem autoritatem & vim ſacrarum literarum eneruet: Vbicunque enim ſcribitur aliquid in ſacris literis,quod illis non placet, ſtatim confugiunt ad figuratas locutiones. Quod ſi hoc liberum

rum

rum omnibus concedatur, nihil vnquam certi ex ſacris literis colligi poterit, vt ſuprà declarauimus, cap. 8. huius Controuerſiæ.

II. Deinde, cùm tot ſacræ Scripturæ loca detorqueat iſta hæreſis ad alienos ſenſus, cauſa eſt, & origo infinitarum aliarum hæreſum, quas in dies oriri videmus: cuiuſmodi ſunt tot ſectæ diſſectæ Anabaptiſtarum, Suencfeldianorum Antitrinitariorum, Libertinorum, & Atheorum. Nam cùm Caluiniani tot Scripturarum loca tam inſolenter deprauare non verentur, oſtium & aditum omnibus aperiunt ad quæuis alia ſacrarum litterarum loca deprauanda.

III. PORRÒ locorum ſacræ Scripturæ à Caluinianis inſolenter deprauatorum exempla plurima attulimus capite ſeptimo, octauo, nono & decimo huius Controuerſiæ. Et non pauca etiam valdè ridicula; vt videre eſt cap. 7. §. 2. 3. 5. & 27. Item capite 12. §. 7. Item capite 13. §. 8. In fine denique cap. 15. §. 5. 6. 7. 8. & 13.

IV. Tertiò, adeò pertinaces ſunt Caluiniani in defenſione ſuarum hæreſum, vt non vereantur affirmare omnes codices Græcos noui teſtamenti deprauatos eſſe, quoties illi ipſorum placitis aduerſantur. Exemplum euidens huius rei habes c. 12 § 8. & conſequentibus.

V. Hoc ipſum olim fuerat Manichæorum deſperatiſsimum perfugium. Nam cùm aliud reſpondere non poſſent, dicebant Scripturas ſacras à neſcio quo deprauatas fuiſſe. Hinc illa verba ſancti Auguſtini contra Fauſtum Manichæum, quæ non minus aptè in Caluinianos quadrant: *Quid vobis faciam, quos contra teſtimonia Scripturarum ita obſurdefecit iniquitas, vt quicquid aduerſum vos inde prolatum fuerit, non eſſe dictum ab Apoſtolo, ſed à neſcio quo*

S. Aug. to 6. lib. 33. ca. 6. contr. Fauſt. Manich.

ſcio quo falſario ſub eius nomine ſcriptum eſſe, dicere audeatis? vſq; adeò à Chriſtiana doctrina apertè aliena eſt, quam prædicatis doctrina Dæmoniorum, vt eam ſub Chriſtiana doctrina nomine defendere nulla ex parte poßitis, niſi dicatis falſas eſſe Scripturas Apoſtolorum. Et alibi ſcribit: *Nihil à Manichæis impudentius dici, quàm Scripturas diuinas eſſe corruptas, cùm id nullis extantibus poßint conuincere.* S. Aug. to. 6. de vtil. credendi, c. 3.

Deniqve idem S. Auguſtinus alio in loco acutè arguteque, ac veriſſimè colligit eos, qui dicunt falſatum eſſe Euangelium, nihil ex Euãgelio probare poſſe. *Quis* (inquit) *teſtem ſuũ priùs ipſe dicat falſitate eſſe corruptum, & tunc producit ad teſtimonium? Si enim quod vultis* (Manichæos alloquitur) *ei credimus, & quod non vultis, ei non credimus, iam non illi, ſed vobis credimus. Si autem vobis credere vellemus, teſtem à vobis non exigeremus.* Ita S. Auguſtinus contra Manichæos, quæ non minùs conueniunt in Bezam, qui vniuerſos Euangeliorum codices deprauatos eſſe non veretur ſcribere; vt ſuprà oſtendimus cap. 12. à. §. 8. ad 13. VI. S. Aug. to. 6. lib. 32. c. 16. cont. Fauſt. Manich.

Qvarto, Caluiniani vt tueantur ſuas hæreſes, renouant hæreſim Donatiſtarum, olim à S. Auguſtino, & alijs ſanctis Patribus profligatam. Huius rei probatio extat cap. 13. §. 10. Porrò non poteſt illa non eſſe pernicioſa doctrina, quæ ex antiquis & damnatis hæreſibus originẽ, & incrementum ſumit. VII.

Qvinto, inconſtantes admodum ſunt Caluiniani in ſua doctrina: & non tantùm aduerſatur vnus alteri, ſed etiam idem ſibi ipſi; idque in eadem omnino pagina aliquando: quemadmodum ſuprà declarauimus cap. 8. §. 5. Item cap. 12. §. 13 Item cap. 14. §. 21. Denique cap. 15 §. 11. Ex quo euidenter conuincitur, quòd doctrina iſta VIII.

Digitized by Google

Caluinianorum non ſit à Spiritu S. ſed à ſpiritu errante, & in errores inducente: cùm Spiritus S. nunquam ſibi ipſi aduerſetur.

IX. Sexto, Caluiniani in myſterijs fidei proponendis & tractandis, atque adeò in ipſa confeſſione fidei ſuæ ludunt verbis ambiguis, vt alios illudant & fallant: quemadmodum ſuprà monſtrauimus c. 5. §. 2. 3. & 4. Quod nihil aliud eſt, quàm *non ſyncerè, ſed cum aſtutia & calliditate ambulare, verbumq́ Dei adulterare, cauponari, falſare, ac doloſè tractare, more Pſeudoprophetarum*, Apoſtolo atteſtante.

2. ad Cor. 2. v. vlt & c. 4. v. 2.

X. Septimo, Caluinianos in ſua doctrina de ſanctiſſimo hoc Euchariſtiæ Sacramento multò deteriores eſſe & minùs ſynceros, quàm ſint ipſi Anabaptiſtæ & Anti-trinitarij, quos illi damnant, ſuprà etiam oſtendimus, cap. 5. §. 5. 6. & 7. Item eod. cap. 5. à §. 19 ad 25.

XI. Octavo, omnes Chriſti Domini noſtri promiſſiones, omniaque fidei noſtræ merita reducunt Caluiniani ad inanes mentis imaginationes & phantaſias: vt oſtendimus cap. 5. à §. 11. ad 19. Item cap. 7. §. 33.

XII. Nono, euertunt Caluiniani tum ipſius Verbi Dei, tum fidei noſtræ rationem atque naturam, vt c. 5. §. 11. & 12. manifeſtauimus.

XIII. Postremo (vt paucis multa complectamur) omnes omninò ſymboli Apoſtolici articulos deprauarunt Caluiniani: idque non vno tantùm modo, ſed pluribus, vt ſuam hanc nouâ doctrinam de Sacramento Euchariſtiæ ſtabilire poſſent, vt ſuprà oſtendimus per totum cap. 15 Ex his itaque omnibus ſatis perſpicuum eſt, quàm pernicioſa ſit iſtorum doctrina.

XIV. Nunc quàm in Chriſtum ſit etiam iniurioſa,

Digitized by Google

ſa, quod ſecundo loco probandum ſuſcepimus, ex his capitibus cernitur.

PRIMVM eſt, Chriſtum reddunt falſum in ſuis promiſſis, & impoſtorem, vt oſtendimus c. 3. §. 3. Item cap. 5. §. 23. XV.

SECVNDVM, coguntur concedere Chriſtũ Dominum noſtrum non impleſſe officium veri Meſſiæ, proindeque Dominum Ieſum non fuiſſe verum Meſſiam. vide cap. 15. §. 18. XVI.

TERTIVM, contendunt carnem Chriſti ex ſeſe, & in ſeſe non eſſe viuificatricem, cum Neſtorianis olim à tota orthodoxa Eccleſia damnatis in Oecumenica Synodo prima Epheſina. Hoc ſuprà latè probauimus cap. 15. §. 19. XVII.

QVARTVM, Chriſtum Filium Dei aſſerunt impropriè & figuratè dici Incarnatum, Paſſum, Mortuum pro nobis, Reſurrexiſſe, Aſcendiſſe; & denique omnia, quæ de filio Dei credimus in Symbolo Apoſtolorum, non propriè, ſed impropriè attribui filio Dei: immò in his omnibus locutionibus duplicem eſſe ſynecdochen. Ita iſti metaphoricis ſuis locutionibus ludunt; atq; etiam ludibrio infidelium exponunt omnia fidei noſtræ myſteria. De hac re ſuprà cap. 15. §. 27. XVIII.

QVINTVM, adeò ſunt à vera pietate alieni, & Chriſto Domino inimici, vt audeant apertè negare Chriſtum ex Virgine natum eſſe: id quod ipſimet Turcæ & Mahumetani omnes veriſſimum eſſe profitentur. De hac re vide, quæ habentur cap. 15. à §. 22. ad 27. XIX.

SEXTVM, non verentur palàm aſſerere pręſentiam humanæ naturæ Chriſti Domini noſtri nobis eſſe inutilem, immò etiam pernicioſam: de qua re cap 18. §. 14. 15. & 16. XX.

DENIQVE totam Incarnationis filij Dei rationem euertunt. vide c. 15. §. 20. XXI.

IAM

Digitized by Google

XXII. IAM verò vt tandem deueniamus ad illud, quod tertio & vltimo loco propoſuimus, nimirum, Caluinianam doctrinam in ipſum etiam Deum Opt. Max. impiam & contumelioſam eſſe, hoc quoque alijs ſex argumentis ſatis euidenter oſtenditur.

XXIII. PRIMVM eſt, quòd Caluiniani negent Deũ vllo modo poſſe efficere, vt corpus Chriſti ſit in Euchariſtia, etiam ſpirituali & inuiſibili modo: vide ſuprà c. 15. §. 2.

XXIV. SECVNDVM, quòd negent Deum efficere poſſe, vt vnum & idem corpus eodem tempore ſit in diuerſis locis: vt videre eſt eodem c. 15. §. 3.

XXV. TERTIVM eſt, quòd negent Deum efficere poſſe, vt corpus magnum ſit in loco minimo, aut vt *camelus tranſeat per foramen acus*: quod tamen Chriſtus apertè affirmat Deo eſſe poſſibile: qua de re fusè cap. 15. à §. 4. ad §. 13.

Matt. 19. v. 24. & 26.

XXVI. QVARTVM eſt, quòd negent Deũ poſſe efficere, vt duo corpora ſint in eodem loco: quemadmodum oſtendimus cap. 15. §. 13.

XXVII. QVINTVM, quòd negent Deũ poſſe ſeparare naturales proprietates rei à ſubſtantia ipſius rei: & ex conſequenti, quòd cogantur negare reſurrectionem mortuorum, in qua plurimæ naturales proprietates ſeparantur à corporibus humanis: qua de re cap. 15. §. 14.

XXVIII. SEXTVM, & omnium deterrimum eſt, quòd hæreſis iſta Caluinianorum adeò deprauet eos demẽtia quadam inaudita, qui ſe & in Deum, & in Chriſtum credere profitentur, vt illis perſuadeat, & Chriſtum Dominum, & verum Deũ ſuum infinitis contumelijs afficere. Nunc enim corpus Chriſti, verumq́ue Chriſtum & Deum in ignem proijciunt, nunc in lutum, nunc pedibus

Digitized by Google

bus conculcant, nunc beſtijs ad deuorandum proijciunt, nunc alias inauditas iniurias ei inferunt: longeque deterius & ignominioſius Chriſtum tractant, quàm vmquam Iudæi. Et quamuis ipſe Chriſtus iã in ſe immortalis nihil patiatur, tamen iſti factis ſuis tam contumelioſis ſatis declarant odium, quo feruntur in ipſum Chriſtum, & Deum ſuum.

Sed neque eſt idonea excuſatio, ſi dixerint; ſe non credere, hunc eſſe Chriſtum aut Deum, quem tantis afficiunt iniurijs. Nam reuera, & in veritate ille, quem adeò contumelioſè tractant, eſt ipſemet Chriſtus & Deus ipſorum atque noſter: *vbi enim corpus Chriſti, ibi Chriſtus eſt*, teſte S. Ambroſio: & vbi Chriſtus, ibi eſt & Filius Dei, veruſque Deus. Verus itaque Chriſtus, veruſque Deus eſt, quem illi tot iniurijs laceſſere non verentur. Certè Iudæi, qui Chriſtum flagellarunt & crucifixerunt, multiſque alijs affecerunt iniurijs, exiſtimarunt ſe non verum Chriſtum & Dei filium, ſeu pſeudoprophetam & ſeductorem perſequi: ſed non propterea fuerunt illi à peccato immunes. XXIX. *S. Ambr. in Pſal. 118. ad illa verba v. 62. media nocte ſurgebam. Luc. 23. v. 34. Act. 3. v. 17.*

Enimvero quemadmodum veriſſimè dixit S. Petrus *Iudæos autorem vitæ interfeciſſe*, & S. Paulus *eos Dominum gloriæ crucifixiſſe*, quamuis Iudæi ignorarent Chriſtum eſſe authorem vitæ & Dominum gloriæ: ita veriſſimè dicimus illos, quos Spiritus Caluinianus impellit ad tanta flagitia, & authorem vitæ, & Dominum gloriæ, atque adeò verum Deum pedibus conculcare, alijſque inauditis contumelijs afficere. XXX. *Act. 3. v. 15. 1. Cor. 2. v. 8*

Ac proinde quemadmodum Iudæi peccati ſui pœnas luerunt, non tantùm in alio mundo, ſed etiam in hac præſenti vita; cùm templum, XXXI.

Kk 3 tota-

totaque eorum religio atque reſpublica euerſa fuit per Romanos; & quidem non diu poſt mortem Chriſti: ita verendum eſt, ne tot ſcelera in Chriſtum Deumque commiſſa, in hac etiam vita, celeri vindicatione vlciſcatur Deus omnipotens.

XXXII. Hi ſanè, qui talia ſcelera committere non verentur, ſeriò conſiderare deberent ſeueram illam Apoſtoli admonitionem, quam tanto verborum pondere proponit, cùm ait: *Irritam quis faciens legem Moyſi ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur, quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim, qui dixit, mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.*

Ad Heb. 10. v. 28. & ſeq.

Deut. 32. v. 35.

Eod. c. v. 36.

XXXIII. PORRO hæc omnia, quę ſuprà attulimus, non eò à nobis dicta ſunt, quòd iſta in omnes, qui Caluini dogmata ſequuntur, conuenire arbitremur: ſed in eos dumtaxat, qui ita ſuis illis peruerſis erroribus pertinaciter inhærent: vt veritati aures præbere nolint. De multis tamen, immò & de omnibus prorſus, qui veritatem amāt, nec pertinaciter agnitam veritatem oppugnāt, ſed vel nondum agnitam inquirunt, vel certè inquirere deſiderant, *meliora confidimus* cum Apoſtolo, *& viciniora ſaluti*. Quæ vt celeriter eueniant, faxit Dominus Deus Omnipotens.

Ad Heb. 6. v. 9.

AMEN.

ER-

Digitized by Google

ERRATA TOMI PRIMI SIC corrigenda.

P*Ag.15.lin.14.lege* תאב *ibid.lin.17.lege* שרש *.ibid. lin.28.lege* ברך *.ibid.lin.29. lege* סכן *ibid. lege* סוח *.ibid. linea penul.lege* נחם *.pag.16.lin.7. lege* חסר *ibid.lin.17.lege à radice* ישן *.pag.17. lin.32.lege* ברא*. eodem modo lege & pag.18.linea 1.& 8.pag.29. lin. 29.priore lo:o lege* זנח *.poſteriore verò lege* זנח*. pag. 30.lin.4.lege* שכר *.pag.32.lin.2.lege* נאמן *pag. 33. in marg.lege* ארח *.&* ברח *.pag.24.lin.13.lege* כארו*. p. 36.in marg.* שלח *.p.38.lin.8.lege* למו *.p.46.lin.3.lege* קהי נא לימעט *.p.67.lin.24.* תרומה *.ibid.lin.26.* ברית *.* מים*.p.68.lin.19.lege* אנשין *.ibid.lin.20.lege* יהבת *.&* מתנה *.p.81.lin.6.lege* נפשו *.ibid.lin.11.lege* פרה*. ſic & lin.17.ibid.lin.28.lege* ותכרת *.ibid.lin.30.* ותוכל *.p. 82.lin.4.* תמצאו תעוררו תעירו *.p.85.lin. 3.* שוב*. p. 86.lin.17.lege* צירה *.ibid.lin.30.lege* ציר *.ibid.lin. vlt. lege* מצרה *.p.91.lin.4.lege* בן *.p.137.lin.21.lege* ὑπὲρ*. p.156.lin.4.lege* Deum*.p.165.lin.16.lege* כל *.ſic ibid. in marg.priore loco:poſteriore verò lege* כלל*. p.166. lin.24.lege* noſt a etiam*.p.178. linea 3. dele ſemel* (in)*p.219.linea 3.lege* עדות*.p.223.lin 24.lege* ip ritui*. ibid.lin. 30.lege* κεκρυμμένα*.p. 245. lin. 32. lege* Sclaui*.p.246.lin.3.lege* conuerſi*.p.247.lin.22.* צרר *t* ונא *ſeraruni.ibid.lin.24. lege* דבת *.p.256.lin. 2. lege* Boz us *p.281. in marg.lege* אליך*.p.282.lin.35. lege* כפות*.p.296.lin.vlt.dele*(Ordo.)

SECVNDI TOMI.

Pag.372.lin.22.dele(ad)*priore loco.p.396.lin vlt.lege* αἴρει αὐτό*.p.409.lin.6.lege* poculo,*non* populo.

Digitized by Google

Digitized by Google